


ACTA
PHYSICO-MEDICA
ACADEMIAE CAESAREAE
NATVRAE CVRIOSORVM
J. G. Pintz. sc.

# ACTA
# PHYSICO-MEDICA
## ACADEMIÆ CÆSAREÆ
## LEOPOLDINO - CAROLINÆ
## NATVRÆ CVRIOSORVM
EXHIBENTIA
# EPHEMERIDES
SIVE
OBSERVATIONES HISTORIAS
ET EXPERIMENTA
A
CELEBERRIMIS GERMANIÆ
ET EXTERARVM REGIONVM
VIRIS
HABITA ET COMMVNICATA SINGVLARI STVDIO
COLLECTA
## VOLVMEN DECIMVM
ACCEDVNT APPENDIX ET TABB. ÆN.
CVM PRIVILEGIO SACRÆ CÆSAREÆ MAIESTATIS.

---

*NORIMBERGÆ,*
Impensis B. W. M. ENDTERI CONSORTIVM,
ET VID. B. ENGELBRECHTI.
TYPIS FLEISCHMANNIANIS ANNO MDCCLIV.



SACRATISSIMO ET POTENTISSIMO
INVICTISSIMOQVE PRINCIPI
DOMINO DOMINO
# FRANCISCO
ROMANORVM IMPERATORI
SEMPER AVGVSTO
PIO FORTI FELICI
GERMANIAE HIEROSOLYMORUMQVE
REGI



LOTHARINGIAE BARRIQVE
# DVCI
## MAGNO DVCI ETRVRIAE
ET RELIQVA
*PATRIAE PATRI DIVINITVS DATO*
CAESARI OPTIMO INDVLGENTISSIMOQVE
SVMMO
RERVM SACRARVM ET LITTERARIARVM
TVTORI ET CONSERVATORI
GLORIA VITA SALVS.

# AVGVSTISSIME IMPERATOR

Volumen hocce, quod TIBI, SACRATISSIME IMPERATOR, ſubmiſiſſimo animi cultu offert Caeſarea Naturae Curioſorum Academia, quinquageſimum

mum eſt, quo ea labores ſuos per integrum ſaeculum peractos bene feliciterque abſoluit. Anno nempe MDCLII. medici nonnulli publicam vtilitatem curae cordique habentes, omnes Germani, in ſocietatem quandam coivere eo unice allaborantem, vt, dum omnes ſcientiae artesque, ſigillatim vero rerum naturalium vera cognitio & ſolida medendi exercitatio, magis magisque ab omnibus cultioris orbis nationibus certatim perficiebantur, Germanorum quoque ingenii atque induſtriae, ad eundem

dem ſcopum tendentis, ſpecimina in lucem publicam prodirent. Tardo quidem gradu priorum decem et octo annorum ſpatio procedebat hocce inſtitutum, dum interea aliquot tantum opuſculis, ad normam huius Societatis praefixam elaboratis et ſigillatim excuſis, ſtudium ſuum aliis comprobarunt. De maioribus et amplioribꝰ vero progreſſibus eadem Societas curioſa et ſollicita repetitis epiſtolis priuatis publicisq; inuitauit et excitauit omnes de publica vtilitate bene merendi cupidos viros, vt in caſtra ſua

)( de-

deſcenderent: id quod eousque feliciter ceſſit, vt, mutata methodo ab initio electa, anno MDCLXX. primum volumen vnitis viribus collectum ederetur. Neque etiam non ea felicitas auctae huic ſocietati acceſſit, vt non ſolum ſibi liceret hoſce ſuos conatus ad pedes diui LEOPOLDI, Glorioſiſſimae et innumerabilibus de cauſſis immortalis memoriae, deuoluere, verum etiam iidem clementiſſime ſuſciperentur, quid? quod et ipſa Societas protectione tutelaque Imperiali priuilegiisque et ho-

honoribus muniretur atque amplissimo *Caesareae Leopoldinae Naturae Curiosorum Academiae* titulo salutaretur. Neque minus magno LEOPOLDO dignissimi successores paternaeque gloriae atque virtutum haeredes, pari clementia hanc Academiam bene fundatam exceperunt, eademque nunc, quum TVO, CAESAR OPTIME, pacato sub imperio, musis amicissimo, non minori felicitate per immensam DEI gratiam fruitur magisque confirmata gaudet, adhuc floret vigetque et indies nouis collaborato-


ribus augetur ita, vt nunquam
defuerint viri praeſtantiſſimi, qui,
nullo ſtipendio conducti, ſed de-
miſſa pietate in Caeſarem et amo
in prouehendam nationis Ger-
manicae famam, adeoque ſolo
virtutis et honoris ſtimulo excita-
ti, ſymbola ſua nunquam non di-
ligentiſſime contulerunt eo vs-
que, vt collatis hactenus viribus
plusquam octo millia obſeruatio-
num et lucubrationum in publi-
cum vſum communicata pro-
ſtent. Quum denique haec Aca-
demia eundem ſcopum praefi-
xum adhuc teneat et diuinis ad-

iuta ſubſidiis eodem tramite nouam periodum inire conetur, ſpe minime vana lactatur, fore, vt TVA, CAESAR EXOPTATISSIME, qui omnium conatuum vtiliſſimorum TE ſemper iudicem aeſtimatoremque ſapientiſſimum gratioſiſſimumque exhibuiſti, hos quoque vlteriore clementia excipias ſartosque conſerues. Tantam igitur rerum noſtrarum felicitatem ſperantes et diuinantes inter ardentiſſima vota ſubiectiſſimo animo precamur, vt TVAM, CAESAR AVGVSTISSIME, Maieſtatem di-

diuinioribus ſubinde caeleſtium bonorum generibus rerumque feliciſſimarum acceſſionibus in feriſſimos poſteritatis annos DEVS TER OPTIMVS TERQVE MAXIMVS cumulatam mactatamque reddat

MAIESTATIS TVAE

DEVOTISSIMI
NATVRAE CVRIOSORVM ACADEMIAE
PRAESES, DIRECTOR, ADIVNCTI
COLLEGAE.



# PRAEFATIO.

Hoc decimum ſeu potius quinquageſimum noſtrae Academiae volumen vt ſuperiori iam anno publicam aſpiceret lucem, in votis & propoſitis habuimus propterea, quia tunc huius inſtituti grata memoria ſaecularis merito

rito nobis celebranda veniebat; ſed ſufficiens numerus obſeruationum lucubrationumque ſelectarum, quem ab honoratiſſimis Collegis expectabamus, paullo ſerius colligi poterat potiſſimum ob loca, vbi plures eorum degunt, a nobis remotiora. Optauimus id porro ſimul, ut hocce volumen, quod laboribus integri ſaeculi ſpatio peractis colophonem imponit, ſingulorum Collegarum, Dei gratia ſuperſtitum, vnicum ſaltem ſymbolum collatum offerre poſſet; ſed huius quoque voti compotes fieri haud potuimus, tum eandem ob cauſſam, tum alia impedimenta inſuperabilia. Quamuis autem collectae obſeruationes numero ſe haud diſtinguant, confidimus tamen, argumentorum horumque expoſitionum grauitatem omnium exſpectation ſatisfacturam eſſe.

Ceterum grata mente agnoſcenda omnino eſt ſummi aeternique Numinis gratia et prouidentia, quae hancce Academiam per tantam temporum ſeriem totque rerum viciſſitudines ſemper in flore et vigore ſuo conſeruauit, licet commilitones ſuos nec ſtipendio nec praemio, qui-

quibus aliae eiusmodi Societates inſtructae ſunt, vel allicere vel excitare valeret.

Tandem, quum nouam rerum agendarum periodum, meditamur, huic eidem prouidentiae Diuinae merito confiſi, ſperamus ulteriorem atque perpetuam noſtrae Academiae conſervationem, neque dubium ſupereſt, quin porro omnes, qui ſtudium publicae utilitati inſeruiendi & gratiam atque applauſum Caeſaris Auguſtiſſimi reliquis ſtimulis animo bene formato praeferunt, noſtrae Academiae cunctis viribus data occaſione ſuccurrant.

Quod ad nos attinet, omnem operam nauabimus, vt collectanea denuo luci committenda externo quoque ornatu maiori, quam hactenus fieri potuit, in publicum prodeant, et ſigillatim figurae artificioſe magis et accurate elaboratae compareant, dummodo primitiua delineatio id permittit, ad quod promiſſum implendum plurimae iam huius et antecedentis voluminis figurae ſpem facere perſuademur.

Quod reliquum eſt, ſilentio praeterire haud poſſumus, ſed potius ſubmiſſiſſima pietate agnoſcere et publice praedicare tenemur, SERENISSIMVM PROTECTOREM noſtrum, humillimis petitionibus, quas antecedente tomo expoſuimus, non ſolum clementiſſime annuiſſe, verum etiam noſtrae Academiae inſignem numum aureum, Ipſius Sereniſſimaeque Coniugis eius imagine gratioſiſſima ſplendidiorem redditum, munificentiſſime donaſſe eamque ad vlteriores progreſſus propenſiſſime indulgentiſſimeque excitaſſe.



I. Con-





# I.

## Continuatio
# CATALOGI
## Dnn. Collegarum Academiæ Cæſareæ Leopoldino - Carolinæ Naturæ Curioſorum.

### *ab anno* 1751. *usque ad annum* 1753. *in eandem receptorum.*

### Anno 1751.

Ordo receptionis

568. Dn. D. *Philippus Conradus* FABRICIUS, Anatomiæ, Phyſiolog. & Pharmaciæ in Academia Helmſtadienſi Prof. Publ. Ordinar. *Philumenus II.*
569. Dn. D. *Joannes Philippus* SEIP, Sereniſſ. Principis Waldeccenſ. Conſiliar. aulic. & Archiater & Regiar. Societatum Scientiarum, Londinenſis & Berolinenſis, Sodalis. *Alcadinus.*
570. Dn. D. *Polycarpus Fridericus* SCHACHER, in Academia Lipſienſi Medicinæ Prof. Publ. Extraordinarius. *Apulejus II.*
571. Dn. D. *Matthias Georgius* PFANN, Medicinæ Profeſſor Publ. in Academia Fridericiana Erlangenſi. *Polyænus II.*
572. Dn. *Joannes Georgius* RICHTER, Philoſoph. Magiſter & SS. Theolog. Baccalaureus, Philolog. ſacr. in Aca-



Ordo receptionis

dem. Lipsiensi Prof. Publ. Extraord. *Aristophanes Byzantinus.*

573. Dn. D. *Andreas de* CONRAD, Practicus Semproniensis in Hungaria, & Academ. Cæsar. Nat. Curiosor. in causa Legati Genseliani Plenipotentiarius. *Diodorus III.*

574. Dn. D. *Fridericus Georgius Philippus* SEIP, Sereniss. Principis Waldeccensis Medicus aulicus & Practicus Pyrmontanus. *Alcadinus II.*

## Anno 1752.

575. Dn. D. *Carolus Augustus de* BERGEN, Medicinæ Prof. Publ. Ordinar. in Academia Viadrina, Hæreditarius in Rosengarten. *Philaretus II.*

576. Dn. *Ludovicus Christianus* PEZOLT, Medicinæ Doctor & Practicus Nordhusanus. *Chæreas II.*

577. Dn. D. *Ludovicus Godofredus* KLEIN, Celsiss. Comitis Erbacensis Consiliar. & Archiater, ac Civitatis & Territorii Erbacensis Physicus ordinarius. *Ctesias II.*

578. Dn. D. *Joannes Josephus Nobilis de* BERGER à SIEBENBRUN, Sereniss. Electoris Bavariæ Consiliarius aulicus & Archiater cubicularius ordinarius. *Menecrates II.*

## Anno 1753.

579. Dn. *Emanuel Mendes* da COSTA, Regiæ Brittanicæ Societatis Scientiarum Sodalis. *Plinius IV.*

580. Dn. D. *Joannes Petrus* EBERHARD, Medicin. & Philosoph. Doctor, hujusque in Regia Fridericiana Academia Prof. Publ. Extraordinar. *Euclides IV.*

581. Dn. D. *Joannes Michael* BARTH, Sereniss. Ducis Czartorsyki,

Ordo
receptionis

toryski, Magni Ducatus Lithuaniæ ſupremi Cancellarii, Archiater. *Baſſus III.*

582. Dn. D. *Severinus* HEE, Medicin. Prof. extraordin. in Univerſit. Hafnienſi, ordinar. in Gymnaſio Otthinienſi, & Societat. Reg. Dan. Scientiar. Sodalis. *Philoxenus II.*

583. Dn. D. *Joannes Henricus Joſephus* BAUER, Philoſoph. & Medicin. Doctor & Practicus in Alma Cæſarea Regiaque Univerſitate Pragenſi. *Glaucon III.*

# II.

# CATALOGUS

## Dominorum Collegarum hujus Academiæ, hactenus, quoad quidem nobis conſtat, demortuorum.

Ordo
receptionis

294. Dn. D. *Abraham* VATER, Medicin. Prof. Publ. Primar. in Academ. Wittembergenſi, Regiarum Societatum Scientiarum, Londinenſis & Berolinenſis, Sodalis, & Muſei Regii Præfectus, †. d. 18. Novembr. 1751. ann. ætat. 69.

298. Dn. D. *Chriſtianus Michael* ADOLPHI, Facultat. Medicæ Lipſienſis & Collegii B. M. V. Senior, †. d. 3. Octobr. 1753. ann. ætat. 77.

321. Dn. D. *Johannes Franciſcus* RAUCH, Inſtitutionum medicarum in Academia Viennenſi Prof. Publ. Ordinar. †. d. 25. Octobr. 1750.



Ordo
receptionis

334. Dn. D. *Daniel* HOFMANN, Facultat. Medicæ in Academia Tubingensi Senior, †. d. 12. April. 1752.

378. Dn. D. *Franciscus Ernestus* BRüCKMANN, Poliater Gvelpherbytanus, Adsessor Collegii Medici Brunsuicensis, & Academ. Reg. Berolinensis Scientiarum Sodalis, †. d. 21. Mart. 1753. ann. ætat. 57.

390. Dn. D. *Augustinus* BUDDÆUS, Potentiss. Reg. Boruss. Consiliar. aulic. & Archiater, Adsessor supremi Collegii Medici, Professor Anatom. & Physiolog. in Colleg. med. chirurg. ac Reg. Berolinens. Academ. Scientiar. Sodalis, †. d. 25. Decembr. 1752. ann. ætat. 58.

396. Dn. D. *Johannes Christianus* KUNDMANN, Poliater Wratislaviensis, †. d. 11. Maji. 1751. ann. ætat. 67.
*Memoria ejus extat in Appendice hujus Voluminis, pag. 321. sqq.*

421. Dn. *Joannes Henricus* de SPRECKELSEN, J. V. D. & Consul Civitatis Hamburgensis, †. Mens. Jul. 1751.

424. Dn. D. *Joannes Godofredus* de HAHN, Potentiss. Reg. Boruss. Consiliar. aulicus, Collegii Medici & Sanitatis Wratislaviens. Decanus, †. d. 1. Maj. 1753.

431. Dn. *Christianus Gottlieb* SCHWARTZ, Comes Palatin. Cæsar. Moralium, Oratoriæ & Poetices Prof. Publ. & Senior Academiæ Altorfinæ, nec non Beneficiarior. Noricor. Inspector & Reg. Berolinens. Societat. Scientiar. Sodalis, †. d. 24. Februar. 1751. ann. ætat. 75.

444. Dn. D. Burcard David MAUCHART, Sereniss. Ducis Würtembergensis Consiliar. & Archiater, ac Medicinæ

cinæ in Academ. Tubingensi Prof. Publ. Ordinar. †. d. 11. April. 1751. ann. ætat. 55.

501. Dn. D. *Joannes* ALBRICHIUS, Adsessor Senatus Coronensis in Transylvania, †. 1750.

548. Dn. *Joannes Fridericus* FüRSTENAU, utriusque Medicinæ Doctor, Anatom. & Chirurg. in Academ. Rinteliensi Prof. Publ. Ordinar. †. d. 22. Mart. 1751. ann. ætat. 27.

*Memoria ejus extat in Appendice hujus voluminis, pag. 313. sqq.*

559. Dn. *Cromwell* MORTIMER, Reg. Anglican. Societat. Scientiar. Secretarius & Collegii Medici Socius, †. d. 15. Januar. 1752.

# III.

# CATALOGUS

## alphabeticus

## Excellentissimorum Virorum, qui pro X. hoc Volumine observationes physico-medicas communicarunt.





Dn.





Helmstadiensi, Regiar. Londinens. & Berolinens. Societat. Scientiar. Sodalis, Acad. Nat. Cur. *Sostratus I.* pag. 1. 53.

Dn. D. *Joann. Jacobus* HUBER, Collegii Medico-Chirurgici, quod Cassellis floret, Prof. Chirurg. & Anatom. practicæ, Sereniss. Hassiæ Landgravii Consiliar. aulicus & Archiater, Aulæ Badena-Durlacens. Medicus, Acad. Nat. Cur. *Areæteus II.* pag. 109.

Dn. Lic. *Christian. Frider.* JOERDENS, Medicin. Pract. & Scholarcha illustr. Gymnas. Curiensis in Variscia, Acad. N. C. *Micon.* pag. 48.

Dn. D. *Gottlieb Henr.* KANNEGIESSER, Magni Ducis & Hæredis Imperii Russici Consiliar. Cancellariæ, Medicinæ in Academ. Kiloniensi Prof. Publ. Ordinar. & Collegii Chirurgorum Præses, Acad. N. C. *Telamon II.* pag. 278.

Dn. D. *Ludovicus Godofredus* KLEIN, Celsiss. Comitis Erbacensis Consiliar. & Archiater, Civitatisque ac territorii Erbacensis Physicus ordinarius, Acad. N. C. *Ctesias II.* pag. 240.

Dn. D. *David Samuel* MADAI, Sereniss. Princip. Anhaltino-Cotheniens. Consiliar. aulic. & Archiater itemque Practicus Orphanotroph. Halens. Acad. N. C. *Hermes V.* pag. 375.

Dn. D. *Georgius Christianus* MATERNUS de CILANO, Gymnasii Academici Altonensis Director, Philosoph. natural. Medicinæ & Antiquitatum Græcarum ac Romanarum Professor, Regiæ Societati Scientiarum Hafniensi adscriptus, Acad. N. C. *Menander II.* pag. 15. 97. Append. pag. 285

X X X                                                                 Dn.





Scientiar. itemque Teutonicæ Lipſienſis Sodalis, Acad. N. C. *Stantius II.* pag. 76. 296.

Dn. D. *Daniel Gottlob* THEBESIUS, Phyſicus Circuli Treptovienſis in Pomerania. pag. 216. 337.

Dn. D. *Chriſtophorus Jacobus* TREW, S. R. I. Nobilis, Sacr. Cæſ. Majeſt. ut & Sereniſſ. Marchion. Onoldino-Brandenb. Conſiliar. & Archiater, Comes Palatin. Cæſar. Reipubl. Norimberg. Phyſ. Ord. Senior & p. t. Decanus, Regg. Societat. Scientiar. Londinenſ. & Berolinenſ. Sodalis, Ephemerid. Acad. Cæſ. N. C. DIRECTOR Append. pag. 345. ſqq.



ACTO-



# ACTORVM PHYSICO-MEDICORVM ACADEMIÆ CAESAREÆ NATVRÆ CVRIOSORVM VOLVMEN DECIMVM.



## *OBSERVATIO I.*

## DN. D. LAVRENTII HEISTERI.

### *De Insolito prorsus situ Hepatis, a dextro hypochondrio ad latus deorsum usque in pelvim singulariter pertingentis.*

Vir quidam litteratus, nec in orbe erudito prorsus incognitus, temperamenti sanguineo - cholerici, quadraginta circiter annos natus, satis quidem vegetus & sanus semper videbatur; nihilo minus tamen *flatibus* & *ventris intumescentiae* inde ortæ

adeo obnoxius erat, ut venter ipsi sæpenumero, præsertim a pastu, etiam modico, maxime distenderetur, & ipse, nisi vestimenta sua circa hypochondria & umbilicum sæpe laxaverit & vix clausa servarit, gravissima *anxietate, tussi*, & *spirandi difficultate* afficeretur; iisdem vero circa abdomen laxatis hæc mala mox vel sublata, vel saltem valde imminuta senserit. Quin etiam, quando paulo largius cum oblectamento prandebat vel cœnabat, utplurimum *vomitu* quoque postea corripiebatur & cibos assumtos reiicere cogebatur. Quæ singula mala nullis remediis tolli potuerunt, licet quam plurima iis opposita fuerint.

Tandem vero ex animi affectibus aliisque forte caussis in phthisin, brevi tempore funestam, incidit, in qua etiam prædicta consueta mala non minuebantur.

Ad caussas prædictorum malorum inquirendas cadaver ipsius incidi; ubi primo, dissectis tegumentis abdominis communibus & specialibus, *A A A A*, (vid. *Tab. I. Fig. I.*) apparuit statim intestinum colon, præsertim circa hypochondria admodum tumidum, flatibusque valde distensum & in plures solito convolutiones complicatum; quæ nimirum, quum ipsi viro post pastum, & inprimis adsumtionem ciborum flatulentorum, adhuc magis inflatæ essent, diaphragma, *a a a*, in actione sua impedierunt, atque descensui ejus in respiratione renisæ sunt; unde anxietas & impedita respiratio, imo & tussis ipsi conciliatæ esse videntur.

Ventriculus ejus, *k*, pro corporis statura admodum erat exiguus, latebatque sub plicis sive convolutionibus coli, quæ flatu utplurimum distensæ ventriculi expansionem impediebant, ipsumque sine dubio ita irritabant, ut contenta, quæ assumserat, quam saepissime, a pluribus iam annis, per vomitum reiicere cogeretur.

Verum

Verum enim vero quod quam maxime hic in abdomine notatu dignum erat, est *hepatis situs prorsus inusitatus*, & forte nunquam ita visus, isque non *transversus* sub diaphragmate, ut alias naturaliter esse solet, sed secundum ventris longitudinem. Nimirum hepar a parte eius summa, mox sub diaphragmate, & inde a toto ventris latere dextro, peritonæo contiguum, usque in pelvim ejusdem lateris ea jacebat ratione, ut *pars ejus convexa*, quæ alias sursum diaphragma respicere solet, *b b b*. hic dextro peritonæi abdominis lateri accumberet, atque sic lateralis esset, a summo dextro hypochondrio *D* usque ad interiorem pelvis partem *B* pertingens; inferior vero sive *concava pars, ccccc*. una cum lobulo Spigelii *d* & vesicula fellea *e. f.* non deorsum, sed versus dextram intestinorum respiceret partem. Pars itaque illa hepatis *D*, quæ hic superior & in dextro latere sita est, alias in statu naturali in sinistro hypochondrio juxta litteram *g*. collocata reperitur; pars vero inferior *B*, quæ hic in pelvi hæret, in dextro hypochondrio circa *D* posita esse debuisset. Ex quibus facile cognosci potest, quam insolitus & singularis fuerit hujus hepatis situs; qualem nusquam alibi, neque in GLISSONII *Anatomia hepatis*, neque in ipso Clar. BIANCHII amplo de Hepate opere descriptum reperi. Porro notæ *g h i* designant intestinum colon, cum cœco, ex situ naturali, quem habebat, ad latus sinistrum valde reclinatum, ut concava hepatis pars, *c c c*, cum vesicula fellea *e f*, lobuloque Spigeliano *d*, & ventriculus *k* ejusque pylorus *l*, qui prorsus latebant, in conspectum venirent. Litteræ *g g g* indicant partem coli, quæ hypochondrium sinistrum cum gyris & plicis suis occupabat, atque eodem, quo in hoc cadavere deprehendebatur, situ depicta est; pars vero *h h*, quæ hic partim deorsum, partim ad latus sinistrum reclinata est, in dextro hypochondrio juxta *D*. collocata & in varios quoque gyros inflexa erat, sic

ut transversam & superiorem colij partem *g g* & *h h* constitueret, atque ea coli pars, quæ inferiori *h* notatur & ad intestinum cœcum *i* pertingit, totam concavam hepatis partem, *c c c c c*, occuparet. Totum vero hoc colon a flatibus summe distentum erat atque ventriculum *k l* exiguum & valde collapsum sub se comprehendebat & velut amplectebatur. Ex iis, quæ supersunt, notis, *m* denotat duodenum, *n* Pancreas & *o o o o o o* intestina tenuia, in quibus vero singulis partibus nihil contra naturam & consuetudinem notavi. Ceterum hepar hoc bene erat formatum ac sanum figuramque eandem habebat, quam alia hepata bene naturaliterque conformata & transversim in ventris suprema parte, in statu naturali & ordinario modo collocata, habere solent, nullumque aliud vitium in eo deprehendi, quam quod loco peccaret, (si quidem hoc inter vitia haberi potest,) atque ex consueto & naturali in alium esset translatum. Quo positu Deus ostendere nobis forte voluit, quod hepar etiam ita, si ipsi placuisset, in plerisque hominibus collocare potuisset. Utrum vero ab hoc hepatis situ ullum illorum symptomatum, quibus hic homo obnoxius fuit, provenerit, nec ne? incertum est. *In thorace* denique alter pulmonis lobus valde exulceratus & multo pure repletus erat, quod vitium ipsi præcipue mortem intulisse existimo.

## *OBSERVATIO II.*

## DN. D. LAURENTII HEISTERI.

### *Anatome gesticulatoris celeberrimi atque expeditissimi, & quæ in ipso notatu digna reperta sunt.*

Anno 1727. mense Januarii, celebris gesticulator Belga ægrotus huc veniebat, atque paucis diebus post moriebatur. Annos habebat circiter sexaginta, macilentus erat, febri-

febrique ardente ac simul magna scroti hernia laborabat, quam gesticulationibus suis, ut ipse retulit, sibi contraxerat.

In eo autem potissimum gesticulationes ejus, quas paucis abhinc annis hic publice peragebat, consistebant, quod pedes primo mirabiliter divaricare, eosque super humeros & caput, a parte tam antica, quam postica, elevare, aliasque admirandas distorsiones atque dislocationes, quas Medici appellant, in genubus, pedibus & brachiis, ut lubuit, perficere potuerit. Ad hæc etiam intestina ex inferiori abdominis parte ita in superiorem, speciatim sub costas spurias, sustollere & reprimere poterat, ut abdomen prorsus vacuum appareret, & umbilicus vertebris lumborum apprimeretur. Vt varia alia, quæ hic recensere non est necesse, omittam. Neque tamen hoc silentio præteribo, quod ludicrus hic homo inter gesticulationes actionesque dum vehementer inde sudaret atque delassaretur, sæpius, & sitis restinguendi, & roboris novi acquirendi causa, *haustum spiritus ardentis* biberit: a cujus largiori usu febrem ardentem aliaque forte mala sibi contraxisse videtur; de quibus postea dicam.

Hic vivus adhuc, at fere moribundus, me accersi curavit, sponteque corpus suum anatomicis disquisitionibus post mortem offerebat, si tantummodo uxori futuræque viduæ ipsius aliquot thaleros sive nummos imperiales solvere vellem: prædicens, varia notatu digna in ipsius cadavere observatum iri. Promisi itaque, quod desiderabat, eoque brevi post demortuo die XXVIII. Januarii sectionem hujus cadaveris inchoavi & per plures dies continuavi, ubi sequentia in ipso inciso deprehendebantur:

1.) *Magna copia liquoris sanguinolenti* in abdomine, nimirum libræ X. vel XII. 2.) *Omentum breve*, *crassum* & quasi in unum globum supra intestinum colon, versus lienem & in hypochondrium sinistrum, retrusum. 3.) *Hepar*

*valde parvum a)*, & vix *dimidiam naturalis magnitudinis molem obtinens*, induratum, & multis tuberculis, instar varorum, quos vocant, faciei, asperum.

4.) Ingens *spatium inter hepar & costas dextri lateris spurias, ob hepatis exiguitatem: quod in spatium omnia intestina tenuia, dum gesticularetur*, ut supra jam diximus, *repellere poterat.* 5.) *Peritonæum tuberculis* duris morbosisque plenum, in quo glandularum commentitiarum defensores facile glandulas peritonæi agnoscere potuissent. 6.) *Hernia aderat* in *latere dextro scroti satis insignis*, & *intestinails & aquosa simul*, atque utraque erat in eodem sacco, quem prolongata peritonæi membrana constituebat. 7.) Sacci hujus magnitudo tanta erat, ut *libram unam liquoris caperet*, simulque copiosissima vasa turgida, & velut a RUYSCHIO ceracea materia repleta, conspiciebantur. 8.) *Maxime vero hic notatu dignum erat*, quod ostium, sive foramen sacci hujus herniæ, quo cum abdominis cavo, ut vulgo dicunt, communicabat, & per quod intestina ad scrotum transibant, *non eo loco exacte erat, ubi vasa spermatica egrediebantur*, & ubi alias vulgo intestina prolabi solent, nimirum in annulo musculi abdominis obliqui externi, sed, *quod a nullo adhuc notatum aut descriptum novi, per foramen quoddam novum & inusitatum, quod transversum digitum anteriora versus, nimirum versus lineam albam, ab annulo illo distabat*, ubi peritonæum cum intestinis e corpore protrusum, dilatatum & in scrotum usque, ut alias fieri solet, prolongatum erat, id quod forte contentionibus, viribus atque conaminibus hujus viri, quæ ad gesticulationes perficiendas adhibebat, aliive forte læsioni

a) Clar. BIANCHVS in sua *Hepatis Historia*, sive *anatome*, asseverat, se quidem sæpius hepar nimis magnum, sed nunquam naturali minus deprehendisse; hic autem habemus insigne hepatis imminuti exemplum.

ni violentæ adſcribendum eſſe videtur. Atque hoc foramen tam amplum erat, ut vivus facile, quando voluerat, inteſtina prolapſa in abdomen reponere, eaque, ut ante mortem mihi ipſe referebat, per vinculum quoddam inter geſticulationum molimina & conatus in ventre detinere potuerit.

9.) *Vaſa tamen ſpermatica* prope ſcrotum & in ſcroto *cum tunica ſacci ita concreta & implexa erant*, ut ſine laceratione a ſacco ſeparari nulla ratione potuerint; id quod ſectiones herniarum ſæpe difficillimas reddere poteſt.

10.) *Circa inteſtina* vero notatu dignum deprehendebatur, quod, licet inteſtina craſſa naturalem habuerint longitudinem, tenuia tamen tam brevia fuerint, ut, quæ alias fere ſemper ſexies æquant longitudinem hominis, unde deſumta ſunt, hæc geſticulatoris inteſtina *tantum bis ipſius longitudinem æquarent*, adeoque ne dimidiam quidem longitudinis partem haberent, quam alias vulgo habere ſolent, quumque alias circiter triginta pedum longitudinem obtineant, hic vix decem pedum longitudinem ſuperarent. Quod qua ratione acciderit, dici facile non poteſt. Attamen propter brevitatem ſive paucitatem horum inteſtinorum, quæ etiam craſſitudine & amplitudine inteſtina tenuia aliorum hominum non ſuperabant, facile ea omnia in cavum dextri hypochondrii magnum, quod inter hepar & coſtas fuiſſe, ſupra indicavimus, repelli & abſcondi potuerunt, ita ut abdomen infra coſtas usque ad oſſa pubis & iliorum omnino vacuum videretur, & quorſum abierint inteſtina, dici haud potuerit.

11.) *Teſticulus dextri lateris* cum ſacco herniæ & tunica vaginali firmiter erat concretus atque valde exiguus.

12.) *In altero rene* pelvis ſtricte ſic dicta, ut vulgo eſſe ſolet, non erat, ſed *duo quaſi tubuli* e concava renis parte prodibant, qui extra renem ad transverſi digiti latitudinem coibant, & pelvim infundibuliformem conſtituebant, quam

etiam

etiam delineari curavi. Vid. *Tab. I. Fig. 2.* ubi *A B* duplex ureteris initium denotat, quod in loco *C* in simplicem coalescit canalem, qui quasi pelvim extra renem format.

13.) *Vesica* quamplurimis *eminentiis membranaceis sphæroideis* obsita erat: *quæ tot quasi diversas vesicas minores, diverticula, sive sinus efficiebant*, quarum una cum ovi gallinacei fere magnitudine conveniebat, altera vero ad ovi columbini, aliæ denique ad minorem accedebant magnitudinem, & quæ, inflata vesica, omnes intumescebant & cum cavo vesicæ conjunctæ erant, aperta vero vesica concidebant. Ex ipsa vero vesica tot foramina sive hiatus patebant in minores illas vesiculas sive sinus, quot fuerant eminentiæ, horumque hiatuum maximi digitum admittebant, paullo minores calamum anserinum, minimi stilum satis crassum, ita ut liber patuerit aditus urinæ in hæc diverticula liberque reditus. Atque quum ejusmodi vesicæ constitutio calculis originem dare, eorumque eductionem sæpe difficilem vel prorsus impossibilem reddere possit, placuit hujus singularis vesicæ fabricam jam pridem duabus figuris in *Institutionibus chirurgicis* meis Tab. XXXII. Fig. I. & 2. exhibere; quarum prima situm magnitudinemque naturalem designat; altera vero faciem vesicæ posteriorem ostendit.

14.) Quod ad *vesiculam fellis* attinet, ea valde *magna* & *nigerrima* erat, bilemque valde atram, atramento fere similem, continebat.

15.) Quum vero vesicula fellea adeo magna esset, consultum duxi, accurata diligentia in *ductus hepatico-cysticos* inquirere; atque jam putaveram me aliquem offendisse, verum, re accuratius examinata, deprehendi, vas illud, quod ductum hepatico-cysticum esse existimaveram, ramum arteriæ esse hepaticæ, qui ex hepate ad partem posteriorem cervicis felleæ vesiculæ abibat, atro hujus fellis colore

tinctus,

tinctus, ex quo facile stylus per tunicas vesiculæ felleæ transmitti potuisset, nisi cautissime egissem. Verum enim vero flatus in ramum hunc arteriosum versus vesiculam immissus, ramificationes ejus per felleam vesiculam distincte docebat, & quum flatus per eandem aperturam hujus rami versus hepar immitteretur, flatus non in porum bilarium, sed in arteriam hepaticam intrabat: unde certissime coniici poterat, hunc ductum, qui facile alicui imponere, atque, ob colorem & ex hepate in vesiculam felleam ingressum, pro hepatico-cystico haberi potuisset, non nisi ramum arteriæ hepaticæ fuisse, qui vesiculæ felleæ ad nutritionem & forte etiam secretionem bilis cysticæ inserviebat.

16.) *Ventriculus valde erat exiguus*, & vix dimidiam partem magnitudinis naturalis adæquabat. Quod forte inde factum est, quia, (ut vidua relicta mihi referebat) paucissimo semper cibo, at multo spiritu vini semper usus fuit hic gesticulator, ut tanto expeditius exercitationibus suis gesticulatoriis, alioqui multo cibo adsumto ægrius peragendis, perfungi potuerit.

17.) *Finis œsophagi* & principium ventriculi, sive os ventriculi sinistrum, valde *erat inflammatum*.

18.) *Ventriculus* etiam & *intestina* omnia *valde teneram obtinebant substantiam*, ita ut inter elutriandum & inflandum, licet caute cum ipsis ageretur, dissilirent ac rumperentur.

19.) *Ligamenta articulorum*, præsertim pedum, erant valde laxa & ampla; unde factum est, ut mirabiles illas motiones & distorsiones iisdem perficere potuerit.

20.) *Ossa* pro sceleto instruendo coquere & mundare animus erat: verum post coctionem tam tenera & friabilia multa deprehendebantur, præsertim spongiosiora, e. g. vertebræ, costæ & externæ ossium majorum partes sive epiphyses, ut impossibile fuerit, ipsa sine fractura perforare

& filis æneis connectere. Utrum hæc phænomena frequentiori, imo continuo usui spiritus ardentis adscribenda sint, nec ne? doctiorum judicio relinquam.

## *OBSERVATIO III.*

## DN. D. LAURENTII HEISTERI

### *De Virgine, ex insigni ventris tumore, ob robustum hymen prorsus clausum & inde collectum in vagina uteri sanguinem, laborante feliciterque sanata.*

Anno millesimo septingentesimo quadragesimo nono parentes honestissimi, virginem quoque honestissimam, quindecim annos natam, aliunde ex celebri quadam urbe huc, ad eam curandam, ad me transtulerant; qui mihi referebant, hanc ipsorum filiam (quæ ceteroqui bonæ staturæ, robusta & vegeta erat,) licet decimum quintum annum fere absolverit, menses tamen nondum esse expertam, atque a variis sævis symptomatibus, inprimis atrocibus lumborum & imi ventris doloribus sæpius vexari, quibus sanandis variorum Medicorum consilia, sed omnino frustra, fuerint adhibita; supervenisse postea insignem imi ventris tumorem, instar gravidæ quinque vel sex mensium, ægramque in ipsis sæpe partibus pudendis peregrinum quasi corpus, vi exitum moliens, sensisse. Unde ipsam porro insignibus molestiis, vehementibusque & ventris & dorsi infimi & pudendorum doloribus affectam summisque anxietatibus subinde vexatam parentes dicebant. Quibus factum est, ut dum omnibus Medicorum auxiliis frustra adhibitis nihil emolumenti ægra perceperit, unus tamen eorum, qui mihi amicus est, parentibus, quo filiam suam ad me

defer-

deferrent, persuasit, quum ex sua sententia malum hoc non medicamentis, sed manu, eaque perita, tolli posse existimaret.

Quapropter quum ex prægressa hac relatione jam suspicatus essem, virginem hanc vagina clausa vel membrana hymenis prorsus integra ac solida laborare, inspectionem oculatam præ omnibus hic necessariam esse ipsis indicavi, ut mali natura & oculis & manibus rite explorari, & postea optima medendi via eligi queat.

Quamvis vero non solum parentes, verum quam maxime etiam modestissima virgo ipsa ex pudore intempestivo ægre hoc admittere voluerint: tandem tamen, quum sine hac exploratione naturam mali haud cognosci, nedum curari posse indicarem ipsis, præsente adhuc alia honesta matrona inspectionem concesserunt.

Simulac igitur ventrem ipsius admodum tumidum, & mulieris sex menses gravidæ abdomini æqualem, haud sine admiratione conspexi, quia hoc in virginibus honestis rarum est spectaculum; haud inficior, varias mihi enatas esse cogitationes, unde venter ille adeo magnus ac tumidus in virgine ceteroquin sana atque satis vegeta ortum traxerit, quum hujus amplitudinis venter mulieribus potius, quam virginibus hujus ætatis peculiariter soleat convenire.

Enimvero quum ad partes genitales & inprimis *os vaginæ*, tanquam sedem hujus mali, inspiciendum progrederer, diductis pudendorum labiis mox tumorem subrotundum, ex rubro lividum, instar dimidii globi, qui in mensis lusoriis, quas *Billard* vocant, adhiberi solent, prominentem conspexi, quem virgo hæc antea, dum sensum pressionis in hoc loco sæpe perciperet, ac, quid hoc sibi vellet, digitis quandoque exploraret, vel tumorem aliquem p. n. vel uterum ipsum, qui prolapsus esset, ut postea dixit, esse putavit.

Sed re hac probe & viſu & tactu conſiderata, neutrum horum eſſe mox cognovi. Senſi enim, dum tumorem leniter digitis premerem, *tunicam craſſam & robuſtam*, quæ hanc vaginam ubique & tam exactiſſime claudebat, ut nihil ſanguinis transmitti potuerit; unde etiam factum eſt, ut liquidum quoddam poſt hanc membranam fluctuaret, quod, ob colorem illum tunicæ ex purpureo-nigricantem, ſanguinem, qui per hanc viam menſtruo tempore excerni debuiſſet, hic collectum exiſtimavi.

Cognito itaque hoc morbo, & qualis ægrotæ ſtatus, & quid faciendum eſſet, parentibus dixi, bonoque animo ipſos eſſe juſſi, quum de felici curationis exitu non dubitarem. Abii igitur, ut ad inciſionem omnia mox pararem, ſine mora ſuſcipiendam, ægrotamque poſt reditum oræ menſæ luci oppoſitæ, emiſſa prius urina, ita imponendam curavi, ut pedes ejus terram verſus dependerent, quos a matre & matrona illa parum diducendos præcepi. Ad hæc etiam duas ollas, quarum quælibet tres libras commode capere potuit, in promtu eſſe juſſi. His ita peractis, in medio hujus prominentis tumoris primo parvo vulnere, ſcalpelli vulgaris chirurgici ope, membranam hanc craſſam ſine omni fere dolore perforavi; quo facto mox quaſi ex magna vena ſanguis niger craſſiuſculus quidem, attamen non coagulatus aut grumoſus, ſed ſatis fluidus, ita tamen, ut juſculi carnei ſpiſſitudinem haberet, jugi fluxu arcuato effluxit. Inter hæc vero, forfice hoc vulnus ſurſum deorſumque ut & transverſim dilatavi, unde ſanguis amplius & copioſius adhuc, ad quinque fere libras, quas olliis illis accepimus, uno actu, inter tria vel quatuor horæ momenta, ſine omni ægræ debilitate aut animi deliquio, manavit, quæ copia alias in emiſſione aquarum in paracenteſi abdominis, vel in paracenteſi empyematis thoracis plerumque, ſi aqua aut purulenta materia omnis uno actu & con-

fertim emittitur, modo dicta symptomata inferre solet. Contra ea cum ingenti euphoria, agilitate, & alacritate ægræ emissio hæc facta est, adeo, ut liberata illo pondere virgo mox rursus in cubiculo deambulare potuerit, & venter ille, qui antea mulierem gravidam mentitus erat, post tria vel quatuor illa momenta virginis pulcherrimæ optime conformatum corpus exhiberet. Cessabat simul omnis illa percepta molestia & anxietas, quæ ipsam antea fere constanter & misere afflixerat, &, quasi e terra in cœlum subito translata esset, ipsa sibi præ gaudio videbatur.

Expertissimus FABRICIUS *ab* AQUAPENDENTE, magnus ille olim Medicus atque Chirurgus Patavinus, in *Operibus suis chirurgicis, Cap. de Hymene imperforato*, in ultima Editione Patavina, quæ 1666. prodiit, pag. 269. simile fere malum similemque fere curationem descripsit. In eo tamen ipsius exemplum a nostro differt, quod sanguis effluens fuerit crassissimus & ita corruptus, ut summum fœtorem spiraverit, quum in nostro casu nullus prorsus, quod mirandum, fœtor adfuerit. Idem vero, utrum ista ægrota tali, qualem nostra habuit, ventris tumore laboraverit, nec ne? reticet, neque emissi sanguinis copiam definit.

Omni vero sanguine emisso, turundam siccam, magnam, pollicis fere crassitudine, in vaginam per foramen factum immisi, ut sic via illa recens a me facta aperta servaretur, nec denuo concresceret, eamque sequenti die, inuncto prius unguento digerente, & postea singulo matutino & vespertino tempore renovavi, vulnere simul & vagina a sordibus & colluvie sanguinolenta semper bene purgatis. Turundam vero semper imposito splenio & fascia T, ne excideret, probe firmavi. Hacque deligandi ratione post octiduum fistulam plumbeam, digiti medii longitudine & amplitudine, unguento de cerussa, tanquam idoneo exsiccante, oblitam, singula deligatione mundam

immiſi, eamque filo robuſto, in fine affixo, munivi, ut tanto commodius, cum deligatio eſſet repetenda, eam extrahere potuerim *a*).

Quæſtio vero merito hic eruditis proponenda mihi videtur: *quibusnam in locis*, in virginis hujus ventre, *tanta copia ſanguinis hæſerit*, aut *latuerit*, ut mulieri gravidæ inde ſimilis reddita fuerit, & emiſſo hoc ſanguine per vulnus membranæ hymenis mox ventrem virginis rurſus adepta ſit. In cavo ventris extra uterum ipſum hæſiſſe ob multas rationes mihi haud vero ſimile videtur. In utero vero & vagina etiam vix in virgine, ubi uterus admodum exiguus, tanta ſanguinis copia contineri poſſe videtur. Interea tamen, donec aliquis meliora proferat, exiſtimo, hanc maximam ſanguinis partem in ipſo utero hæſiſſe, quæ ventrem, ut in gravidis fœtus cum aquis, elevaverit, uterumque ſenſim ſenſimque a ſanguine ibi per vices depoſito extenderit; quod ex magno ventris tumore judico. Neque tamen negaverim, partem ſanguinis etiam in vagina hæſiſſe. Poſteaquam vero membrana inciſa erat, ſanguis omnis, & in vagina, & in utero collectus, per hanc viam libere effluere potuit, eoque facto etiam uterus mox ſe rurſus contraxit & detumuit.

(*Helmſtadio Norimbergam miſſæ d. 12. Maii 1750.*)

a) FABRICIVS ille de curatione poſt factam inciſionem nihil præterea adjecit, quapropter eam hic addere volui.

*OBSER-*

## *OBSERVATIO IV.*

## DN. D. GEORG. CHRISTIAN. MATERNI de CILANO

### *De Intestini coli portione e vulnere hypochondrii sinistri extra abdomen propendente, nec tamen ab aëre per longam annorum seriem corrupta.*

Non repetenda duxi ea, quæ jam olim, anno nimirum hujus seculi vicesimo, Cel. Archiater HELD ab HAGELSHEIM in *Annalibus phys. med. Wratislaviens. Tentam. XIV. Mens. Novemb. 1720. Class. IV. Articul. IX. pag. 552.* de hoc casu adnotavit, ubi & intestini prolapsi iconismum fieri curavit; sed in præsenti tantum celeberr. *Bern. Siegfr.* ALBINI, propria manu scriptum, de hoc casu, cum publico communicabo testimonium, cujus verba sunt quæ sequuntur: *Cum me rogaret* Georgius Deppen, *qui has tibi exhibet, ut conscriberem brevem historiam vulneris, quod anno ab Epocha Christi MDCCVI. acceperat, & propter admirabilitatem rei minime vulgaris, atque Medicis & Chirurgis haud ingratæ, nec inutilis futuræ, operæ pretium facturus viderer, nolui hoc auxilium ei denegare.*

*Narravit igitur mihi, postquam in dicto prælio pugione sub extremis costis, in latere sinistro, percussus fuerit, annos nondum habens viginti, Chirurgum, qui inflictum vulnus sanaturus erat, id primo dilatasse paululum, mox obligasse. Postero die, cum vulnus denuo inspiceret, deprehendisse in eo* aliquid hesternæ cœnæ; *tunc id auxisse cultro ante & retro, & plagam effecisse spithamam excedentem; excidisse &* carnis *quædam* frustula, *ut manum per plagam in interiora*

*riora demittere posset; tunc vero confestim erupisse flatus cum multis* alvi excrementis.

*Deinde Chirurgum, cum iterum obligasset vulnus, interdixisse sibi, ne cibum caperet graviorem & ad concoquendum difficiliorem; suppeditasse ideo ad conservandas & reficiendas vires* juſculum *cum ovo; id vero cum sorpsisset, inde altera hora* ex vulnere fere effluxiſſe. *Eo tamen solo se usum fuisse per dies decem. Esurivisse interim & cupide appetivisse panis carnisve frustum: commilitonem tandem misertum esuriei, carnem panemve de suo clam impertivisse, quæ devoraverat avidissime &* retinuerat *in alvo per* horas decem.

*Callo interea sponte obducta fuit vulneris ora. Deinde vero cum* excrementa minus liquida *exirent, erumpere incepit* inteſtini portio. *Posteaquam vero e lectulo surrexerat, narrat, erupisse intestini* portiones duas, *unam superiorem, alteram inferiorem, quæ, decursu temporis, singulæ spithamam fere longæ factæ fuerunt, ut hodieque sunt.*

*Utraque portio, nunc ex latere ejus pendens, similis est elapso, ex ano, intestino recto, quam* ani procidentiam *vocant. Speciem habent intestini unius capacis inversi, quod duo habeat extrema arctiora &, medio suo ampliore, lata superficie adnatum sit abdomini. Cum incumbit lateri dextro, elapsa sua sponte in abdomen* ſe retrahunt, *præsertim portio superior, incipitque motus ille ab extremo, &, per elapsi longitudinem, oram plagæ versus pergit, quo simul intestinum, prius inversum & elapsum, nunc iterum in abdomen quasi retractum, in naturalem situm se vertit, haud aliter, ac si intus in abdomine dextrorsum traheretur. Id autem fit longe facilius & citius, si in extremam aperturam elapsi, digitum demittat, eumque in orbem leniter ducendo, dilatet aperturam & deleat rugas. Isto modo potest plane reducere portionem superiorem;* inferiorem *autem* numquam

*quam tam accurate, quin inversa & rugosa semper assurgat paululum.*

*Postquam reduxit utramque, amplum sub costis foramen patet, ad* coli intestini *cavum, quod* disciffum *scilicet, & supra infraque expressum ac* inversum, *e latere pendulas portiones facit. Etenim colon in latere, ubi a liene pelvim versus descendit, & musculo transverso, peritonæo proxime adnectitur, una cum integumentis & musculis fuit pugione transversim discissum & dein a Chirurgo fere perscissum, vulnusque intestini cum vulneris externi ora concrevit, sicque colon in hoc progressu suo accepit foramen amplum, per abdominis vulnus foras patens. Quare factus est* novus *in latere* anus, *sed patulus, nulloque claudendus sphinctere; ipso ceterum ano legitimo perpetuo clauso.*

*Itaque nec intestinum colon retinere valet, quod pressum inversumque elabitur, nec* impedire excrementorum alvi, *ex portione elapsa superiore, præter voluntatem* effluvium *crebrum & fere continuum. Et longe minus videtur stercus retenturus esse, nisi colon ipsum inversum & foras protrusum suam arctaret capacitatem.*

*Cum ceterum reduxit elapsa, & incumbit lateri dextro, imo surgit placide & respirat leniter, vix elabuntur. Ad tussiculam vero similesque agitationes confestim erumpunt seseque erigunt, inprimis portio superior. Elapsa* muco obducta sunt, rubent *cum se erigunt quasi tenduntque; deinde vicissim* pallent *magis cum se* retrahunt *& flaccescunt,* contrahuntque in rugas.

*Utraque portio elapsa veluti* verrucosa *est, magis tamen inferior: inter eminentes illas carunculas aliæ parvæ sunt, aliæ majores, orbiculares, vel & alterius figuræ depressæ & latæ: hæ rubent, illæ habent candore mixtum ruborem; pleræque pallent & quasi obducuntur crusta qua-*

 *dam*

*dam mucosa, inæquales rimas agente & cinerea. Si tangas hæc tubercula vel durius attrectes*, sanguinem fundunt *sæpe copiosum: nascuntur, mutantur, evanescunt, redeuntque.*

*Narravit porro, elapsa, cum aliquando haberet febrem, fuisse plane flaccida & pallida. Decem abhinc annis frigorum vim optime sustinuisse, ut ea etiam tempestate perfrigida aqua Rheni glaciali abluerit, nullo inde affectus incommodo. Nunc vero, si modo* aërem frigidiusculum *ad ea admittat, illico* tussim supervenire, *cessareque se tussire, postquam recaluerit. Si diu ambulet in sole & nimiis caloribus, ut frigidam nancisci nequeat, qua abluat elapsa & mundet, incipere ea fœtere,* durescere, *obduci pelle nigra, mucosa, sanguinea, quæ nasci incipiat ex medio aperturæ portionis elapsæ, primo superioris, dein & inferioris, repatque supra elapsa ventrem versus, ac pertinaciter eidem adhæreat, & sæpe quasi oppilet aperturam. Supervenire tunc tormina in ventre; nihil se cibi potusque appetere, imo ne eorum quidem, quibus forte vescatur, saporem sentire, animoque esse abjecto & fracto. Tunc si* lateri dextro incumbat, *elapsa in abdomen paulatim* recedere; *multo citius & facilius si dormiat, atque post horæ dimidiæ vel unius quietem redire corporis vigorem. Cum deinde intestini portiones iterum prodeant, facile iis se detrahere pellem nigram, ac sub ea intestinum pulcre rubere, ut antea.*

*De cetero valens est & robustus, annum agens quadragesimum. Ex quo vulnus istud accepit, uxorem duxit, & ex ea habuit liberos. Ex ano nunc fere quotidie, non stercus, sed aliquid muco albo simile, ut ait, exit. Quandoque cum magna molestia exit aliquantum materiei albæ, sed picis instar tenacis, præsertim postquam elapsa in abdomen reducta aliquamdiu retinuerit.*

*Nec omittendæ sunt, quas de cibi & potus, quibus usus fuerit, varietate & copia ab eo accepi observationes. Nempe*

*1.) Optime*

*1.) Optime se valere, cum cibi & potionis tantum adhibeat, ut fames sitisque depellatur.*

*2.) Ex cibariis optimum esse carnis & panis modicum, cum pauca cerevisia fortiore; hæc enim alvum horas novem decemve continere & dimittere mutata. Panem vero album & siligineum præstare furfuraceo & plebeio.*

*3.) Fructus, qui dicuntur horæi, legumina, olera, & id genus alia,* vix horas duas *in alvo manere, exire fere integra adhuc, plerumque nec colore quidem mutato, nec misceri reliquis excrementis.*

*4.) Quo plus butyri, vel pinguedinis, his inter coquendum additum fuerit, eo diutius contineri ab alvo, sæpe totos dies tres.*

*5.) Si nimium bibat cerevisiæ, aut potus cujuscumque, qui repleat alvum, intumescere elapsa & sordescere, portionemque superiorem multum flatus & liquidi cum stercore emittere.*

*6.) Denique si bibat aliquot cerevisiæ cyathos, & isto die nihil comedat, veram cerevisiam, altera post eam epotam mora, paulatim effluere.*

*Habes breviter & simpliciter, mi Lector, præcipua, quæ vel coram observando, vel ex eo sciscitando rescire potui. Vale & hanc historiam Medicis & Chirurgis ad multa utilem in numerum observationum rariorum mecum repone. Dabam Leidæ Batav. die XVIII. Julii, Anno MDCCXXV.*

Bern. Siegfr. Albinus, M. D.

*Medicin. Anat. & Chirurgiæ in Academia Batava, quæ Leidæ est, Professor.*

Hanc vulneris hiſtoriam dignam omnino reputavi quæ Actis Illuſtris Academiæ Nat. Curioſ. inſereretur, ne intercideret, partim ob caſus raritatem, partim ob Illuſtris ALBINI operam, quam in ea deſcribenda adhibuit; cum præſertim in *Annal. med. phyſ. Wratislavienſ.* juſto brevior tradita ſit. Anno 1727. die 7. Febr. acceſſit me iſte homuncio, emendicans ſtipem pro viatico. Poſtquam enim magnam Germaniæ partem, Belgium & Angliam pervagatus eſſet, jam iter in Daniæ regnum meditans, oſtiatim & vitæ & propoſiti rationes exponere ſolebat, ubique oſtendens ſauciati abdominis vulnus & prolapſi coli portionem duplam. De collo pendebat lamina ferrea ſtanno obducta (*eine verzinnte Blech-Platte*) ſeptem pollices lata & novem longa, coli propendentes portiones immediate tegens, ut ſcilicet inteſtinum, quod intenſius tunc rubebat, a crebra tunicæ frictione & metuenda inflammatione defenderet, ipſamque tunicam ab inteſtini madore & muco immunem ſiccamque ſervaret. Non *Hildeſienſem*, veluti *Annal. med. phyſ. Wratislavienſ. loco citato* adferunt, ſed *Paderbornenſem*, ex urbecula *Trineberg*, apud me ſe profeſſus eſt. Attritis incedebat veſtibus & ad arcendum frigus ſatis ineptis. Homo ceterum minoris ſtaturæ erat, loquelæ ingratæ & moroſæ; inebriatus autem hilaris & loquax. Natus 1684.

Huic homini, in Belgio a celeberrimis artis noſtræ Profeſſoribus per omnem vitam oblata ſunt victus & amictus ſubſidia, eo fine, ut poſt hominis mortem orbi medico tandem innoteſcerent, quæ in iſthoc corpore ſingularia & obſervatu digna exploratori anatomico ſeſe obtuliſſent. Tanto vero beneficio frui ultro detrectavit, ob religionem, quam prætexebat, & filiolos, quos duos jam ſuſceperat.

Quod autem artis noſtræ in hoc caſu vel maxime intereſt, illud fere erit: Ratione & experientia totam niti ar-

tem

tem medicam, verum quidem eſt; ubi vero ratio valet, ibi non ſemper annuit experientia; quid? quod experientia una, vera & ſolida, rationi in certis ceterorum individuorum caſibus contradicere poſſit, licet in multis aliis nequeat. Docent artis magiſtri, & probat idem quotidiana experientia, uteri, ani, aliorumque inteſtinorum prolapſum diuturniorem, ex aëris, inprimis frigidi, liberiori acceſſu, ſequi ſolere ſanguinis in vaſis capillaribus tardiorem progreſſum, condenſationem, ſtaſin, & veram inteſtinorum corruptionem gangrænoſam, ipſumque ſphacelum. Quamobrem maturato ſemper auxilio opus eſt, quod etiam artifex, quantum fieri poteſt, ſine notabili temporis diſpendio, ferre contendit, per aptam repoſitionem partim, partim vero per applicatos fotus, calorem naturalem excitando & conſervando. Et ſicubi horum quoddam defuerit, aut negligentius adhibitum ſit, tum pœnam luet artifex, amittendo bonam famam; æger vero jacturam faciet ſanitatis ac vitæ. Caſus tamen, hac obſervatione communicatus, *experientiam ſiſtit, experientiæ propemodum perpetuæ contrariam* & monſtroſi quid alentem. Demonſtrat inſuper quanta ſit in quibusdam ſubjectis energiæ naturalis potentia; quanta vis, in defendenda parte læſa & male tractata, ne corrumpatur; quantum artificium in conſervanda reliqui corporis ſanitate. Si ceterum *medicamenta* ſpectemus, vagus iſte homo utitur nullis. Si *diætam*, craſſa eſt, qualis mendicantium eſſe ſolet, & minime laudabilis. Si regimen, peſſimum illud eſt. Et quamdiu Londini oberravit, in aëre craſſo, & fumo ex lithantracum igne aſcendente inquinato, verſatus eſt. Sæpe, ut mihi narravit, fortiori Anglicana cereviſia inebriante abuſus, interdiu ſudavit, noctu autem alſit. Neque cum in Angliam transveheretur, neque cum inde rediret, *vomitu navigantium* tentatus eſt. Semper ſanus & tantarum virium, quantæ ad pervagandas terras ſufficere poſſunt.

 *OB-*

# *OBSERVATIO V.*

## DN. D. GEORG. CHRISTIAN. MATERNI de CILANO

### *De Globulis plumbeis loco medicamenti ſtomachici adſumtis, eorumque effectu deleterio.*

Virgo ruſtica viginti annorum, ceterum ſana & bene menſtruata, temperamenti maxime ſanguinei, de dolore in ventriculo premente conqueritur: a hera vero ruſtica, cui ancillabatur, id accipit conſilii: opus ſcilicet eſſe ventriculi purgatione, quam præſtare optime poſſint globuli plumbei a venatore petendi (SCHROTT ſeu HAGEL), & ternis vicibus aſſumendi, *allezeit einen Fingerhut voll.* Dicto audiens fuit credula, plumbeum deglutivit medicamentum, plumbeo obſequio. Per biduum tranquilla fuerunt omnia; tertio autem die, poſtquam vis periſtaltica omnes e ventriculo expuliſſet globulos, ægram invaſerunt dolores abdominis horrendi, torminoſi, prementes & ponderis inſtar deorſum trahentes. Invaluerunt præterea *anxietates*, *æſtus urens, pulſus fortis* & *durus*, *ſitis* nullo potulentorum genere compeſcibilis, *conatus* ad vomendum, ſed *irriti*, tandem *convulſiones* & die quinta *mors*. Secto poſt mortem abdomine, & partibus inſpectis, omnia reperta ſunt ſana, etiam ventriculus illæſus, ileon vero in latere ſiniſtro magnam partem gangræna corruptum, intra cujus valvulas conniventes collecti inventi ſunt globuli plumbei, qui, ob debilitatam vim expultricem & prorſus deficientem, inflammationi & gangrænæ mortiferæ locum dederunt.

OBSER-

## *OBSERVATIO VI.*

## DN. D. GEORG. CHRISTIAN. MATERNI de CILANO

### *De variis naturæ moliminibus, suppressam narium hæmorrhagiam, sub vario congestionum, restrictionum & excretionum schemate supplere conantibus.*

Puer ingenuus temperamenti sanguineo-cholerici, annum ætatis decimum tertium ingressus, inde ab anno octavo ad decimum usque inclusive, crebro nimis *per nares sanguinem fudit*; hanc humorum jacturam habitus excepit macilentus cum facie subpallida. Anno undecimo & duodecimo consuetæ alias & frequentes *hæmorrhagiæ cessarunt penitus*; valetudo vero pueri, ob euphoriæ vicissitudines, per idem biennium fuit anceps.

Mense hujus anni Januario toto, ac per Februarii dimidium, insuetam prorsus expertus est *salivationem spontaneam*, seu continuam & copiosam salivæ excretionem. Hæc sponte etiam cessavit & multum levaminis attulisse visa est parentibus; hac etiam finita, annus simul ætatis duodecimus transactus erat. Vltimis Februarii diebus tempestas serena & sicca allexit parentem, ut ad amicum vicinum peregre proficisci constitueret, & animo recreandi ergo filium itineris habere socium vellet. Profecti sunt ambo. Postea vero quam tria milliaria, rheda vecti, emensi essent, corripiunt puerum *palpitationes cordis* cum *æstu* & *lassitudine* prægravante. Prope jam aberant ab amico, ad quem tendebant. Illic cum adventassent, *nares parum fuderunt sanguinis*, sine levamine. Insufficientem hanc sanguinis

excre-

excretionem presso pede secutus est *rigor genuum* & *musculorum tibiæ*. cum dolore, adeo, ut nec flecti, nec commode extendi potuerint. Cum post quatriduum pararetur abitus, eo ipso die mane *de novo stillavit sanguis per nares*, sed parcius.

*Spasticus* vero *rigor*, qui aliquantulum remiserat, eadem, qua cœpit, vehementia *iterum adflixit* ægrum; novumque insuper observatum est symptoma, copiosæ nimirum *maculæ scorbuticæ* circa malleolos & tarsum utriusque pedis. *Humerus* sinister *intumuit*, & spasmo arthritico affectus est. Ad hæc porro accesserunt *dolores spinam dorsi quasi lacerantes, tormina ventris* & *alvi obstructio*, cum *suffusione oris*, vermes quasi mentiente.

In latere sinistro, circa costas spurias *acutum* sensit *dolorem, pleuroponum* ab HIPPOCRATE dictum, ex sanguine in musculis intercostalibus restagnante & respirationem difficilem, excretionem vero molestam nimis efficiente. Aderat in artubus *summa movendi impotentia*, ut æger ipse corpus movere aut erigere, nec artus tendere aut flectere valeret.

*Post biduum* tandem, sub pulsu celeri & pleno, secuta est *larga diaphoresis*: obstructio alvi sublata est per clysterem emollientem, quo facto pater, graviora metuens, cum filio se iterum viæ dedit. Iter erat unius diei, & filius post reditum, confestim lecto traditus, cum iisdem conflictabatur malis, cum quibus antea.

Die decima tandem, undecima & duodecima mensis Martii secutus est *mictus cruentus*, inter mingendum dolorificus & convulsivus; oculos enim tunc mire torsit, retorsit & brachia multifariam quatiendo, de *dolore in regione lumbari conquestus*, eundem vociferatione incondita prodidit.

Latus dextrum & humerus dexter tumore conspicuo afficie-

afficiebantur, quod ipsum, una cum reliquis symptomatibus, adstantibus ansam dederunt fabulandi, hunc morbum esse magicum, & nescio quibus artibus sanandum. Verum enim vero, una venæsectio in pede puerum post decem dies, interpositis blande laxantibus, ad miraculum usque restituit sanitati, ac simul docuit, in tenera licet ætate neque in Germania reformidandas esse venæsectiones, tametsi id apud Germanos non ferat consuetudo.

## *OBSERVATIO VII.*

## DN. D. GEORG. CHRISTIAN. MATERNI de CILANO.

### *De frequenti & per plures annos durante alimentorum non digestorum rejectione per vomitum.*

Adolescens novendecim annorum, phlegmatico sanguineus, adeoque laxioris texturæ, stupidæ indolis, vorax insuper & deses, inde ab anno ætatis *decimo tertio*, ad usque decimum nonum, symptomate diro & circumstantibus admodum molesto vexatus est. Noctu enim aliquoties e somno alioquin quieto & profundo evigilans, sibito erexit corpus, tussitavit, exclamando, proxime juxta se decumbentium efflagitavit opem. Exscreavit aliquantum, & de novo ad somnum se componens, obdormivit. Hæc singulis noctibus. Interdiu paulo aliter scenam lusit. Horis matutinis, ante jentaculum, sensit *cardialgiam* cum capitis *dolore vertiginoso*, facie lurida & crebra *oris suffusione*. Adsumto vero jentaculo, vultus fiebat vividior cum euphoria temporaria. Hora vero ante meridiem undecima, *jentaculi portiones* indigestæ & ob quorundam dentium defe-

ctum malei maſticatæ & per œſophagum *regurgitantes* effecerunt, ut glottidi contractæ, epiglottis firmius adpreſſa, *reſpirationem* faceret *anxiam magis* & impeditam. Occluſus etenim ad tantillum tempus in veſiculis pneumonicis aër, magis elaſticus factus, & eruptionem moliens, *tuſſim* excitavit, non quidem pertinacem, ſed *impetuoſam*, quæ ob ſui vehementiam, tam patienti, quam adſtantibus terrorem & ſuffocationis incuſſit metum. Quam ob rem parentes, eorum, quæ fierent in occulto, ignari, dicere ſolebant: es fället ihm ſo eine Schärffe herunter, daſſ er unverſehens huſten muſſ. Ex inadvertentia enim, exprimere non valebant, quod aliquid alimentorum per œſophagum aſcendiſſet. Nam quoties in os cibi portio, per motum periſtalticum inverſum, delata eſſet, *ſubito* eam *deglutivit* & confeſtim *tuſſivit*. Inter prandendum, itidem eodem regurgitantium alimentorum malo vexatus, proxime adſidentes ambabus manibus comprehendit repentino impetu, vocem tamen articulatam pronunciare nequivit, ſed inconditum ſonum, inter rhonchum & murmur medium, edidit. Poſt vanam exſcreationem ordinarie potum ſumſit & prandere perrexit. Finito tandem prandio ſequebantur *vomitus* nidoroſi & *fœtidi*, alimentorum indigeſtorum partem rejicientes, quæ intra trihorium *ter*, non raro etiam *quinquies* recurrebant. Alimentorum portionem eam, quam vomitu ſubito non excuſſit, jumentorum more diu *ruminatus eſt*, & iterum *deglutivit*. Poſt cœnam adſumtam *vomitus* quidem continuabat, ſed per eosdem *plus potulentorum*, quam eſculentorum rejectum eſt. *Alvus* ceterum ſemper *laxa* erat; *urina* vero *craſſa* & interdum *albicans*, inſtar ſaponis aqua ſoluti, apparuit. Quotiescunque ſtatim *poſt prandium, carpento vectus*, ad unum alterumve milliare profectus eſt, *nihil revomuit*, *neque tuſſivit*, cum tamen contrarium metuendum videretur. At

ubi

ubi itinere obſoluto cœnam ſumſit, poſt illam *malum* diu *inveteratum* ex conſueto recurrebat.

## Scholion.

Temperamentum, ventriculi atonia, prava voracitatis conſuetudo & vita ſedentaria *pepſin læſam* & depravatam fuiſſe, dilucide ſatis arguunt. Vi temperamenti & texturæ tenerioris, *laxitas* aderat *omnium partium, caloris* item *naturalis debilior vis*, cum *ventriculi* ejusque fibrarum *flacciditate inſigni*. Voracitate autem, ſeu intemperante eſculentorum ingeſtione, ventriculus, in ſe debilior, magis *gravatus*, digerere & blanda fermentatione ſolvere adſumta non valuit. Eam ob rem natura, quod grave ſibi eſſe ſenſit, per proximam viam *excutere potius*, quam in *chylum convertere* conſtituit. Quod vero curru vectus a conſuetis vomitibus pomeridianis feriari poterat, in cauſa fuit *motus paſſivus*, quo durante, *motus* humorum *progreſſivus* æque ac *inteſtinus auctus*, *caloris* in *ventriculo augmentum* non *excitavit* modo, ſed digeſtionem alimentorum in ventriculo ita *juvit*, ut ea perfieri ſine moleſtiis potuerit. De *ſuffuſione oris*, quod ad rem præſentem facere poteſt, aliquid jam obſervavit *Felix* PLATERUS *in Prax. Medic. Tom.* III. p. m. 701. In ventriculo humidiore, pituitam multam congerente, ſi illa ſurſum in fauces ipſumque os exſurgens ſputo ſe commiſceat, humiditatem illic copioſam gignens, ptyaliſmi cauſſa, uti ſi a capite eo feratur, interdum exiſtit. In quo mane *dum jejuni adhuc ſunt*, nec ventriculus aliud fere, quam aquoſam illam materiam continet, os madore plenum per frequentem & copioſam exſpuitionem ſe exonerare cogitur. De ruminatione poſt eſculentorum regurgitationem ſcite diſſeruit *Hier.* LUDOLFFUS, in *Diſſert. de apepſia, dyſpepſia & bradypepſia, Cap. II.*

§. *6. p. 21.* Depravatam & imminutam concoctionem inprimis indicant querelæ ægrotantium de ructibus, aliquot horis poſt aſſumtionem moleſtis, iisque nunc acidis, nunc inſipidis, nunc putridis & nidoroſis, nunc ſulphureis, nunc genuinum & aſſumtorum ciborum & potuum odorem atque ſaporem repræſentantibus: hinc iis tales effectus ſolennes ſunt, qui germanice redduntur: *die Widerkauung der Speiſen,* qui affectus brutis nonnullis proprii ſunt & naturales, ubi cibi per œſophagum, ob flatus & oppletiones in ventriculo contentas, iterum aſcendunt ad os, non quidem nauſeoſo ſemper ſapore, ut vomitus excitent, ſed tali, ut poſſint iterum ſine nauſea illos detrudere. De urina hujuscemodi ſubjectorum curate diſſeruit doctiſſ. ALBERTI *in Diſſ. de Uroſcopia,* §. *13.*

Effluit etiam & conſpicitur *albicans urina* & *lacteſcens,* cui copioſæ & non reſolutæ materiæ chyloſæ, pingues, lympathicæ & teneriores mucilaginoſæ inhærent; quemadmodum *extra morbos interdum ſubjecta juniora, voracia & in plena atque nutriente diæta conſtituta, talem urinam emittunt.*

(*Altona Halam miſſæ d. 20. Auguſt. 1750.*)

## *OBSERVATIO VIII.*

## DN. D. JOHANN. HERMANNI FÜRSTENAU

### *Vomitus ſingularia.*

Vomitus, uti motum ventriculi & inteſtinorum periſtalticum plane inverſum denotat, quo diu perſiſtente & ſæpius iterato œconomia animalis ſarta tecta perſeverare ne-

nequit; ita eundem vitæ & sanitati insidias struere serius ocyus lethiferas, quandoque & innoxium imo salutarem esse, quotidianus rerum usus docet. In pueris lactentibus ventriculum lacte onustum, id, quod superfluum & corpusculo tenello noxium erat futurum, absque labore vomitu reddi, cum manifesta pusionum ἐυφορία, res est in vulgus nota. Puerum recordor, admodum puer, qui vix a pastu ludum litterarium ingressus, mox eodem relicto domum repetere, & vomitu quælibet assumta reddere aliquamdiu coactus, pulchre deinceps adolevit, in hunc usque diem, dimidio interea seculo exacto, recte valens. Fœminam familiariter novi, quæ ex hæreditaria dispositione vel terroris, vel alius animi commotionis gravioris, vel & repletionis occasione, quælibet assumta, absque omni labore & conatu, vomitu reddidit, non nisi ventriculo prorsus vacuo remittente, reliqua plerumque sanam, vegetam, quin & torosam & succi plenam. Et sicut in fœminis, passionibus hystericis & motibus spasmodicis obnoxiis, vomitus familiare quidem, sed & innoxium plerumque symptoma est, sublato morbo primario sponte plerumque remittens, ita in viris, diuturno præsertim labore exercitis & induratis, accedens, majoris utique momenti est, & vitium aliquod in ventriculo & primis viis reliquisque visceribus primæ digestioni inservientibus, caussam plerumque agnoscit. Ex plebeja & rustica inprimis gente plures aliquamdiu notavi viros, alioquin robustos, sanos & victu simplici pro more gentis vitam sustentantes, qui vel quotidie, vel brevibus certe intervallis vomitu non sine labore & conatu vehementi exercentur, neque prius desinente, dum heri & nudius tertius, quin pridem assumta & in ventriculi fundo & plicis latitantia reddita fuerint omnia, cum alvi plerumque adstrictione pertinaci, siti, appetitu modo magis, modo minus vegeto, quin & voraci complicatis, quorum nonnulli, ma-

cie tandem consumti, vitam cum morte commutarunt, plerique tamen vitam plus minus causariam per annorum plurium lapsum in hunc usque diem trahunt.

Sed alii, vomitum frequentem vel & perpetuum experti, eo citius & certius fato succumbunt, quo gravior est causa, firmiusque visceribus inhæret, quod eundem producit fovetque, vitium, quoque magis vel enormes in diæta errores committendo, vel maturum convenientium auxiliorum usum negligendo, malo profundius radicato occasionem dederunt. Sic vir quidam litteratus, mediæ ætatis, optima sanitate gaudens, facie florida & habitu corporis toroso prædictus, officio publico admotus vitam cœlibem & prorsus solitariam amavit, solus cibum & potum, illumque & duriorem sæpe & nimia copia adsumsit, exercitationes corporis salutares neglexit, & occasione frequenti oblata, animi commotionibus nimium indulsit, indeque in morbum gravissimum incidit, quo per aliquot menses confectus, vomitu nulla arte corrigendo quælibet ori ingesta mox reddere, quoad spiravit, coactus est. Alius vir plus quam quinquagenarius, torosus pariter, robustus, sanus, vegetus & cujuslibet morbosæ dispositionis per omnem fere vitam expers, sed & vitæ genere inquieto & turbulento, deditus, diu noctuque, fame, ut putabat, urgente comedens, in-et extra pastum varia noxia, cruda, dyspepta, oblata quælibet qualibet occasione ingerens, potu sufficiente, & somno, necessario virium reparatore & dulci laborum solatio, neglectis, eam sibi ægritudinem sensim contraxit, qua, doloribus ventris exquisitis simul laborans, vomitu quælibet & diu ante assumta ore reddidit; nam & nucleos cerasorum, anno superiori forte simul ingestos, aliquoties se evomuisse, sancte aliquando affirmavit. Is vero remediorum, undiquaque conquisitorum, nullo degustato, aut saltem perfunctorie adhibito, malis hisce aliquot mensium

sium spatio confectus expiravit. Alius vir ejusdem fere ætatis, sed habitus corporis macilenti, cœlibatum (an castum semper?) sectatus, appetitu ciborum nimio & voraci præditus, quælibet oblata, frixa, farinacea, fructus horæos quavis occasione maxima copia, quod nullam inde noxam aut sentiret, aut metueret, ingessit, vinoque & spiritu vini ad ebrietatem usque indulsit. Is medio Februarii a. c. ob dolores abdominis, circa umbilicum inprimis molestos, una cum nausea, ciborum fastidio & languore totius corporis, opem medicam impetrare coactus, auxiliis quibusvis ex ordine præscriptis, & sedulo aliquamdiu usurpatis, nihil profecit, quin vomitus sensim accedens & paullatim incrementa sumens, una cum ventris in regione umbilici aliquali duritie, & tumor quasi farciminalis in toto abdomine tactui obvius, circa æquinoctium vernum monstri aliquid alere viderentur, id quod eventus confirmavit; vomitu enim sensim aucto & ad ultimum usque vitæ halitum, qui ad finem Maii mensis contigit, tumor abdominis in maciem ejusdem, quin & totius corporis, versus est, solo umbilico, qui inter initia morbi affectus videbatur eminenti tumore & rubore, ac dolore inflammatorio admodum conspicuo, urina quoque per totum morbi decursum difficulter & parcius reddita, ad finem morbi vitæque ipsius affatim excreta, alvo plerumque adstricta, neque remediis licet sollicitata levaminis quicquam afferente, vigiliis, siti, doloribus capitis & viribus prostratis, demum & motibus convulsivis & aphonia, & facie Hippocratica accedentibus. Remedia, ad vomitum compescendum passim commendata, ex mentha, mace, nuce moschata, cinnamomo & similibus aromaticis constantia, quin &, casu graviori, ex castoreo ipsoque opio parata, adeo officium non facere, ut malum potius adaugeant, & vomitum vix sopitum in dispositis resuscitent, plus simplici edoctus experientia audacter affirmo.

Major

Major in emeticis fiducia merito ponitur, siquidem, ut plerumque fit, morbi fomes in primis viis hæret, qui hoc, tanquam vecte, via brevissima expellitur, ut vomitum vomitu tollere neutiquam amplius paradoxum videri debeat. Sed ut multi eorum, quorum supra mentio facta est, medicamentis drasticis, undecunque conquisitis, & inter ea fortissimis quoque emeticis mineralibus & antimoniatis, cum præsentissimo vitæ & sanitatis detrimento sunt usi; ita qui blandiora emetica, & benedictam inprimis Ipecacuanhæ radicem mature & ex artis præscripto usurparunt, illi paucis plerumque subjunctis temperantibus, digestivis & tonicis remediis, manifestam vomitus remissionem experti, cum valetudine brevi in gratiam redierunt. Ita plures inter alios recordor viri mediæ ætatis, perpetua assumtorum vomitu aliquamdiu laborantis, ad quem per duo abhinc milliaria evocatus, exhibito emetico blando, additis aliquot pulveris digestivi & temperantis, ut & Essent. stomachalis dosibus, ægrum & locum in quo degebat non dereliqui prius, quam eodem a vomitu brevi & constanter liberato, id quod non tam dierum, quam horarum aliquot spatio contigit. Et hisce quidem, blandis nimirum emeticis, urgente necessitate præmissis, & hinc temperantibus nitrosis cum absorbentibus & digestivis maritatis, additis pro re nata tonicis & roborantibus, cascarilla, corticibus aurantiorum, cinnamomo, gentiana & similibus, multum, si non omne curationis momentum in vomitu pertinaci & sæpius repetente esse tribuendum, diuturno artis exercitio edoctus; hisce vero ut par est, aliquoties repetitis, sed nihil juuantibus, omnem reliquam artis operam frustraneam plerumque expertus sum. Et tunc quidem aut ventriculi angustiam & duritiem scirrhosam circa pylorum, aut similem in partibus vicinis ipsisque ductibus choledochis, aut pancreatico, aut vesicula fellea vitium subesse, merito suspicari licet, quemad-

quemadmodum singula hæc fusius exposuit, & varia caussarum genera examinando, omnia, quæ vomitum vel e longinquo producere valent sollicite excussit Vir meritis dudum illustris *Christianus de* HELWICH, in egregia, quæ in hisce Actis N. C. Vol. IV. legitur, Observatione CVII. p. 427.

(*Rintelio Halam missa d. 10. Novembr. 1750.*)

## *OBSERVATIO IX.*

## DN. D. CHRISTIAN. MICHAEL. ADOLPHI.

### *Zoster Plinii.*

Veteribus hoc morborum genus aut prorsus ignotum, aut saltem neglectum parumque notatum fuit. A PLINIO, magno illo naturæ interprete, mentio & appellatio ejus primum facta est *Lib. XXVI. Cap. XI. Histor. natural.* Subsequentibus dein temporibus complures Medicorum tales nobis exhibuerunt historias, veluti *Joh.* RHODIUS in *Not. ad Scribonium Largum Comp. 63. M. A.* SEVERINUS *Lib. IV. de rec. abscess. nat. Cap. IX. Nic.* TULPIUS *Lib. III. Obs. med. Cap. 44. Joh.* LANGIUS *Epist. 32. Joh.* HELWIGIUS *Observat. phys. med. Obs. 71. Frid.* HOFFMANNUS *in Med. rat. system. Tom IV. Part. I. Cap. XIII. Obs. VI. p. 319. Simon* SCHULZIUS *in Ephem. N. C. Dec. I. Ann. III. Obs. IV. Joh. H.* BRECHTFELD *in Act. Med. Hafn. Vol. I. Obs. CVIII.* PLATERUS *Opp. Tom. II. p. 23.* cui sub nomine *maculæ latæ* venit. Ab aliis *Circinus*, item *Zincilla*, a plurimis *Zona ignea* appellatur, quod abdomen cinguli in modum ambiat ac stringat. Quondam etiam pro *herpetis* specie habebatur. Nobis peculiaris erysipelatis species est, atque perniciosum admodum sæpeque lethiferum

malum ac oppido rarum. Huncce affectum in thermis Carolinis, medicinam tunc facienti, obſervare mihi occaſio data fuit, ſcilicet Nobilis quidam Moravus, XXXVII. circiter annorum, ſanguineo-cholericæ conſtitutionis, corporis habitus ſatis carnoſi atque obeſi ſenſibiliorisque naturæ, florido vultu conſpicuus, lauta & vinoſa diæta uſus, arthritidi vagæ ſcorbuticæ, cum quadam contractura, obnoxius, thermarum ſalutarium auxilio confiſus, easdem adiit, conſiliumque & opem ibi a me petiit. Hic, prævia præparatione conveniente ac debita, curam rite auſpicatus fuit, atque exoptato ſucceſſu abſoluta prima, quam vocant, potatione, per novem dies continuata, excretionibus per alvum atque inprimis urinam ſufficientibus factis, doloribusque jamjam nonnihil mitigatis, de balneo ineundo cogitans, præcoci nimis auſu proprioque inſtinctu, curioſitate ſaltem ductus, ac periculum quoddam (ut ajebat) facturus, me inſcio, adeoque nondum ſatis adhuc præparatus, horis pomeridianis ipſum balneum, aſt ex incuria balneatricis non rite temperatum, præcalidum nempe, iniit, ex quo, intenſo nimirum ejus fervore præfervidaque ira de ancillæ incuria agitatus atque exæſtuans, nudus & madidus repente exſiliit cubiculumque petiit. Lecto vix impoſitus, ſubito ingenti horrore, frigore & inſequente ardore totius corporis, doloreque tenſorio & pungitivo circa inguina correptus eſt. In eo enim eryſipelas ab aliis inflammationibus & ejusmodi febribus diſtinguitur, quod nempe in principio ſubito, in aliis vero ſucceſſive atque non ſimul & ſemel cum tanta vehementia invadat. Sequente nocte vigilias involuntarias, ſitim clamoſam, cum linguæ & faucium ariditate, moleſtiſſimas inquietudines, inſolitas phlogoſes, ſummas corporis iectigationes, reſpirationem difficillimam, anxietates ſummas præcordiales atque cardialgiam urgentem, cum appetitus proſtratione, ſenſuumque per-

perturbationes, perpessus est. Altero mane illum visenti, mihi, quod cum ipso factum esset, recensuit, præpostereque eum egisse ipse statim, cognito errore, fassus est. Quoniam vero de intolerabili fere, per abdomen præsertim, constrictione, cum magno ardoris & pruritus sensu, æger conquerebatur, malumque quod *das Herzgespann* nominabat, inprimis & tanquam symptoma urgentissimum accusabat, locum etiam monstrabat affectum, ac citam medelam efflagitabat, domesticumque illud remedium, ventosam cum multa flamma applicandam, proponebat, & vix sibi temperare poterat, quin dolens abdomen assidue digitis scalperet: hinc ipsum locum prius inspexi, atque præcordialem regionem inter & umbilicum, ad dorsum usque, in utroque latere circumcirca ad latitudinem fere palmæ, *cinguli* instar, summam cutem roseo colore ad flavum vergente subtumidam atque splendentem, ut in erysipelate ordinario fieri assolet, cum maculis latis, pustulis parvis ejusdem coloris sparsim interjectis, acribus atque utrinque urentibus, offendi, simulque magnum virium languorem, pulsumque valde celerem & debilem, quandoque intermittentem, deprehendi. Hinc, sub hoc malo gravius & insolitum quid latere haud vana ratione existimans, extemplo medelam adferre serio adlaboravi, illamque eo maxime direxi, ut clysmate emolliente alvi sordes adhuc restitantes eluerentur atque seri subtilis caustici stasis inflammatoria in partibus externis discuteretur, simulque materia illa corrigeretur ac tandem expelleretur, quem scopum curationis per diaphoretica & alexipharmaca temperata, per totum morbi decursum exhibita, interposito aliquot vicibus laxante infuso, mihi alias familiari, ex rad. polypodii, altheæ, flor. papav. errat. fol. Sennæ sin. stipit. cremore tartari & syrupo rosar. ac violar. solutivo composito, & in statu morbi impositis siccis sacculis, ex syndone rubra confe-

ctis, ac farina fabarum, floribus sambuci, croco, myrrha, radice liquiritiæ & camphora repletis, intra quatuordecim dierum spatium feliciter attigi & expedivi. Pro potu insuper ordinario decoctum ex radicibus temperantibus, & mane infusum theeforme, ex foliis Theæ Chinens. herba scord. flor. sambuci, tiliæ ac semine fœniculi ordinavi. De cetero notandum adhuc omnino est, hancce erysipelatis speciem diaphragma inflammatum quandoque mentiri, siquidem hic dolor æque ac ille cinguli ad instar a sterno ad costas ordinarie fere, cum respirationis difficultate & tussi ficciore, protenditur.

## *OBSERVATIO X.*

## DN. D. CHRISTIAN. MICHAEL. ADOLPHI

### *Ex errore salus, vel, nimium quoddam non in vitium versum.*

Habet has vices hominum conditio, ut ex adversis quandoque secunda nascantur. Id ut alibi, ita & in medicina quoque evenire assolet, prout hoc varia confirmant exempla, speciatim a ROMMELIO *in Ephemerid. Nat. Curios. Dec. II. Ann. VII. Observ. 216.* exposita. Sic quoque *Theod.* ZWINGERUS *in Theat. Prax. med. Part. II. p. 77.* de rustico ex haustu aquæ frigidæ muto reddito, refert, eundem, multis remediis pro recuperanda loquela incassum adhibitis, tandem fracto, infelici casu, pede, felici fato loquelam in momento recuperasse. Similiter quoque *Steph.* BLANCARDUS in *Collect. med. phys. Obs. XCIIX. Cent. II. p. 267.* refert, quod infanti decem circiter annorum, loco aquæ Portulacæ, a Medico præscriptæ, per errorem longe alia, vitriolo, sale armoniaco, nitro, ac mercurio præcipitato

tato rubro infecta, adeoque summe acris & fere caustica, ad tres uncias exhibita fuerit, quo facto per insecutam diarrhœam pristinæ sanitati ex asse restitutus fuit, relicta saltem raucitate quadam; unde fortuito hoc experimento Medicus deinceps aliis hydropicis eam hauriendam, cum exoptato successu, præbuerit. Similem idcirco propemodum (quod nimiam nempe quantitatem assumtam spectat,) hic communicare mihi licebit casum, quem a fœmina quadam primaria Vratislaviæ relatum obtinui. Hæc nimirum olitori cuidam, in agro Vratislaviensi habitanti, pro uxore sua hydrope, vix ulla medicina sanabili, laborante, atque viribus maxime destituta, balsami vitæ Hoffmanni, quem semper in promptu habebat, quandam portionem libere obtulit, simulque præcepit, ut subinde aliquot guttas uxori suæ exhiberet. Non aberravit etiam in eo a legitimo medendi tramite, siquidem elegans, gratum & efficax hoc medicamentum omnino partibus solidis, a serosa colluvie nimia obrutis atque gravatis nimisque relaxatis, blande easdem irritando, majorem motum atque debitum tonum & novum quasi robur conciliat, sicque illarum in humores actionem promovendo, seri abundantis se-et excretionem adjuvando, morbis a tali causa exortis egregie opitulatur. Obtento igitur hoc remedio, ægrota altero die matutinis statim horis, absente marito, ducentas guttas effudit, ac in cerevisia uno haustu adsumsit, unde brevi post intensiorem internum sensit calorem, sudore copiosissimo, brevi post oborto & per plures horas durante, fere diffluxit, lotio quoque ubertim effluente, unde non solum tumor, antea perquam insignis, notabiliter imminutus, sed & successive penitus sublatus fuit, ægraque illa, pro derelicta antea habita, post aliquot hebdomadum decursum iterum cum sanitate in gratiam rediit. Hæc & similia exempla certiores reddere queunt Medicos nimis timidos, quod vel ideo plu-

res medicarninum ſufficiente atque exoptato deſtituantur ſucceſſu, quoniam nimis parca doſi ſubinde eadem porrigunt. Equidem experientia ipſa abunde reſtatur, hydropicos, ut & dyſentericos, phthiſicos, arthriticos, calculoſos, & præcipue calculo veſicæ laborantes, (quoniam via ad veſicam longior eſt,) magnas medicamentorum doſes, easque ſæpius repetitas, ferre poſſe imo requirere. Ac, ſi verum fateri licet, ut ego quidem putarem, circa quantitatem medicamentorum hodie in defectu potius, quam in exceſſu complures peccare ſolent. Si evolvamus Veterum tantum non omnium ſcripta, idem hoc affirmare tenemur. Quanta in doſi præſcribunt decocta ſua atque apozemata, electuaria, pulveres! Ad hunc modum PLINIUS, *Nat. Hiſt. Lib. XXV. Cap. V.* incommoda quædam ab helleboro inducta doſi ejus nimis parvæ adſcribit, atque ſubjungit: Antiquorum vitium fuiſſe, quod parcius hunc darent, cum celerius erumpat, quo largius ſumatur. Si conſulamus Practicos eximios, RIVERIUM, SENNERTUM, FORESTUM, FERNELIUM, &c. comperimur, eos feliciori cum ſucceſſu majoribus medicamentorum doſibus morborum perfeciſſe curationes. Sic etiam PORTA in *Medic.* ſua *brevi* refert, ſe absque ulla noxa compluribus vicibus ſpiritus ſalis ammoniaci integram unciam aſſumſiſſe. Quanta in doſi thermæ hodie potantur? Siquidem & mihi conſtat, quosdam ſexaginta, ſeptuaginta, imo octoginta ollulas ſingulis diebus hauſiſſe, cujusmodi exempla & ab aliis adducuntur. Hinc empirici non raro in curandis morbis ipſis Medicis prudentioribus palmam laudemque præripiunt, dum plerumque inſolita, fortiſſima eaque larga manu ingerenda præbent. Speciatim autem hic dolendum eſt, quod multorum adhuc remediorum doſin veram ignoremus, ſicuti & ipſe fatetur *Paulus* AMMANNUS, *in Inſtit. med.* quemadmodum etiam GALENUS jam hinc inde haud obſcu-

re

re indicavit, nihil esse in medicina minus compertum magisque anceps, quam remediorum justas quantitates. Licuit & mihi hinc inde interdum offendere Medicos quosdam, satis quidem doctos & artis nostræ salutaris peritos, sed non satis de salute ægrotantium sollicitos, qui ultra sua præcipitantia terrea & terreo-salina, ad drachmam dimidiam oblata, mixturasque concentratas ad guttulas XXX. aut XL. bis de die sumendas, ascendere vix ac ne vix quidem audent, singula vero alia, tanquam nimis exagitantia, plane reformidant, nullo respectu habito ad subjecta, eorum conditiones, corporis habitum, dispositionem, victum, vivendi genus viresque, nec non ad regionum & climatum diversitatem, ad morbos ipsos, eorumque causas plus minusve absconditas aut profundius radicatas, ipsarum multitudinem ac variam indolem, pluraque hujus generis alia, quæ in medicamentorum quantitate determinanda providam attentionem omnino requirunt. Sic, exempli gratia, in alvi fluxionibus pertinacioribus medicamina singula largiori & repetita dosi exhibenda sunt, quoniam in tali morbo magna illorum pars, cum aliis ingestis, accelerato magis impetu eliminantur, satisque ibi constat veritas illius dicterii, quod difficilius sit quietare motum, quam movere quietum. Sic quoque BARTHOLINUS *Epist. XLIX. Cent. II.* scribit: Medicos Neapolitanos omnia medicamenta majori in dosi exhibere, quam alibi, quia corpora illinc locorum nimis sicca essent. Hac cautela neglecta sæpissime fit, ut morbi his remediorum blandimentis non tam curentur, quam potius pejores reddantur. Ceterum ad præsens argumentum eximie quoque facit *Philippi* SCHERBII monitum in Thes. XI. Cap. XX. *Redundantibus multis biliosis humoribus epicerastica, quæ dari solent, si nimis parva dosi dentur facile in eos abire possun & malum augere.*

OBSER

# OBSERVATIO XI.

## DN. D. CHRISTIAN. MICHAEL. ADOLPHI

### *De singulari Vomitoriorum in Pleuritide & Peripnevmonia utilitate.*

Equidem in pleuritide ex acutissimo & magis fixo lateris dolore, & peripnevmonia, ex pectoris oppressione & dolore pulmonum obtuso dignoscendis, imo & aliis morbis pectoris & inflammationibus vomitoria, ut & purgantia, vix unquam secura reputantur, quoniam materiæ morbificæ remotionem, ipsamque insimul respirationem contrario motu impediunt ac cohibent. Hinc etiam clysteres acres a quamplurimis Practicis prorsus improbantur ac non nisi lenientes, pro alvo aperta servanda, conceduntur. Equidem quod vomitoria attinet, suspectus omnino videri potest eorum in his affectibus usus, ob vehementes thoracis inter vomendum concussiones, utpote sub quibus humores facillime in angustiores canales cum impetu adigi atque gravioribus spasmis concitatis inflammatio augeri potest. Saluberrimum hinc omnino est HIPPOCRATIS monitum, quod *Lib. III. de morb.* continetur: *In peripnevmoniis inferior alvus nec nimis sistenda, ne febres augeantur* (excrementorum pessimorum retentione), *nec nimis solvenda, ut sputum recte excernatur ægerque viribus valeat.* Experientia enim teste etiam spontaneus alvi fluxus in iisdem superveniens non æque, ac in capitis morbis, salutaris est. Interim tamen his non obstantibus practicorum alii ad tabaci decoctum aut infusum, alii ad aquam benedictam Rulandi eamque larga in quantitate exhibitam, tanquam ad sacram anchoram in principio statim hujus morbi confugiunt. Imo & ipse ego vomitoria in certis quibusdam casi-

casibus, ad hoc morborum genus pertinentibus, admodum utilia deprehendi. Ante aliquot enim annos in civitate & agro Lipsiensi pleuritide & peripnevmonia epidemice grassantibus, tam præservative, quam curative, lenia illa, ex rad. Ipecacuanhæ, levi stimulo armata, felici cum successu adhibui, evacuata tali modo saburra viridescente, amara & viscida. In quamplurimis talium ægrotantium sanguis venæsectione emissus nimium dilutus adparebat & vix concrescebat, sicut alias in pleuriticorum sanguine fieri solet, qui crusta alba & viscida obductus conspicitur, quoniam sanguis impetuosius tunc exagitatur, globuli rubicundi magis resolvuntur & a fibrosis lymphæ particulis liberantur, quæ postea in membranosum tale textum coalescunt. Semper autem illa sanguinis constitutio malum præbebat signum lethalemque denotabat eventum. Cunctæ hæ febres tertio quolibet die manifestiores formabant exacerbationes, & in quodam ægrotante (quod notatu perquam dignum judico,) febris intermittens tertiana morbo sublato accessit. Plurimis narium hæmorrhagia, eaque larga, quibusdam ipse vomitus cruentus saluti fuerunt, morbo per eum penitus soluto. Pauciores aut sudorem multum criticum, aut expectorationem experiebantur. Nonnullis morbi mitigationem adferebat alvi profluvium, quod rarum quidem, a VALLERIOLA tamen quoque adnotatum est *Lib. I. Obs. 4. & 5.* Quidam dolorum mitigationem in situ corporis inverso, caput deorsum, pedes sursum collocando, quæsiverunt & ex optato invenerunt. Rursus nonnulli cucurbitam tusam, capiti raso impositam, aut dorso applicatam, laudaverunt. Quibus fortiora diaphoretica, præsertim in principio, exhibita sunt, illi in delirium & cephalalgiam vix tolerabilem inciderunt. Ejusmodi & alia pessima symptomata, eaque deleteria, sibi contraxerunt, qui hos dolores, modo obtusos, modo lanci-

nantes punctorios, pro colica ſaltem flatulenta habuerunt, & proprio auſu, absque Medici conſilio, medicamentis ſtomachicis, carminativis fortioribus atque calidioribus eandem curare tentaverunt; aſt, cognito tandem errore, ſero ſapuerunt: auctis enim ſic phlogoſibus, ipſaque ſtagnatione & inflammatione, haud pauci ſuccubuerunt. Recidivæ vero omnes erant lethales. Ruſticis & pauperibus aliis ſolum oleum Lini, ad cochlearia IV. VI. vel VIII. cum ſanguine hircino ſumtum, aliis lac caprinum calidum profuit. Alia vice caupo quidam Lipſienſis, conſiſtentis ætatis ſatisque robuſtus, commeſſationibus deditus, ex nimia vini ingurgitatione & ciborum ingluvie in pleuritidem veram incidebat: quarto die a venæſectione, atque medicamentis appropriatis exhibitis, nulla adhuc excretione ſputi, neque cruenti, neque purulenti, ſuccedente, nauſea tamen ructibusque acerbis utrinque moleſte urgentibus, vomitorium juxta ſupra dictum modum præſcripſi, ex quo melius ſe habuit; indigeſta enim atque cruda adhuc ſaburra affluens commode remota & evacuata fuit ſufficiensque dein expectoratio ſucceſſit. Hoc rurſum HIPPOCRATES voluit, quando l. c. ſcribit: *Peripneumoniam hoc modo curare oportet; primis diebus ſorbitiones dulciores eſſe oportet, quarto, quinto & ſexto non amplius dulces, ſed pingues; quodſi ſufficienter ſpuere nequeat, vomitoria medicamenta exhibenda.* Si hic ægrotus, & alii ſupra jam notati, vomitorium reſpuiſſent, de purgatione præſcribenda etiam in principio morbi non dubitaſſem, hortante BAGLIVIO, qui hoc explicatius expoſuit *Prax. med. Lib. I. p. 40. ſeq.* licet etiam multi ſcrupulum injeciſſent. Ob argumenti ſimilitudinem addam, mihi non ita pridem occaſionem, pleuritidem malignam curandi, ſubveniſſe, quoniam illa noſtratibus ignota fere eſt, an ideo, quod frequenter negligatur, aut non debito modo attendatur, non dixerim. BAGLIVIUS tamen pleuritidi

di ſemper maligni aliquid ineſſe aſſerit. Hujus morbi hiſtoriam breviter ſequentibus deſcribam: Fœmina primaria Lipſienſis, conſiſtentis ætatis, ſpongioſiori & obeſiori corporis habitu conſpicua, perpetua non prorſus inſenſibili tranſpiratione per cuticulares meatus gaudens, ineunte vere aëre exiſtente pluvioſo ac frigidiuſculo, poſt meridiem, aſſumto conſueto potu calido, improvida facta denudatione, extemplo horrore corripitur, quem mox dolores acuti pungentesque ſiniſtri lateris acerbiſſimi inſequebantur, totumque propemodum pectus ſucceſſive occupabant, cum ſumma præcordiorum anguſtia atque difficultate reſpirandi. Cubitum itura, ſtomachicum ſibi familiare aromaticum in largiore quantitate aſſumebat, inſequentem noctem moleſtiſſimis vigiliis involuntariis, ſenſimque ſimul auctis prædictis ſymptomatibus, inquietudinibus & jectigationibus corporis perpetuis, ac virium ſumma debilitatione, peregit. Summo mane ego accerſitus, ſingula malignitatem indicantia ſigna, inſignem nimirum & ſubitam virium proſtrationem, faciem a ſtatu naturali multum recedentem notabiliterque defœdatam, cutem aridam velutque contractam, mentis vacillationem, ſpasmos in pinnis narium, labiis, genis, brachiis, ac tandem ſudorem inordinatum, inæqualem, frigidiuſculum, totum corpus non perfundentem, deprehendi. Pulſus non modo intermittens, qualis in ſingulis pectoris morbis obſervatur, ſed & debilis admodum, ſimul tamen frequens, & lingua ſubfuſca, arida & ſciſſa quaſi erat. Exactius hæcce conſiderans & perpendens, temere ad phlebotomiam, tanquam alias neceſſarium pariter ac utiliſſimum in ejusmodi (ſimplicibus) morborum generibus remedium, properare nolui, metuens, ne humoribus permixta malignitas commoveatur potius, quam educatur, aut intro magis agatur, vires jam admodum languidæ & fractæ ulterius proſternantur, inſimulque excre-

tio corrupti sanguinis & materiæ morbificæ, quæ cocta modo exitum quærit, impediatur, utpote quæ intus retenta, vasis omnibus ad omnem motum inertibus redditis fluidisque inspissatis, majus incendium concitare, deliria protinus arcescere cunctaque symptomata graviter augere potuisset; sed temperatis potius alexipharmacis primum malignitatem morbi oppugnare adlaboravi, quibus & per totum ejus decursum debite continuatis, non neglectis iisdem quæ huic affectui propria quadam virtute conferrent, applicatisque simul utilibus ac convenientibus quibusdam externis, salutaris eventus feliciter fuit promotus. Die enim decimo quarto tandem materiæ cruentæ purulentæque exscreatio successit, quæ per totidem dies, & ultra subinde duravit, inclinata semper in melius ac perfecte denique redeunte valetudine. Circa pleuritidem hoc adhuc obiter saltem notandum esse duco, quod, si punctorius iste dolor in latere sinistro, circa costas spurias, ægrum præcipue adfligat, sæpius dubitatum sit, num pleuræ aut lienis inflammatio præsto sit. Præter reliqua autem symptomata & hoc potissimum dijudicando & tollendo isti dubio inservire potest, quod, præsente pleuritide, dolor circa costas, in splenitide autem magis versus dorsum sub diaphragmate persentiscatur, insuperque in priori adfectu admodum difficilis sit respiratio, ob inflammatos thoracis musculos, ac insimul tussis cum summo dolorum augmento conjuncta deprehendatur.

OBSER-

## *OBSERVATIO XII.*

### DN. D. CHRISTIAN. MICHAEL. ADOLPHI

*De*

*Cartilaginis fcutiformis & fecundæ laryngis, quæ cricoides vocantur, offificatione rara, raucedinis incurabilis caufa prorfus fingulari.*

Patriam olim invifens, fectioni cadaveris mafculini, viri quinquagenarii circiter, crapulæ & ingurgitationibus adufti vini, ut vocant, affiduis dediti, tandem tabe extincti, a D. K. factæ, adftiti, qui dyfpnoeæ inveteratæ, cum deglutiendi difficultate, tandemque repentinæ & diutinæ raucedinis caufam inquirebat. Facto ergo hoc fcrutinio, non folum laryngis cartilaginem fcutiformem offeam, quod rarum, fed etiam, quod rarius adhuc eft notatuque maxime dignum, alteram annularem pari induratione vitiatam, &, quod rariffimum, in illa fcutiformi fiffuram deprehendimus, quam pro cauffa incurabilis raucedinis protinus agnovimus; nec fefellit opinio: in ea enim ego quidem confirmatus fum, cum haud diffimilem obfervationem a WEPFFERO *in Ephemerid. Nat. Curiof. Decur. III. Ann. II. Obferv. 136.* notatam poftmodum legerim.

## *OBSERVATIO XIII.*

### DN. D. CHRISTIAN. MICHAEL. ADOLPHI

*Solis urgentioribus fymptomatibus incongrue adhibita medela.*

Inter alios quamplurimos errores, quos medicaftri temerarii nefarie committunt, ille maxime noxius eft, dum

non causæ mali, quam solis symptomatibus afferunt medelam, ut, si tussi expectorantibus, prostrato appetitui stomachicis, alvi obstructioni purgantibus, urinæ suppressioni diureticis, doloribus opiatis, &c. relicto primario morbo ejusque causa, mederi satagunt. Equidem symptomata urgentia utique etiam leniri debent, sed haud deserenda mali ipsius fons atque origo. Optimis enim remediis quibusvis nihil quidquam efficitur, nisi id, quod in morbo præcipuum est, prius bene riteque & ad rationis amussim perpendatur. Tale exemplum, quod cautelæ loco aliis inservire potest, hic sequenti historia tradam. Studiosus quidam, Nobilis, plethoricus, aëri liberiori frigidiusculo vernali, vespertino tempore, corpus exposuit, indeque sequenti mox nocte exquisita pleuritide afficiebatur, ac præter dolorem istum punctorium acerbissimum summamque respirandi difficultatem & febrem admodum vehementem, immani quoque cephalalgia, vigiliis involuntariis & inquietudinibus gravique delirio conturbabatur. Huic Candidatus quidam medicinæ, praxi se nimis præcoci pruritu jam immiscens, altero die circa meridiem ipsum invisens, ut his symptomatibus occurreret eaque leniret, nullo habito respectu morbi adeo sontici, non solum odorifera spirituosa naribus indesinenter excipienda offerebat, eademque temporibus & vertici sedulo illinebat, sed & vesicatoria nuchæ simul applicabat atque tandem tincturam quandam opiatam, sequente nocte assumendam, post meridiem apportabat, sed adeo sinistro cum successu, ut symptomata prædicta, in se jam satis periculosa, exinde gravissimum caperent incrementum ægerque hinc morti vicinus videretur. Tertia hinc die, summo mane, per hospitem, qui rem perperam cum inquilino actam esse, serius licet, agnoscebat, rogatus & vocatus, ægrumque in summo vitæ periculo versantem deprehendens, mox venæsectionem, eamque sat largam, in opposito

ſito latere inſtitui, qua ſingula ſymptomata ſenſim mitigata fuere, ita ut poſtea morbus ipſe remediis ordinariis pharmacevticis convenientibus, exoptato cum ſucceſſu, feliciter adhuc ſit ſublatus.

## *OBSERVATIO XIV.*

## DN. D. CHRISTIAN. MICHAEL. ADOLPHI

### *De mirabili alvi obſtructione, cum perpetuo lotii profluvio, per XXXIV. dies durante.*

Ex oppido quodam Lipſienſis Circuli amicus quidam per litteras pro affine ſuo, ſene octogenario majori, alvi obſtructione pertinaciſſima, cum perpetuo lotii profluvio, eoque involuntario, per tres ſeptimanas jam laborante, cui varia jam incaſſum oblata fuerant remedia, conſilium a me petiit, quod etiam ſuppeditavi & neceſſaria ſimul remedia transmiſi. Exacta vero quinta ſeptimana mihi ſignificavit, ægrum tandem protracto morbo inopinata prorſus morte deceſſiſſe, poſtquam per triginta quatuor dies alvi obſtructione pertinaci laboraverit, intra quod temporis ſpatium interim lotium ubertim & indeſinenter, absque tamen ullo ægri ſenſu, profluxiſſet, qui de reliquo (excepto dextri pedis ſtupore, ob quem ægre obambulare potuiſſet, ex levi paralyſi forte, ut ex circumſtantiis ſimul relatis haud obſcure hariolari potui, ſuperſtite,) ſat vegetus alias permanſiſſet, bene dormiviſſet & ſolito majori in quantitate cibum potumque avide aſſumſiſſet, neque de alvo tenſa duraque, nedum de dolore quodam conqueſtus fuiſſet. Uberrimum hoc lotii profluvium forte chyloſum fuiſſe, & in vitia ſecundæ & tertiæ coctionis, ut ajunt, referendum arbitror, id eſt defeciſſe motum, mediante quo ſubigi & ſeparari debue-

buerit chylus, & simul organa secretoria, quæ chylo una cum sero transitum concedunt, vel admodum debilitata, vel plane obstructa fuisse, qualium causarum, similem effectum producentium, mentionem jam fecerunt *Thom.* BARTHOLINUS *de Hepat. def. p. 54.* & RHODIUS *apud* SCHNEIDERUM *Lib. IV. de Catarrh. Cap. VII. p. 266.* DRAWITZ *de Scorb. Tit. IX. p. 377.*

(*Lipsia Halam missæ d. 28. Novembr. 1750.*)

## *OBSERVATIO XV.*

## DN. Lic. CHRISTIANI FRIDERICI JOERDENS

### *De Febribus intermittentibus malignis & periculosis.*

Medicis practicis satis superque cognitum est, febres intermittentes non semper benignas & tutas, sed etiam haud raro malignas esse, quæ omnem circumspectionem requirunt, si sine aliqua sanitatis labe remanente earum curatio peragi debeat. Laudanda quidem methodus illorum Medicorum, qui via mitiori ingrediuntur & omnia remedia fortiter agentia vitant; nec drasticis opus est, ubi leniora sufficiunt: approbandum etiam est, si corpus debite præparant & hæc remedia antifebrilibus præmittunt, dummodo vis morbi spatium concedat. Hic ipse curationis modus iis in climatibus sufficit, ubi raræ sunt febres intermittentes, quæ etiam plerumque benignæ esse solent & levioribus absorbentibus, præcipitantibus, digestivis salinis, superari possunt, aut etiam sua sponte iterum cessant, uti quandoque fieri solet. Observatum est, Medicos practicos ejusmodi in locis degentes & non nisi benignas febres intermit-

mittentes tractare assuetos, sibi persuasisse, quod omnes febres intermittentes minus periculosæ sint. Unde easdem motibus sanitatem promoventibus adnumerant, creduntque omnes febres intermittentes hac facili & leniori methodo tractandas esse; ita ut alios practicos, activiora & fortiora remedia adhibentes, taxent, eaque medicamenta tanquam minus tuta, imo noxia, declarent: præcipue, si corticem Peruvianum larga manu præscriptum viderint, utpote quem ex præconcepta opinione pro summo adstringente & sanitati adverso remedio agnoscunt. Si Medici in Academiis docentes & his principiis inhærentes alios iisdem imbuant, facile conjiciendum est, longe lateque opiniones has divulgari, & difficile admodum esse, præjudicia ejusmodi auctoritatis deponere, præsertim si illis in locis praxin exercere contingat ipsis, ubi febres intermittentes curandæ eis obveniunt, quæ tantum benignæ sunt indolis. Sic confirmantur in præconcepta sua opinione, & vix unus ex multis invenitur, qui errorem suum agnoscat & corrigat, si idem ab aliis expertis ob oculos ipsis ponatur. Quodsi vero contingat, ut sic edocti in Academiis novelli Medici in illis locis praxin exercere incipiant, ubi febres intermittentes graviores, pertinaces & malignæ frequentius occurrere & grassari solent, quæ vix optimis accommodis, imo maxime activis, nunquam vero levioribus debellari possunt remediis, nec, præmissa licet tutissima præparatione, certam & constantem sanitatis restitutionem videant: experientia & necessitas illos adigit, ut credant, viam ipsis monstratam minime esse optimam & securam, sed insufficientem, imo periculosam; siquidem, dum ad corporis præparationem multum temporis impendunt & perdunt, morbus interim evidenter increscit ægrosque in periculum & mortem præcipitat. Hic enim non lente agentia & curam protrahentia, sed subito sanantia summe necessaria sunt remedia; nec

expectatio, aut dilatio, aut longa præparatio invenit locum, quum in mora ſit periculum.

Ejusmodi indolis ſunt febres intermittentes apoplecticæ & ſoporoſæ, quæ citius mortem afferunt, quam initium curationis hoc modo inſtitutæ factum eſt; de quibus febribus alio tempore & loco jam jam egi. Sed non hæc ſpecies febrium intermittentium ſolæ ſubitam minusque retardatam curam exigunt, ut mors avertatur, ſed etiam alia admodum damnoſa & immedicabilia mala, quæ quandoque hunc morbum ſequuntur & cerebrum affligunt, utique eandem poſtulant. Huc pertinet affectus, memoriæ damnum afferens, ita ut ægri ad negotia, quibus funguntur, inepti reddantur. Duo Exempla hoc modo febricitantium diverſis in locis & officiis conſtitutorum mihi innotuerunt. Primus eorum, fere quinquagenarius, febre ſoporoſa laborabat, a qua naturæ potiſſimum robore liberabatur; ſed relinquebat hæc aliud malum, nempe periodicam oblivionem. Nihil extra hunc affectum inſoliti in hoc viro obſervabatur, ſed inopinato inter confabulationes non ſolum neſciebat, quid locutus ſit, ſed & alia ad rem eandem minus pertinentia & peregrina, imo incondita proferebat, donec poſt temporis alicujus lapſum mens ſibi iterum conſtabat. Atque ſic etiam ſcribens, & alia negotia tractans, eodem adfectu corripiebatur, qui ſæpius recurrebat & adhuc dum durat, licet a diverſis Medicis, multis adhibitis remediis, ſed fruſtraneo cum effectu attentatus ſit, ut idcirco officio ſuo non amplius præeſſe potuerit. Alter circiter triginta ſex annorum eodem modo in oblivionem periodicam incurrebat, qui, naturæ robore nixus, convaleſcentiam adhuc exſpectat, ſi ſpes non fallit. Præter affectus ſoporoſos eorumque triſtes comites, dantur etiam alii morbi, qui febribus intermittentibus ſuperveniunt, neque etiam curam protractam admittunt, ſed citatum auxilium requirunt. Accidit

ju-

juveni, ex illuſtri familia orto, tertiana intermittens febris, qui durante quovis paroxysmo dolores maximos in veſica urinaria patiebatur; quæ ſymptomata, ſublata per medicamenta febri, iterum ceſſabant. Errores quidam in diæta commiſſi poſtea eandem febrim & cum ipſa dolores eosdem veſicæ urinariæ lancinantes, admodum vehementes, revocabant. Statim quidem ad febris curationem ſufficientia ordinabantur remedia, ſed præſcripto ordine dum eadem aſſumere negligebat æger, febrilis paroxysmus ſtato tempore & cum eo dolores continuabant tandemque epilepſiam iterum excitabant, quæ, ceſſante interim febri, per duos integros dies & noctes per vices affligebat, & tandem maximum gradum attingebat: quo ſuperato inſtar mortui per notabile temporis ſpatium æger jacebat, ſine ſenſu & motu & reſpiratione ſenſibili, pulſu ſaltem aliquo ſuperſtite, donec hæ actiones ſenſim redirent, & adhibitis remediis convenientibus optimis ſanitas reſtitueretur. Quisnam igitur eſt, qui non optaret, ut in ejusmodi caſibus febris, quæ dolores & ex his epilepſiam fovebat, quantocyus tolleretur & ſic omne periculum averteretur? Aliam adhuc ſpeciem minus ſecuram febrium intermittentium obſervavi in quodam nobili viro, qui, quoties paroxysmum febris quotidianæ intermittentis patiebatur, toties durante iſto lipothymia gravi corripiebatur, quæ non prius ceſſabat, quam ſudor erumpere incipiebat. Accelerabam curam febris & ſymptoma hoc terrificum cum illa ſimul ceſſabat, quod diutius toleratum omnino formidandum erat. Ejusmodi generis ſymptomata, febribus intermittentibus ſupervenientia, maximum negotium parient illis, qui ſpecificorum & præcipue corticis Peruviani uſum abhorrent. Omnem quidem movebunt lapidem, ut ægro in tempore afferant auxilium, ſed vereor, ne iis neglectis omne, quod ajunt, irritum ſit. Curandum omnino ipſis eſt, ne conſcientiam læ-

dant, si, licet meliora, tutiora & certiora remedia videant, quibus succurrere ægro cito & tuto illiusque mortem avertere possunt; attamen loco eorum alia eligant, quæ tarde operantur & ad morbum subito abigendum non sufficiunt, sicque procrastinata curatione ægrum periculo & morti tradunt. Multi ingenui viri errorem & præjudicium, quod de cortice Peruviano aluerunt, agnoverunt; plurimi vero ipsi pertinaciter inhærent, neque se ab errore reduci sinunt; adeo, ut ipsorum Medicorum febrientium prostent exempla, qui morti se tradere maluerunt quam hoc remedio uti. Quod clarissimo esse potest documento, ipsos hoc remedium pro summo adstringente, imo deleterio habuisse, ob conceptum falsum fortiter ipsis impressum, qui eos detinuit, ne usum ejus etiam in aliis experiri ausi, aut eo deduci se passi fuerint, ut qualitates ipsius, ab aliis doctissimis, expertis & conscientiosis Medicis luculentissime demonstratas, indagarint. Atque hoc evidenter satis docet, quam altas radices agere possint opiniones erroneæ, in juventute jam impressæ, quas, uti in religione fit, ad mortem usque homines plerumque defendere ipsisque inhærere solent.

(*Curia Variscorum Norimbergam missa*

*d. 19. Decembr. 1750.*)

OBSER-

## *OBSERVATIO XVI.*

## DN. D. LAURENTII HEISTERI

*De*

### *Ventriculo duplici in muliere, quæ ex hernia incarcerata inguinali ſuppurata, poſt perpeſſos ſæviſſimos dolores & vomitus, mortua erat, reperto.*

Mulier plebeja, quæ diu hernia inguinali ſine inſigni incommodo laboraverat, tandem ex frigore, poſt iram, valde dolere incepit cum nauſea, ſuccedente vomitu continuo vehementiſſimo, demumque feculento, cui ob egeſtatem nil, niſi cataplasma emolliens, ex mica panis cum lacte cocta, oppoſuit: ſub quo tandem hæc hernia incarcerata ſuppurata & rupta brevique poſt ægra mortua eſt. Rogavi ab agnatis, ut cadaveris inciſionem mihi concederent, qua conceſſa, nihil notatu dignum in eo inveni, præter fruſtum inteſtini ilei, ſuppurando eadem fere ratione corruptum, ſicut id olim an. 1738. delineari curavi in Diſſertatione de *Hernia incarcerata ſuppurata non ſemper lethali.* Ad hæc vero deprehendi quoque ventriculum ejus vere duplicem, quem mox delineatum *Fig. 3. Tab. I.* exhibet. Scilicet in medio ita in anguſtias redactus erat, ut dextra *A.* ac ſiniſtra ventriculi pars *B*, per inſignem quaſi iſthmum, qui tanquam ſphincter ſive pylorus quidam *C.* hic conſtrictus erat, in duo velut ventriculos, licet non magnos, diſtinctæ fuerint. Lit. *D.* indicat os ventriculi ſiniſtrum ſive cardiam, *E.* vero dextrum ſive pylorum, quorum fibræ muſculoſæ ſatis perſpicue videri poterant.

Similes fere casus etiam in *Actis Anglicanis N.422.p.260.* & in MARTYNI *Epitome horum Actorum in Part. anatom. p. 508.* describuntur.

## *OBSERVATIO XVII.*

## DN. D. LAURENTII HEISTERI

### *De*

### *Lithotomiæ Celsianæ præstantia & usu hodierno.*

Notum est, plures modos calculum e vesica extrahendi Medicos & Chirurgos excogitasse, sed hanc Lithotomiæ speciem, quam CELSUS, præstantissimus ille Medicus Romanus, olim descripsit, esse *vetustissimam*, eaque quamplurimos, ab HIPPOCRATIS & CELSI temporibus, a calculo esse liberatos. Neque minus tamen constat, raro eandem per plures, inprimis recentiores annos, esse exercitatam, verum potius a plerisque magnis Lithotomis neglectam, aut prorsus rejectam, qui ejus præstantiam & utilitatem non rite consideraruat aut cognoverunt. E contrario plerique maximi Chirurgi ab aliquo tempore, tam in Anglia, quam in Gallia, methodum, quam circa initium hujus seculi *Jacobæam* & *Ravianam*, postea *Cheseldenianam* dicebant, jam vero *lateralem* appellare solent, certatim magna industria excoluerunt, atque in hac perspicienda quam maxime allaboraverunt. Edidi Ann. 1745. Dissertationem de *Lithotomiæ Celsianæ, scilicet omnium simplicissimæ, præstantia*; in qua, licet recentiores methodi non rejiciantur, *præstantia tamen vetustissimi periculosam hanc curationem perficiendi modi, non solum ratione & experientia ostenditur*, & contra osores ejus defenditur, sed etiam ceteris plerumque præfertur. Quoniam vero Dissertationes Acade-

miæ nostræ ad exteros raro perveniunt, epitomen ejus, ut mea de hac sententia quasi instaurata exteris etiam innotescat, hic exhibere consultum duxi.

Circa initium ejus a me monetur, CELSUM nobilis hujus curationis chirurgicæ non esse autorem, quamvis TOLETUS aliique hoc in scriptis suis perhibuerunt, & ipsa operatio ab ipso nomen obtinuerit; sed CELSIANAM propterea dictam esse, quia CELSUS eam, quomodo sit instituenda, primus, quantum constat, descripsit. Nam HIPPOCRATES jam diu ante CELSUM ejus mentionem fecit. Primus autem ejus inventor verus prorsus ignoratur. Interea secundum modum a CELSO descriptum, qui CHRISTI Servatoris & TIBERII Imperatoris vixit temporibus, usque ad seculum decimum sextum, calculi e vesica unico instrumento, vel ad summum duobus, educti sunt. Seculo vero decimo sexto Medicus Italus, *Jo. de* ROMANIS, aliam secandi rationem excogitavit atque exercuit, quam vero ipse quoque non descripsit, sed ipsius discipulus, cui nomen MARIANUS erat, eam primus scripto exposuit, unde *methodus Mariana* dicta est. Quoniam autem hæc magnum instrumentorum apparatum requirit, nomen inde *Apparatus magni*, Celsiana vero *Apparatus parvi*, ut satis notum est, accepit. Posthæc varios deinde adhuc alios modos, a variis excogitatos, Cap. I. illius Dissertationis recensui, quos vero hic brevitatis causa prætermittam.

Describitur porro, ut fundamentum hujus Dissertationis, *Celsiana curandi via* Cap. I. §. 7 ad 16. ipsis elegantissimis CELSI, Medicorum Ciceronis, verbis, *quæ in eo consistit*, ut æger, qui calculum sibi exscindi desiderat, præmissa præparatione ad hanc curationem, apto situ, versus lucem, in mensa idonea disponatur, atque in ea a ministris probe firmetur. Medicus deinde calculum exsecturus manus sinistræ duos digitos anteriores, indicem scilicet & medium,

dium, in ægris paulo majoribus oleo inunctos, in puerulis vero tantum indicem in anum ægri profunde, quantum fieri potest, immittit, eoque calculum, quem his digitis, intestino recto ibidem incumbentem, percipere utplurimum potest, in formam unci sursum reflexis, prehendit, eumque leniter deorsum versus perinæum, inter anum & scrotum, (quod ab adstante sursum reclinatur,) & quidem versus *latus perinæi sinistrum urget*, ita, ut ibi cutem in tumorem, qui Medici oculis & digitis manus dextræ percipi potest, elevet: tunc Chirurgus manu dextra, scalpello idoneo, super hoc tumore & subjacente calculo, in latere perinæi sinistro, versus tuber ischii sinistri, primo cutem plaga circiter trium in minoribus ægris, vel quatuor digitorum in majoribus, oblique, deorsum & extrorsum, & postea partes omnes interjectas, usque ad calculum subtus latentem, curiose, ampla satis plaga, incidit, ita, ut calculus in vesica hærens visu & tactu percipi queat, (sicut hæ res omnes *Tab. II. Fig. 1. & 2.* ob oculos ponuntur,) cavendo ne intestinum rectum temere discindatur. Quo facto per hanc plagam calculus, si parvus fuerit, *solis sæpe digitis* in ano adhuc relictis, expellitur; vel, si paulo major, certi *unci* a parte superiore injecti, ut *Fig. 2.* indicatur, vel *forcipis idoneæ* ope prehenditur atque prudenter extrahitur, vulnusque deinde rursus apto modo glutinatur. Quodsi vero forte calculus tantus fuerit, ut per vulnus hoc commode educi nequeat, ea parte, qua strictior ima plaga est, etiamnum sub cute altera transversa plaga facienda est, quo vesicæ pars lateralis & inferior transversim paulo magis, sine recti intestini læsione, aperiatur, atque sic calculus tanto commodius ejici possit.

Post hæc §. 17. *considerantur partes, quæ in Celsiana curandi ratione dissecantur,* cutis nimirum, pinguedo & denique pars vesicæ inferior & lateralis sinistra, quam calculus

lus parte sua inferiore attingit; utpote quas scalpello Chirurgus incidit, progrediendo inter musculum penis erectorem sinistrum & urinæ acceleratorem, (quæ partes ex Anatome probe debent esse perspectæ, ) atque sic ipsam aperit vesicam. Ad quæ monui, quod quidem *vesicæ vulnera* ab HIPPOCRATIS tempore ad *lethifera* promiscue a plerisque relata fuerint; quod vero hæc operatio chirurgica, quum adeo multi a calculo inter bis mille annos, & quod excedit, hoc modo liberati sint, abunde evincat, omnia *vesicæ vulnera* & inprimis ea, quæ circa cervicem sunt, per se *sæpe non esse mortifera*, sed illa potissimum, *quæ fundum ejus lædunt.*

Deinde *de signis* §. 24. egi, quibus calculus vesicæ, antequam sectio ejus instituitur, certe cognoscitur, ne a dubiis signis, quæ in aliis vesicæ morbis cum calculo sæpe prorsus sunt similia, Medicus decipiatur, & sectionem dolentem ac periculosam (imo longe tunc periculosiorem, quam si calculus adest,) instituat, &, quum postea calculus non reperiatur, tam ægrum sectionis doloribus & mortis periculo, quam se ipsum adstantium ludibrio exponat. Denique descripsi, *quomodo illo tempore in juvene, novemdecim annos nato, & vesicæ calculo laborante,* digitis & cathetere illum exploraverim, ægrumque postea Martio mense superioris anni a magno, valde inæquali & gibboso calculo, quatuor unciarum pondus æquante, qui *Fig. 3. 4. & 5. Tab. II.* tribus faciebus exhibetur, hac methodo feliciter liberaverim.

Cap. II. illius Dissertationis *difficultates & objectiones* præcipuæ, quæ contra vetustissimam & præstantissimam hanc methodum a multis motæ sunt, proponuntur, gravibusque rationibus refutantur. Atque quum præcipue, ex ipsius CELSI erronea opinione, §. 7. objectum fuerit, hanc methodum *neque omni tempore, ne-*

*que in quavis ætate institui posse, sed in pueris tantum*, ab anno nono usque ad decimum quintum, neque in junioribus, neque in senioribus; ex ratione & multiplici experientia, itemque ex AEGINETÆ, ALBUCASIS, BRUNI, GUIDONIS, aliorumque vetustiorum, quin & variorum recentiorum Scriptorum testimoniis probatum dedi, hanc ipsam methodum tam in junioribus, quam ætate majoribus, paucis exceptis, bono cum successu institutam esse & adhuc institui posse, si modo prudentibus Medicis vel Chirurgis res rite perficiatur. Quinimo *quodvis anni tempus* idoneum demonstravi, præsertim in Germania, quia hic cubicula fornacibus nostris ita temperari possunt, ut veris vel autumni temperiem, quam hæc curatio inprimis requirit, habeant.

In §. 33. & seqq. multæ objectiones aliæ, tanquam prorsus absonæ aut ineptæ, rationibus & observationibus refelluntur, atque simul perspicue demonstratur, quod hoc seculo in Hollandia, Anglia & Gallia adeo decantatæ methodi, Jacobæa, Raviana, & Cheseldeniana, vel uno verbo, *laterales*, præcipuam suam bonitatem & præ magno apparatu præstantiam, *unicæ Celsianæ debeant*, atque tacite ab hac maturaverint. Id quod RAVIUS, celebris & magnus ille Germanorum Chirurgus & Lithotomus, meusque hac in re Præceptor, solus fere suo tempore confessus est; dum, quando a discipulis suis rogabatur, qua in re methodus ipsius adeo felix secandi calculum potissimum consisteret, paucis respondit: *legite* CELSUM. Quo ipso, mea saltem sententia, nihil aliud innuere voluit, *quam quod* CELSI *modus & locus incidendæ vesicæ fundamentum sit methodi ipsius felicissimæ*, quæ adeo ex CELSO a prudentibus cognosci atque addisci posset.

Sed in hac Dissertatione simul ostendi, CELSI *modum in eo præstare novo laterali & simul Mariano*, quod hi ma-

gnam

gnam ferramentorum copiam, adeoque & longe majorem attentionem ac diligentiam in his omnibus rite adhibendis desiderent; *quum in Celsiano totum negotium simplicissimo & unico sæpe tantum ferramento, scalpello* scilicet, vel in casibus paulo difficilioribus, adjuncto quodam *unco*, vel, prout res exegerit, *forcipe*; adeoque *longe simpliciori, faciliori & securiori ratione perfici* calculusque e vesica feliciter protrahi queat.

Cap. III. *præstantia* & *commoda* contemtæ adeo methodi Celsianæ præ laudatissimis adhuc aliis methodis *ostenduntur*, quorum nonnulla tantum ex quamplurimis aliis indicatis speciminis loco hic adducemus. Primo quidem, quod *antiquitate*, dum ultra bis mille annos in usu fuit & adhuc est, omnes reliquas superat, p. 38. & sine dubio diuturno hoc tempore longe plures ea, quam aliis recentioribus modis, a calculis liberati sunt. Secundo, quod *simplicissima, facillima* & *securissima* est, p. 39. atque tunc etiam adhiberi optime potest, ubi multa illa & pretiosa instrumenta ceterarum methodorum haud præsto sunt, vel obtineri nequeunt. Tertio, quod *sæpe absolute præ ceteris necessaria est, ubi catheter in vesicam*, ut quandoque fit, *immitti nequit*, aut *ægri catheterem*, vel *ob metum*, vel ob summos inde perceptos dolores, vel alias ob caussas *admittere nolunt*, sicuti sæpe contingit. Quia vero neque lateralis, neque magnus apparatus, sine cathetere in vesicam immisso perfici potest, hinc *ipsi etiam maximi harum methodorum defensores his in casibus Celsianam commendant, utilemque imo summe necessariam agnoscunt*. Si itaque in his necessitatis casibus sæpe optime succedit, quidni & in multis aliis facilioribus, ubi studio ob graves rationes adhibetur, optimus speretur eventus? Quarto, quum *catheteribus, ductoribus* aut *forcipibus*, quibus in ceteris methodis quasi in tenebris agere cogimur, sæpe *vesica perforata*, aut a-

lias graviter & ad mortem usque ægri læsa sit, ita, ut multi ob has vesicæ læsiones obierint, *Celsianam iis propterea præstare* colligimus, quia his instrumentis in ea haud utimur, adeoque etiam iis nihil lædi potest. Quinto ipsa incisio sive *sectio hic longe est facilior*, quam in iis methodis, ubi semper super cathetere incisio est facienda; quia calculus longe ampliorem habet superficiem & basin, cui scalpellum innititur, quam angustus catheter, utpote a qua basi tam facile non aberrare possumus, quam a cathetere multo angustiore. Sexto Celsianæ methodi præstantia exinde manifesta est, quod, sectione facta, calculus *in Mariana & laterali difficulter, imo sæpe difficillime,* aut *prorsus non forcipe reperiri*, adeoque tunc nec extrahi potest, quia obscure in vesica latet; contra ea in Celsiana, simulac sectio requisita super lapide ipso facta est, *calculus oculis patet* & visui expositus est (vid. *Tab. II. Fig. 2. A.*) *digitisque tangi*, atque sic facilius longe reperiri; imo etiam ipsa vesica a calculis minoribus aut frustulis, si quæ adsunt, commodius expurgari potest. Septimo hæc methodus *omnia habet commoda*, quæ intricatissimæ methodi *Mariana* & *laterales* quæcunque habent, si modo eandem prudenter instituamus, atque subinde *forcipe quoque utamur*, ad calculos quosdam, & præsertim majores, facilius educendos. Octavo *eædem præcipue partes in hac curandi ratione*, quæ in laterali, dissecantur, adeoque ratione partium læsarum in ea non majus est periculum, quam in ceteris, *eademque etiam sed adhuc manifestior est via*, per quam scalpello in vesicam ingredimur & per quam calculi e vesica educuntur. Ut taceam alia adhuc, quæ in ipsa Dissertatione uberius exponuntur, commoda. Denique *multa corollaria*, consideratione haud indigna, a me annexa sunt, quæ *præstantiam & insignem ejus usum uberius illustrant* atque confirmant, variaque *dubia* adhuc *excutiunt*, & multos aliorum, qui de Lithoto-

mia

mia scripserunt, *errores* indicant *refutantque.* Verbi causa, multis exemplis 1. falsum esse ostenditur, quod, *inventa methodo Mariana, Celsiana* secundum nonnullorum mentem *prorsus rejecta* sit. 2. Probatur, methodum Marianam & omnes laterales, (quas multi in omnibus ægris adhiberi posse tradunt,) *vere sæpenumero adhiberi non posse; Celsianam contra in plerisque, saltem in pluribus* calculo laborantibus, exerceri posse, atque hinc sæpe illis præstare. 3. *In Celsiana solam vesicam incidi*, in Mariana vero & laterali, ac præsertim in Chefeldeniana, etiam urethram & prostatam vulnerari, imo sæpe valde lædi ac lacerari demonstratur. 4. Eorum refellitur error, qui male *Celsianam solum in eo casu adhiberi posse existimant, ubi calculus urethræ,* ut vulgo dicitur, *incuneatus est;* quum plerisque aliis in casibus, ubi in vesica hæret, institui recte possit. 5. Ostenditur, male a multis suaderi, ut *calculus, in urethra jam hærens, in vesicam repellatur*, quia hic tali ratione facillime educi potest. 6. Demonstratum datur, quod *catheter* in calculi sectione *non absolute necessarius sit,* ut quidam docent. 7. *Laterales methodi vere vix, nisi instrumentis, a Celsiana differre,* multique, qui hoc credere nolunt, falsam de his methodis sibi ideam formare dicuntur. 8. Gravis illi erroris accusantur, *qui Celsianam methodum ne consideratione* quidem vel *comparatione* cum ceteris *dignam* proclamant, quum tamen 9. *Celsiana mater methodi lateralis,* hæcque filia illius sit habenda. 10. Injuste *Celsiana periculosior* a quibusdam Mariana & laterali æstimatur. 11. Eos, annotatum est, *qui in infantibus & pueris magno* apparatu utuntur, haud sine ratione *ignorantiæ suspectos* a MARINO, nobili Chirurgo ac Lithotomo Italo, proclamari. 12. In hoc etiam Celsiana reliquis est præstantior, quod *sæpe duo calculi simul educi possunt,* quod in ceteris vix unquam succedit. 13. *Celsianam methodum in omni ætate & omni tempore,*

*pore*, rebus rite consideratis, institui posse, in dicta Dissertatione uberius probatum est. 14. Dedecori esse ostenditur multis magnis hodiernis Chirurgis, quod *tam simplicem & tamen adeo utilem methodum fere prorsus neglexerint* & adhuc negligant. 15. *Omnia fere commoda in Celsianam methodum* sufficientes ob rationes deferuntur, quæ alias Marianæ & laterali tribuuntur; atque ad hæc, *Celsianæ varia adjudicantur commoda*, quibus illæ carent. (Vid. Cor. 29. 30. 31. 32. 33.) 16. *Aliis utilibus operationibus*, & speciatim lateralibus omnibus *ansam præbuisse* dicitur Celsiana: (Cor. 35.) 17. Demonstratur, *aliis methodis plus utilitatis haud præstari* posse ægris, quam Celsiana. 18. *Forcipis usus*, in Celsiana methodo præstantissimi, primam mentionem fecisse perhibetur *Durantes* SCACCHUS, nobilis olim Lithotomus Italus (Coroll. 38.), qui hoc facto egregiam methodo Celsianæ attulit emendationem ad calculos majores facilius extrahendos, quam alias fieri potuit: id quod probat calculus Fig. 3. 4. & 5. Tab. II. hac ratione eductus. 19. *Fistulam perinæi* non magis in Celsiana, quam aliis metuendam (Cor. 39.), & 20. *Forcipis usum in Celsiana* & *securiorem* & *faciliorem*, quam in ceteris esse docetur (Cor. 40.) 21. *Quod vesica scalpello aperta sit*, in nullo methodo certius scimus, aut cognoscere possumus, quam in hac Celsiana. 22. MARINUS & FIENUS præ ceteris Medicis & Chirurgis optime hucusque sensisse *de usu & præstantia methodi Celsianæ* dicuntur, & 23. denique exponitur, quomodo descriptio & actio methodi Celsianæ ab ÆGINETA, ALBUCASI, BRUNO, SCACCHO & FIENO sensim emendata sit, donec ad hanc perfectionem, qua ego eam in meis ægris perfeci, sensim pervenit. Quare isti minime audiendi sunt, qui hanc methodum a nemine unquam emendatam esse scribunt.

*Explicatio Tabulæ æneæ huc pertinentis.*

Fig. I. oſtendit 1) præcipuum ſitum illarum partium, quæ in ſectione in ſenſus incurrunt; 2) quomodo manus miniſtri genitales partes in maſculis ſive pueris reclinat, ut perinæum totum in conſpectum prodeat; 3) quid Medicus ſive Chirurgus utraque ſua manu agat, & 4) quæ ſit figura & locus vulneris, A.

Fig. 2. docet, quomodo, ſectione ad calculum usque facta, hic digitis manus ſiniſtræ in ano vel expellatur, vel ſi hi non ſufficiant, unco vel forcipe apta extrahatur.

Fig. 3. 4. & 5. indicant calculum illum magnum quatuor unciarum ac difformem, quem ex juvene novemdecim annos nato, Celſiana methodo extraxi, & poſtea rurſus ſanavi.

## *OBSERVATIO XIX.*

## DN. D. LAURENTII. HEISTERI

### *De*

### *Calculis in Veſicula fellea quadraginta & uno in cadavere mulieris repertis.*

Circa finem Octobris anni præcedentis 1750. feminæ violenta morte interfectæ diſſecui cadaver, in quo in veſicula fellea calculos biliarios flaveſcentes anguloſos ejusdem fere omnes magnitudinis & figuræ quadraginta & unum deprehendi. Sæpius alias quidem calculos in veſicula fellea inveni, & ſemel unum, qui ſubrotundam & quaſi ovatam habebat figuram, quandoque quinque, ſex vel ſeptem, ſemel novemdecim ſemel etiam viginti & unum, nunquam vero tot, quot in hoc cadavere, in quo quadraginta & unum in conſpectu multorum ſpectatorum ex mulieris hujus veſicula fellea, cum plerorumque admiratione, eduxi, quos omnes etiam adhuc aſſervo.

Nul-

Nullum ceterum aliud vitium morbosum alicujus momenti in eadem deprehendi.

(*Helmstadio Norimbergam missæ d. 17. Januar. 1751.*)

## *OBSERVATIO XX.*

## DN. D. JOANN. BERNHARD. de FISCHER

### *De Rhabarbaro.*

Non hæret quidem, eodem modo, quo olim, Medicis aqua, de patria radicis exoticæ, *Rhabarbari*, disputantibus; notum enim certumque factum est, illam ex China adportari, tam terrestribus, quam maritimis itineribus; præterea Missionarius Jesuita PARENNINI, exactissime descripsit hanc radicem, adeo ut, testantibus *Commentariis Academ. Scient. Paris. Ann. 1726.* secundum hanc descriptionem depingi possit: nihilominus tamen memorabilia quædam, bonæ frugis, de Rhabarbaro addere in animum induxi, inprimis cum Jesuitæ nominati descriptio in paucorum sit manibus. Primaria communiter est disceptatio, an ita dictum *Rhabarbarum* &, quod nuncupatur, *Rhaponticum*, sit una eademque, an diversa radix? Sciendum autem est, quod, non obstantibus distinctis hisce denominationibus, tamen unica saltem sit radix, non nisi mole, teneritudine friabili, & duritie differens, ita quidem, ut, quæ mole ampla, friabiliorisque texturæ est, *Rhabarbarum* dicatur, & quæ mole tenuis, dura, & lignosa est, *Rhaponticum* salutetur. Non crescit, nec crevit olim ad *Pontum, Euxinum* dictum, Rhaponticum, nec Rhabarbarum apud *barbaros* quosdam orientales, nisi Chinenses ita appelles, & illorum proximos vicinos, Mongalos, & regni Thibet incolas: nec repertum fuit unquam ad fluvium, olim *Rha*, nunc *Volga* dictum,

ctum, uti luserunt olim materiæ medicæ commentatores: nulla alia ratione, quam per mercatores, hæc radix nomen obtinuit diversum. Græcis Romanisque quidem omnes populi, moribus ab ipsis diversi, *barbari* nuncupabantur, cumque hæc radix illis ex orientalibus regionibus advehebatur, hinc *barbara* audiebat; cum per & juxta Pontum deferebatur, inde *pontica* salutabatur. Forsan & mercatores, qui per Pontum negotiabantur, non adeo solliciti fuerunt de radice tali optimæ notæ a mercatoribus Bucchari-cis & Russicis obtinenda, quam quidem illi, qui a Persis, Chinæ propinquioribus, illam coëmerunt, & in emporiis Natoliæ maritimis vendiderunt. Notandum interim est, omne Rhabarbarum, in quovis diverso suo natali solo, hoc cum reliquis vegetabilibus commune habere, ut pro diversa ratione soli etiam bonitate differat. Chinenses Rhabarbarum appellant *Raven*, idemque nomen & Persæ & Russi retinuerunt: ῥᾶ autem, sicuti Græcis radicem denotabat, ita hæc per eminentiam ita appellabatur, non aliter, quam Europæorum multi Medici, inprimis Angli, per *corticem*, non alium, quam Peruvianum illum febrifugum intellectum volunt. Diversimode etiam & Russi nuncupant vernacula sua Rhabarbarum, & ita dictum Rhaponticum, denominatione a figura externa radicis desumta; sic, quia illud, quod vocatur *rha-ponticum*, teres, tenue, oblongum & lignosum est, manubrio mallei vel scuticæ simile, hinc *Raven tscherenkova*, i. e. *Rhabarbarum manubriiforme* appellant; crassum autem, teneriorum fibrarum & compagis, & quod, resectis excrescentiis rhaponticis manubriiformibus, necnon exsectis bene caulium, intime germinantium, propaginibus, (ut hoc modo paululum concava evadat radicis pars superior,) ad similitudinem ungulæ equinæ fere accedit, *Raven podkova*, i. e. *Rhabarbarum ungulatum* vocant. Est autem Rhabarbarum ordinarie radix tardioris

vegetationis, unde etiam illud, quod in horto nosocomii Moscoviensis jam ante 30. annos satum fuit, crassitie vix pollicem superat, *ponticum* idcirco nominandum & manubriatum. Quod itinere terrestri ad nos ex China advehitur Rhabarbarum, valet præ illo, quod longo itinere maritimo in Europam venit, id quod jam olim quoque Medicorum complures, e. g. SCHROEDERUS, NEUMANNUS & ACOSTA annotarunt; in navibus enim ab aëre incluso & a mercium variarum ac inprimis aromatum effluviis calidis, solisque ardore vitium contrahit. Terrestri via ex China Rhabarbarum advehunt Russi, Buchari & Persæ, & quidem hi mediantibus camelis, ubi antea illud gossypio involvunt, ne compacta radix, æstuante sole in corruptionem abeat, & una corrupta reliquas inficiat, sicque Turcis illud vendunt, venale ultimo in emporiis orientalibus maris mediterranei; Russi vero maxime tempore hyberno, a finibus, quos cum Chinensibus habent communes, super nivem, Moscuam & Petroburgum illud transferunt, atque ita ab aëre æstuante prorsus defensa hæc radix eodem nobis traditur modo, quo nobile illud The viride ex China adportatur. Interim itineri huic hyemali non unice tribuenda venit singularis illa Rhabarbari Russici, qua communiter gaudet, prærogativa, sed accedit insuper exquisita illa circumspectio, quam in ipsis Chinensis Imperii finibus sub coëmtione adhibent Russi, cujus tanto exactiorem habeo notitiam, quum illa olim meo potissimum directa fuerit consilio. Mittebatur enim ann. 1737. Pharmacopœus quidam, jussu Imperatricis ad hoc negotium a me instructus, ad fines imperii: socium habebat mandatarium alium, quem Commissarium vocant, cui demandatum erat, ut omne, quod a Chinensibus aliisque mercatoribus vicinis offerretur Rhabarbarum, bonum malumve, coëmeret & Pharmacopœi curæ traderet, qui speciatim in mandatis habebat, ut il-

lud

lud ſtatim omne in ultima Ruſſici Imperii ſtatione, *Kjachta* dicta, ſub tecto adſervaret & a pluviæ ac ſolis acceſſu probe defenderet, ita tamen, ut aër undiquaque pertranſire poſſet, ſegregando dein viliſſimum a meliori, &, habita poſt paucos dies reviſione, prius illud omne igne concremando, ne in manus avaras, lucelli cupidas, incideret, reliquum autem bonum, ſi opus foret, ab humiditate ulterius aëris liberiore afflatu liberaret, tandemque bene exſiccatum & a cortice, ſi quis forte adhuc ſuperſtes foret, lignoſo, ſqualido & excreſcentiis omnibus, ipſisque rhaponticis, repurgatum Moſcuam & Petroburgum mitteret. Simulac Petroburgi advenerat Rhabarbarum, rurſus manibus Pharmacopoei tradebatur, & quod forſan minus curioſe, ad præcepta, mundatum erat, denuo mundabatur, tam ratione corticalis fibroſæ ſubſtantiæ, quam ratione excreſcentiarum, hocque modo Rhabarbarum nitidiſſimum in alias mittitur regiones, adeo, ut nitor facile NEUMANNO ſuſpicionem movere potuerit, illud forſitan pigmento quodam obductum fuiſſe, quæ tamen fraus facillimo detegenda eſſet negotio. Characteres bonitatis Rhabarbari in eo potiſſimum conſiſtunt, ut ſit friabile, cum duritie tamen aliqua; ut ſucculenta antea ejus ſubſtantia gyris innumerabilibus gaudeat, ad inſtar nucis Moſchatæ; ut ſit craſſior, denſa, ſique ungulæ equinæ formam non exacte referat, tamen ad molem ejus proxime accedat, vel partem repræſentet ejusmodi molis, bonæ ſupra dictæ notæ; occurrit enim Rhabarbarum, quod ungulam talem exacte refert, ſed durum, quadantenus fibroſum & minus friabile eſt, id quod a ſoli, ex quo erutum fuit, differente natura dependet; & tandem ut ſit coloris ex rubicundo flavi penitusque ſiccum. Vermibus non facile exeditur, ſi in ſicco ſemper ſervetur: exſiccatur autem cum tempore valde, & de pondere multum amittit, ſitque tunc magis rubicundum,

teſtimonio, humidum ejus tenuiſſimum ablatum eſſe; non tamen adeo ſucculenta eſt radix, ut cum NEUMANNO neceſſarium putes, ita eandem reſcindere, ne multum ſucci pereat. Benignitas, quam præſtat Rhabarbarum, in alvo ſubducenda, & ſimul in tono inteſtinorum firmando, in cauſa eſt, quod, turbato aliquando commercio, magno admodum venerit pretio: recordor enim, cum anno 1727. ob tumultus inteſtinos Perſicos, nullum ad portus maris mediterranei deferretur, nec tunc temporis ex Ruſſia ſufficiens quantitas ſuppeditari poſſet, in Galliæ cathedris diſputatum fuiſſe, quænam radix laxans Rhabarbaro ſubſtituenda eſſet? hancque in Gallia & Italia vigentem ſummam caritatem, Ruſſiæ quendam mercatorem, natione Italum, eo induxiſſe, ut curſu publico per veredarium Moſcua Venetias magnam ejus quantitatem miſerit; an cum lucro, expenſis reſpondente, ignoro, certe haud credo.

## *OBSERVATIO XXI.*

## DN. D. JOANN. BERNHARD. de FISCHER

### *De Thea.*

Cum præcedente in obſervatione foliorum Theæ mentionem fecerim, quæ mihi de his nota ſunt, aliisque forſan incognita, nunc quoque communicabo. Populus Chinenſis, præter potum, ex frugibus confermentatum, ditioribus inprimis conceſſum, aquam calidam, & foliis boni guſtus inprægnatam, lubentiſſime bibit, opulentioribus autem foliis fruticis ſingularis conditur, quæ folia per excellentiam *folia* appellantur, vocabulo Chinenſi *tſchai*, eodem modo, quo radix illa laxans, *Rhabarbarum*, ſimpliciter *Rha*, i. e. *radix*, & cortex febrifugus Peruvianus a multis Medicis ſolo *corticis* nomine ſalutatur. Mira induſtria, uti

uti perquam notum eſt, contorquentur & ſiccantur folia hujus fruticis, quo viror, ſapor & odor ipſis maneant immunes, & in uſum opulentiorum cedant: reliquis populis, pauperibus, vel ejusdem fruticis folia minus tenera in uſum trahere, vel aliorum fruticum & herbarum *tſchai* ſive folia, aquæ calidæ miſcere, licitum & in uſu eſt. Quæ de genere hujus fruticis inter Botanicos diſputantur, nolo recoquere, ſed unice quædam de varia bonitate, aliaque conditione horum foliorum, forſan non omnibus nota, proponam. Multiplex ad nos, etiam nunc, ſicuti jam olim, navibus Hollandicis & Anglicis, variis ſub nominibus affertur horum foliorum quantitas, interque illa hodie prævalent illa nigricantia, quæ a nobis *The Bui* vel *Buhe* vocantur, & exolevit fere uſus Theæ viridis fragrantioris in Europa; hanc forſan ob rationem, quod, cum illud viride, itinere maritimo, bonam indolem multum perdat, e contrario nigricans *Buhe* magis fixioris ſit ſubſtantiæ, ut in itinere maritimo ab aëre illo chaotico occluſoque navium, ab ardore ſolis exæſtuante, minus corrumpatur, vel quod minoris in China venit. Aliter autem ſe res habet cum Thea viridi, imo & illa nigricante, quam mercatores Ruſſici ex China adportant. Illius duplex advehi ſolet ſpecies, quarum optima *tſchulan tſchai* dicitur, altera *monig-chwval tſchai*, utraque Chinenſibus nuncupationibus ſic adpellata; nigra autem, quam adportant, Ruſſis itidem *nigra* audit, in vernacula *tſchonn*, Chinenſibus vero *ui tſchai* dicitur. Fragrantiſſima & ſapidiſſima eſt illa, quæ *tſchulan* appellatur, Ruſſis *ſelonoi*, i. e. viridis dicta, cujus tantum decem folia ſufficiunt tingendis fervidæ aquæ fluviatilis duabus libris: audit hæc Thea, inprimis Germanis, *Thea Chinenſis*, quaſi per excellentiam, licet omnis Thea ex China in Europam transvehatur, excepta illa portione, quæ nobis ex Inſula Japan venit. Miſi aliquando hujus optimæ *tſchulan* (nam

differt aliquando ipsa excellentia) aliquid amico extraneo, qui mihi rescripsit, se diu jam quotannis ex Hollandia sibi mitti curare optimam Theam pretio licet caro, nec unquam adeo bonam se accepisse; interrogans, in qua Chinæ regione illa colligeretur? Respondi, quod, cum, quantum quantum sit imperium Chinense, illud per fossas & aquæductus rivosque inter se sit conjunctum, & Hollandos Anglosque, & reliquas nationes sine dubio unam eamdemque Theam exportare; differentiam autem bonitatis vel qualitatis in itineris ratione esse positam, multumque differre vegetabile quodvis, tempore hyberno, modicis trahis vectum, (nam in primis confiniis Russo-Sinicis canum ope super nivem vehuntur merces, quia equi ibi non aluntur, nec, si adessent, super nivis altæ superficiem adeo facile currere possunt, ac canes,) ab illo in navibus, ab æstu mercium reliquarum, inprimis aromatum, & ardore Solis diutino, excocto. Nec pretium hujus bonæ Theæ est in Russia carum, quando Societas illa mercatoria, *Caravana* dicta, ex China redit: sæpius enim duobus Rublonibus, (circiter duobus Thaleris) libra una constat; interdum autem majore.

Illud *Monig-chvval tschai* non minus fragrans quidem est, sed non ejusdem nitidi viroris, nec fragrantiam tantam a se ipso, sed a permisto flore Jasmini orientalis, tenet, hinc initio quidem boni est usus, cum tempore vero saporem acquirit nauseosum. Nigra Thea, *Bube* nobis dicta, in minore quantitate per Russos evehitur: Russi enim viridem illam optimam, præ nigra, licet optima, bibere malunt. Ceteroqui vero & hæc nigra reliquam, navibus in Europam advectam, multum fragrantia & teneritudine exsuperat, confirmato indicio, itineris rationem multum valere. Hæc Theæ genera, Europæis usitata, unice in Europa valent: in China vero, ob foliorum pro potu usum maxime extensum, magna illorum copia in panes variæ magnitu-

gnitu-

gnitudinis comprimitur, inter quos alii tenent longitudinem pedis, latitudinem dimidii pedis, & craſſitiem pollicis, alii autem variant magis minusve, quoad hanc menſuram. Compreſſi ſunt autem alioqui adeo firmiter, ut non niſi ſerra illos per medium findere poſſis: conſervant virorem & fragrantiam in permultos annos, guſtui autem nauſeoſa fiunt hæc magmata pauco interjecto tempore. Interim & hæc ſunt in uſum illorum, quibus ſuppellex non eſt tota curta: pauperiobus vero etiam tales parantur panes, ſed non adeo compreſſi, ex viliſſimis foliis, mixtis pedunculis ligneis, firmam compagem non admittentibus. Interim omne eſt charta Chinenſi, cum inſcriptione, involutum, uti videre licet in exemplaribus has litteras comitantibus, pro Muſeo curioſo Academiæ noſtræ Imperialis deſtinatis.

## *OBSERVATIO XXII.*

## DN. D. JOANN. BERNHARD. de FISCHER

### *De albis Leporibus.*

Cum incideret in manus, JETZII de albis Livoniæ leporibus germanice Lubecæ 1749. editum ſcriptum, illudque ego perlegerem, inveni quædam ab Auctore non ſufficienter perſpecta, quæ locupletare quodammodo poſſint Lagographiam; quare eadem hiſce communicare cum publico non inutile fore duxi. Monendum itaque primo eſt, hanc leporum ſpeciem, qui, ineunte hyeme pilos æſtivos ex fuſco rubentes in albos mutant, non in Livonia tantum, ſed & in Ingria, Lithuania, Curonia & Ruſſia boreali, & quidem in hac paulo majores majorique pilorum denſitate gaudentes, inveniri; imo, ut vero ſimillimum eſt, in omnibus regionibus borealibus, utpote in quibus plura animalia ſemper albeſcentia, e. g. urſi, lupi, imo accipitres,

e. g.

e. g. Islandici, reperiuntur, siquidem etiam in nivosis Helvetiæ alpibus lepores albos dari tempore hyemali, *Ephemerid. Nat. Curios. Decur. II. Ann. IX. Observat. 27.* (c) docent. Sciendum autem secundo est, hanc speciem leporum, qui pilos hoc modo mutant, paulo minorem esse eorum specie, qui pilos suos non mutant, & pelle æstiva etiam tempore hyemali per Livoniæ nives vagantur, ac insimul Livoniæ æque indigenæ sunt, ac illi mutabiles; licet in minore copia, si cum pilos mutantibus conferantur, adsint, vel quod in nive facilius conspiciantur, & a lupis innumerabilibus capiantur facilius, vel quod in hac regione, ob hyemis diuturnitatem, difficilius alantur. Licet enim in Lithuania & Curonia hi fusci lepores in majori reperiantur copia, quam illi, qui per hyemem albescunt, creditu tamen difficile est, illos ex patria sua, e. g. Lithuania, Revaliam usque adeo longinquum iter suscipere, & se insidiis

c) Deprehendo autem, dissentire Auctorem hujus Observationis, celeberrimum nempe *Joh. Jac.* WAGNERUM, in reddenda causa, & frigori intenso albedinem tribuere: verum, ut me paucis expediam, cur albent domi, in camera alti? cur hyeme frigore intenso destituto & miti? Inquirendo ulterius in *Ephemeridibus* nostris, deprehendi in *Anno X. ejusd. Decuriæ*, & quidem in *Append. p. 125.* non solum PAULLINUM in sua *Lagographia* ejusdem fuisse opinionis, sed & hujus loci Observatorem *Rosinum* nempe LENTILIUM, imaginationi prægnantium leporum hunc effectum adscribere; cum enim candor nivis illorum oculis continuo obversetur, mirum haud esse, quod fœtus inde candidi prodirent. Piget fere contradicere huic ratiocinio. Nam quis unquam vidit fœtus leporinos candidos? anne hyeme coitum celebrant lepores & imprægnantur in Lithuania vel in Livonia? cur non ex fusco rubescentes illi majores lepores huic imaginationi sunt obnoxii? sic graviter interdum dormitat Homerus!

ſidiis innumerabilium luporum exponere: quum hyemali tempore in Livonia magis, quam in Lithuania, deficiat nutrimentum. Vero potius eſt ſimile, illos, quos interdum deprehendimus in Livonia fuſcos, etiam in Livonia fuiſſe genitos: eosque mutabiles, qui in Curonia & Lithuania degunt, etiam ibidem fuiſſe procreatos; licet facile credideris, hos ex Livonia factos fuiſſe transfugas in mitius clima Curonicum & Lithuanicum. Salutantur autem, qui deprehenduntur in Curonia & Lithuania tempore hyemis, *lepores albi* titulo Livonorum, & viciſſim, qui in Livonia per hyemem obviam veniunt *fuſci*, titulo Lithuanorum vel Curlandorum. Cauſam mutationis pilorum quod attinet, illa duplex eſſe videtur: prima, quod hæc ſpecies ſecurior eſt ab inſidiis & perſecutione reliquarum ferarum tempore hyemis, dum ſplendentem permeat nivem, in qua, quia ejusdem albedinis eſt, facile conſpici nequit: ſecunda, quod convenientia deficiunt alimenta. Aluntur enim lepores gramine, aliisque teneris plantis, quæ omnia ingruente hyeme partim marceſcunt, partim nive teguntur: bona ſanguinis craſis in deteriorem tunc mutatur, quid tunc mirum, fuſcos ſucculentos pilos cadere & minus ſucculentos, tenues, eoque ipſo albeſcentes locum priorum ſupplere, exceptis aurium apicibus, in quibus plurimi nigricantes perſtant. Non autem unice ex alimento depravato hæc pilorum oritur albedo; nam ſi hujus ſpeciei leporem, per hyemem, domi alas, braſſica, avena, &c. nihilo minus veſte induitur alba, licet non adeo exacte, (quia frigori, pilorum texturam paululum condenſanti, non eſt expoſitus,) teſtimonio, ſanguinem ipſum hujus ſpeciei ita eſſe comparatum, ut ſub pilorum æſtivorum defluvio craſin mutet in aliam, pilis albis generandis aptam: non aliter, quam ſciuri, qui, licet congerant ante hyemem ſub terra alimentum hybernum, vel ſi etiam domi per hyemem optime alantur, nihilo-

lominus veſtem rubram deponunt ineunte hyeme, & gryſea nova veſtiuntur. Sciendum ſimul, per hyemem, domi bene paſtum leporem albeſcentem, bono gaudere habitu, carnemque habere ſapidiſſimam, feros autem campeſtres media hyeme non ſolum minoris apparere habitus, ſed & ſæpius habere carnes glandulis induratis repletas & minus ſapidas; id quod in leporibus, pilos non mutantibus, non obſervatur, indicio, ſanguinem hos habere craſeos firmioris, quæ e macro nutrimento non alteretur. Dignum judicavi præcedentia leporum addere hiſtoriæ; cum ſciam, Phyſicos quosdam de vera hac mutatione leporum dubitaſſe. Cum enim a multis retro annis, anno MDCCVII. ni fallor, Jenæ, in *Georgii* HAMBERGERI Diſſert. *de Frigore*, hunc virum celeberrimum de vera mutatione pilorum dubitare legerem, de veritate rei illum certum feci, curavique, ut mihi Riga mitteretur pellis alba leporis, quæ ipſi monſtrata omne dubium ſolvebat. Quod jam de lepore dictum eſt, id etiam de tetraonis ſpecie, quæ *Lagopus*, ob pedem totum plumoſum, vocatur, valet. Ceſſat bonum æſtivum alimentum ingruente hyeme, & ideo albam induunt veſtem, ſub qua, licet, inprimis cum alba nix ſolum inſigniter tegit, fame quodammodo premantur, ab inſidiis vulpium rapaciumque volucrium ſecuriores ſunt, inviſibiles facti ob eandem cum nive albedinem: ſoluta autem per vernum ſolem nive, abundant cum reliquis volucribus, urogallo, &c. alimento gratiſſimo, ſanguinem egregie reficiente & renovante, oxycocco locorum paluſtrium, de cujus virtute travmatica quædam obſervavit JETZIUS. Inducor nunc ejusdem Autoris narrata de margaritis Livonicis dilucidare, maxime, cum in Dn. D. EBERHARDI Tractatu germanico de margaritis legerim, illum magnam de piſcatu margaritarum Livonicarum concepiſſe opinionem. Verum quidem eſt, rivos fluviosve Livonicos quosdam ale-

re

re conchas margaritiferas; aſt mediocrior erit illorum forſan numerus. Famoſus hinc diu fuit rivus quidam *Tirſe* appellatus, & quidem in Lettia; quas reddunt ejus conchæ margaritas, rotundæ quidem ſunt, nec parvæ, quia ſæpe myrtillos corpore adæquant, aſt non nitentes, ſed multum liveſcentes; & hujus naturæ ſunt fere omnes margaritæ in borealibus undis repertæ, ad ultimam Norvvegiam usque, ſine dubio, quod conchæ per ſex vel ſeptem menſes calore & radiis ſolis quotannis priventur. Interim fama de margaritiferis conchis Livoniæ, jam ante ſexaginta circiter annos, Regem Sueciæ movit ſtatuere, ut, quas fundi proprietarius, quem vulgo vocant, invenerit in conchis undarum ſuarum, margaritas Regi venum offerre teneatur, antequam aliis vendere ipſi fuerit animus; hujus legis memor forſan HEDENBERGIUS, inquiſitionem in margaritas renovavit; attamen nunc omnia circa hoc negotium rurſus ſilent, ob rem, ut videtur, minus proſpere ſuccedentem, ideoque etiam ipſe non gaudet amplius fixo illo indicato ſalario, ſed quartam partem valoris margaritarum, quas e conchis eruit, ſibi habet aſſignatam. Quod attinet porro ad allegatam illam notam certiſſimam maturitatis margaritarum, nempe purpureum illum ſuccum, quem concha foras fundit, in ipſo illo loco, ubi margarita exitum ex ſuo receptaculo parat; quem & JETZIUS ſe deprehendiſſe annuit in conchis a margaritis jam liberatis, certe magna hic locum habet dubitationis ratio. Quis enim in conchis, non niſi immaturas, liveſcentes margaritas continentibus, purpurei ſucci ſcaturiginem præſumat, cum id non legatur accidere in orientalibus conchis, margaritas perfectiſſimas continentibus, quarum nobilitas borealibus prævalet. Non excellunt rari iſti apud nos inquiſitores in margaritiferas conchas tanta experientia, quam illi orientales, quorum perpetuum eſt circa illas negotium, qui ta-

men de hoc ſilent. Quæ vidit JETZIUS ſtigmata, vel ſtrias rubras, in vacuis conchis, illas ipſis natura proprias fuiſſe credibile eſt: quis enim ſucci purpurei notas in conchis remanere per annum vel ultra credat?

(*Riga Halam miſſæ, d. 22. Mart. 1751.*)

## *OBSERVATIO XXIII.*

## DN. D. GOTTLOB CAROLI SPRINGSFELDI

*De*

## *Terra quadam cærulea, in fodina, prope Eccardsbergam in Thuringia, reperta.*

Cum nuper inclytà Naturæ Curioſorum Academia me in numerum Collegarum recepit, mearum eſſe partium credidi, ut ante omnia Illuſtri Præſidi, Excellentiſſimo Directori, atque Experientiſſimis Adjunctis, pro collato in me honore gratias agerem, ſimulque ea præſtarem, quæ leges atque inſtituta Illuſtris hujus Academiæ volunt ac jure poſtulant. Dum de materia cogito, talem eligere animus eſt, quæ ad hiſtoriam naturalem, & quidem indigenam, pertinet. Magis enim proderit patriæ, ea ſcrutari, quæ ante pedes, quam quæ foris ſunt. Talia meditanti offert ſe terra quædam ſingularis cærulea, quæ aliquot abhinc annos in fodina, prope Eccardsbergam ſita, ubi pyritæ fodiebantur, reperta fuit; nunc vero, quia ſumptus impendendi ſuperabant fructus ex mineris prodeuntes, non amplius eruitur, ideo raris certe mineris olim a collectoribus annumerabitur.

Eſt eadem illa terra, quam celeberrimus LUDWIG, Fautor atque Amicus noſter integerrimus, qui illam a nobis

bis accepit, in ſplendidiſſimo Opere *de Terris* (d), ad genus *Tripelarum* refert, & quoad ſpeciem, *Tripelis tenerioribus, cum acidis non efferveſcentibus*, adnumerat, illamque Num. 2. *Terram egregie cæruleam, prope Eccardsbergam, in principatu Leucopetrenſi, effoſſam* nominat.

Tripelis adjungit, quarum genus *pag. 47.* definit, quod ſit *terra genuina, tactu macra, aſpera, rara, admodum ſiticuloſa, quæ facile in pollinem conteratur, & digitos inquinet.* Quæ proprietates, quum noſtræ manifeſto competant, in ſyſtemate hunc locum illi neceſſario adſignare debuit. Quoniam vero tactu quodammodo mollis eſt, in ſpeciei definitione illam *teneriorem* adpellat. Quoad colorem, egregie cærulea omnino dici meretur. Pigmento enim illi cæruleo Berolinenſi, *Ultramarinum* dicto, omnimodo ſimilis eſt; ut etiam partium ſubtilitate atque teneritudine cum illo congruat. Hoc colore autem jam tincta minime e terra effoditur, ſed alba, humida, mollis, inſtar argillæ, in cryptis invenitur. Libero aëri expoſita, ſenſim ſenſimque album colorem, a parte externa, mutat in cæruleum, donec prorſus tingatur, ea quidem proportione, qua ſiccatur, & aër externus accedere poteſt. Fragmenta enim majora & duriora, etiam poſt aliquot menſes, licet externe plane tincta fuerint colore cæruleo, in centro tamen nucleum habebant adhuc album, qui, diffractis fragmentis, & accedente aëre, progreſſu temporis colorem cæruleum pariter induebat.

Eruebatur autem hæc terra e vena pyritum, in qua ſparſim in globis, &, ut foſſores loqui amant, nidorum (e) inſtar, inveniebatur. Cortice duriore, qui craſſitiem



(*d*) *Terra Muſei Regii Dresdenſis*, Lipſiæ 1748. p. 93.

(*e*) Optime modum, quo mineræ iſtæ inveniuntur, deſcribit HENCKEL, *Pyritolog. p. 241.* Neſterweiſe, inquit, oder Nie-
rens

pollicis habebat, & ex pyritis ferri particulis constabat, tanquam in nucleo inclusa erat, eadem fere ratione, ac lapis ætites, ad cujus similitudinem maxime accedebat, terram quandam martialem continet, nisi quod terra nostra cærulea majori plerumque in copia reperiretur, licet globi magnitudine multum inter se variarent. Venam illam pyritum excipiebat vena anthracum, parum pinguium, hinc ad usus domesticos minus utilium. Pyrites vero effossus satis sulphureus erat, ita ut etiam sulphur in peculiari officina inde excoqueretur & pararetur. Hic est idem pyrites, cujus jam alio loco (*f*) mentionem feci, & qui, quum libro aëri, per unum duosve menses, in magno acervo expositus, atque multa pluvia irroratus fuerit, se ipsum accendit, nulloque modo extingui potuit: affusa enim aqua in vehementiorem erupit ignem.

Excocto sulphure, ex isto pyrite parabatur etiam vitriolum ferri, & tandem alumen, eodem fere modo, ac in officinis Bohemiæ prope *Altsattel* observavi, & in Tractatu de *Thermis Carolinis* (*g*) memoravi. Hæ sunt igitur mineræ, una cum quibus nostra cærulea terra inventa fuit.

Hac

renweise, das ist, als Eyer oder Kerne in gewissen Schalen, wo aber kein sonderlicher Zugang und Zusammenhang, weder mit andern Ertzen, noch mit darneben streichenden Gängen, noch unter ihnen selbst zu spüren, sondern der Beschluß so genau gefasset ist, daß dergleichen Kies-Nester, da viele Stücken ja Vorräthe oft neben, und nicht weit von einander sich zusammen gehäufet, gleichsam als aus einen Sack voll Kollernder Kieselstein-Nüsse auszuschütten wären.

(*f*) *In Itinere Medico ad thermas Aquisgranenses & fontes Spadanos*, Lipsiæ, 1748. p. 40.

(*g*) *Abhandlung vom Carlsbade p. 72. & 73.*

Hac occaſione ſilentio præterire non poſſum PLINIUM (*h*) cærulei cujusdam nativi meminiſſe, quod vero, ſi fides Auctori habenda eſt, ex auri & argenti fodinis fuit effoſſum. *In argenti*, inquit, *& auri metallis naſcuntur etiamnum pigmenta, Sil & cæruleum. Sil proprie limus eſt, Cæruleum arena eſt.*

Quæritur merito, an *Cæruleum noſtrum montanum terreum ſit?* de quo ego quidem ob ea, quæ PLINIUS porro narrat, dubito. Mittamus, quæ dubia ſunt, & inquiramus potius in noſtram terram. Inveſtigemus ante omnia, ex quibus partibus conſtet, vel compoſita ſit: deinde, an metallici quid contineat, & cujusnam?

Si faciem externam ſpectas, ob colorem cæruleum, qui alias plerumque cupri mineris atque præparatis proprius eſt, putares, noſtram terram omnino participare de cupri particulis, quemadmodum videmus in *Cupro ſoluto vel corroſo, præcipitato cæruleo* WALLERII (*i*), aliis *Cæruleum montanum, Germ. Kupferblau* & *Bergblau* dicto, quod nihil aliud, quam terra mineralis cupri eſt. Recte autem monet doctiſſimus celeberrimusque WALLERIUS (*k*) in nota adjecta, non omnem terram cæruleam continere cuprum, nonnullas etiam ferrum: addit (*l*), quasdam etiam arſenicum ſine omni veſtigio cupri; & paulo infra dicit: omnes lapides, colore cæruleo vel viridi tinctos, cuprum continere, minime experimentis adhuc comprobatum atque evictum

(*h*) *Hiſt. Natur. Libr. XXXIII. Cap. XII. & XIII. Edit. Hard. Tom. V. §. LVI. & LVII. p. 76.*

(*i*) Mineralogie, oder Mineralreich, durch DENSO überſetzt, Berlin. 1750. p. 360.

(*k*) *Ibidem* p. 361. Alle bläulichte Erde hält nicht Kupfer, ein Theil hält Eiſen.

(*l*) *ibidem.* Ein Theil hält Arſenick, ohne Anzeige vom Kupfer.

ctum est. Præjudicium sine dubio inde ortum traxit, quoniam hucusque creditum fuit, reliqua metalla corpora alio colore, cuprum vero cæruleo vel viridi tingere (*m*); cui tamen opinioni experientia contradicit. Hujus rei exemplum habemus in terra illa violacea, *mirabilibus Saxonicis terris* a RICHTERO annumerata, quæ prope *Eybenstock*, ad fines Saxoniæ in Sudetibus situm, invenitur, & quam particulis ferri imbutam esse, Metallurgorum facile princeps, HENCKELIUS (*n*), experimentis docuit.

Enumerabimus igitur ordine experientias, quas fecimus, ad detegendam naturam atque compositionem nostræ terræ.

1.) Affudimus illi aquam communem, quam quidem initio tingebat; post horæ vero quadrantem omnis terra fundum petebat, & aqua insipida, omnisque coloris expers manebat. Nec mutabatur aqua, licet per octo dies ita staret, & quotidie aliquoties concuteretur: quam ob rem etiam

(*m*) HENCKELIUS *in Pyritologia p. 463.* Da hiernächst alle blaue mineralische Farbe, sie sey von Natur oder durch Kunst gemacht, z. E. Lasurstein, Kupferblau, Bergblau, blauer Vitriol, von nichts anders als von Kupfer herrühret, und endlich, da sich das Kupfer in der bekannten Kobold-Art, so man Kupfer-Nickel nennet, bey dem Kobold insgemein offenbarlich zeiget: so solte es ja wohl nicht ungereimt seyn, auf die Gedancken zu gerathen, daß die weltberühmte blaue Kobold-Farbe von einer Erde herkomme, die nicht allein vorerst metallisch, sondern auch insonderheit küpfrich sey.

(*n*) Vid. *Ephemer. N.C. Vol. V. p. 322.* Porro confer. HENCKELII **kleine Mineralogische Schriften** p. 307. §. 460. Neulich ist mir eine Lasurblaue Erde zugeschickt worden, die da schwammicht, leicht, auch ungeschmack ist, und bey Schneeberg fast auf der obersten Fläche des Erdbodens, oder am Tage gefunden wird, aus welcher auch durch die Retorte eine Urinhafte Feuchtigkeit ausgetrieben worden. - - Im übrigen ist solche Erde eisenschüssig, welches der Magnet, wenn solche ausgeglüet worden, zeiget.

etiam ad pingendum inepta erat, neque enim ſubigi, neque tractari poterat cum aqua.

2.) Adſperſimus hanc terram ſucco pomorum Citri, nulla oriebatur efferveſcentia, mixtura ſervabat colorem cæruleum ad aliquot horas; quibus præterlapſis terra ad fundum deſcendebat. Innatans ſolutio ſmaragdinum induebat colorem, qui poſt octo dierum decurſum in nigrum mutabatur. Dejecta autem terra albens induruit.

3.) Miſcuimus noſtram terram cum aceto vini, fere eadem obſervantur, quæ ante num. 2. animadverſa ſunt, niſi quod affuſum acetum, poſt deſcenſum terræ, naturalem rurſus acquireret colorem, nihilque terræ intra integrum octiduum ſolviſſe videretur, licet ſuperficies terræ alba reddita fuerit.

4.) Pari modo perfudimus noſtram terram ſpiritu nitri. Mixtio non efferveſcebat; initio quoque parum ſolvebatur terræ, ſed octo dierum ſpatio omnis fere terra ſoluta reperiebatur, excepto quodam lentore, qui in fundo vitri, ſicut etiam in ſequentibus ſolutionibus, remanebat. Mixtura praſſino tingebatur colore.

5.) Affudimus ſpiritum vitrioli; nulla oriebatur efferveſcentia, ſolvebatur tamen ſenſim maxima pars terræ, ut elapſo octiduo omnis terra ſoluta eſſet, præter illum lentorem, de quo modo diximus. Solutio ſubviridem habebat colorem.

6.) Cum oleo vitrioli miſcuimus terram; parum vel nihil terræ ſolvebatur, ſolutio incaleſcebat, nigraque reddebatur. Quum vero plus quam decuplam quantitatem aquæ ſolutioni addidimus, atque mixtionem attenuavimus, denuo incaleſcebat, & non ſolum injecta jam terra ſolvebatur, ſed illa etiam uncia terræ, quæ adhuc ſuperaddebatur. Adſervavimus hanc mixtionem in alios uſus.

 7.) Tan-

7.) Tandem nostræ terræ superinfundimus oleum, quod vulgo dicitur, tartari per deliquium; fere nihil terræ solvitur, mixtio tamen post octo dies turbatur, injectaque terra colorem amittit cæruleum, & cinereo imbuitur.

8.) Sumsimus mixtionem num. 5. cum spiritu Vitrioli paratam, admiscuimus modo nominatum oleum tartari per deliquium, statim omnis mixtura turbida redditur, dejiciturque terra levis, alba, margæ cretaceæ similis, quoad speciem aluminosa.

Eadem fere eveniunt, quando prior mixtio spiritu aquoso, ex sale ammoniaco parato, perfunditur; deturbatur enim similis terra, omnis coloris scilicet expers. Jucundissimum autem nobis se offert spectaculum, si memoratæ solutioni suffundimus lixivium salis illius alcalini, cum sanguine parati, quo in confectione cærulei Berolinensis utimur, & cujus præparandi modum celeberrimus Berolinensium Chemicus MARGGRAF (o), Amicus noster optimus, fidissime docuit. Instiliatis enim tantum aliquot guttulis lixivii dicti alcalini, solutio limpida atque clara statim cærulea perfecte restituitur, &, ut Chemici loqui amant, præcipitatur.

9.) Alia vero ratione tractavimus solutionem num. 6. in sequens experimentum adservatam. Solvimus scilicet in oleo vitrioli diluto tantum terræ, quantum oleum excipere potest. Mixtionem diluimus aqua calida, percolamus, usque ad pelliculam decoquimus, & in locum frigidum in vase apto ponimus, invenimus in fundo vasis verum vitriolum viride, a ferri vitriolo, quoad colorem & saporem, non discernendum. Radiis solis expositum, etiam in pulverem album, uti reliqua vitriola, dilabebatur.

10.) Vt

(o) Dans les *Memoires de l'Academie Royale des Sciences & des belles lettres de Berlin, Ann. 1746. p. 12.*

10.) Vt certiores de ferro fieremus, affudimus solutionem hujus vitrioli pulveri gallarum, statim solutio, atramenti instar, nigrescebat, simulque probabat particulas ferri nostro vitriolo commixtas esse.

11.) At enim vero igne quoque nostram terram examinavimus. Coximus atque ussimus illam per unam alteramve horam igne aperto, sed neque vapores tinctos emisit, neque odorem sparsit; post ustionem vero, colore mutatam, ferrugineam scilicet, reperimus.

12.) Tandem vitrum inde conficiendum curavimus, ut experiremur, quali colore illud tingat. Sumsimus igitur arenæ vitriariæ duas partes, & salis alcalini purissimi partem unam: addidimus terræ nostræ cæruleæ partem dimidiam. Torruimus mixturam igne fortissimo, quo vitriarii uti solent, per aliquot horas, perdifficulter autem fluebat; nostri dicunt: *Es war strengflüssig*, quum alias eadem massa, absque illa terra, in eodem igne, facile flueret. Effusum vitrum magis crudum, quam perfectum adparebat, & badio colore erat tinctum, simile fere illi, quod cum croco ferri paratur.

Nec his experimentis contenti, etiam particulas ferri oculis sistere & ope magnetis expiscari conati sumus. Vtimur ergo methodo BECCHERI (*p*), qua ex limo, additione τοῦ φλογιςοῦ, seu olei, ut ajunt inflammabilis, ferrum producere docuit. Admiscemus terræ nostræ cæruleæ sufficientem copiam olei lini, ut massa tenax inde fieret. Injicimus mixturam crucibulo bene tecto atque clauso, illud excalefacimus, donec massa inmissa candeat; continuamus eodem caloris gradu per horæ dimidium, ignem auferimus, & crucibulum sensim refrigescere curamus. Eximimus materiam ustam, & illam præsertim, quæ fundo adhæsit, ma-

 gnete

(*p*) *Physic. subterr. p. 174. & 584.*

gnete examinamus. Admoto magnete, obſcurum motum hinc inde obſervamus, & aliquid, licet parum, ad magnetem advolare videmus; hinc de modo cogitamus, quo omnes ferri particulæ, ſi quæ adſint, facilius erui atque demonſtrari poſſent.

Abluimus igitur, ſæpius affuſa aqua, maſſam noſtram toſtam, ut particulæ graviores fundum petant, leviſſimæ autem una cum aqua abjiciantur, quem tractandi modum noſtri *Schlemmen* vocant. Relictam materiam ſiccamus, bene ſiccatam denuo magneti ſubjicimus, & obſervamus plures jam particulas, quam antea, ad magnetem cogi illique adhærere. Has autem particulas ramenta ferri fuiſſe, nullus negabit, niſi rerum phyſicarum plane ignarus. Experimentis itaque indubiis convincimur, terræ noſtræ cæruleæ omnino ferri partes admixtas eſſe. Quum vero metalla, ita ſoluta atque in calces mutata, plerumque corpora, quibus conjuncta ſunt, colore quodam tingere ſolent, ſic uti in vitris tinctis atque coloratis videmus, plus quam probabili ratione colligere poſſumus, cæruleum illum colorem a particulis ferreis oriri; licet rationem nondum comprehendere atque explicare valeamus, cur viſceribus terræ adhuc incluſa alba reperiatur; album vero hunc colorem in cæruleum mutet, aëri libero per aliquod tempus expoſita, niſi rem eodem modo fieri contendimus, ac in præparatione pigmenti cærulei Berolinenſis obſervamus, ubi maſſa, ſeu terra ejecta, quam præcipitatam vocant, initio non ſemper perfecte tincta, ſed albicans ſæpius adparet; ſub dio autem paullatim magis magisque cærulea evadit, quare ſæpe verti debet. Novimus præterea, aërem multum agere in mineras pyritoſas, vitriolo dotatas, illumque ad generationem vitrioli plurimum conferre, ita ut ſine liberi aëris aditu vix ullum vitriolum gigni poſſe, certiſſime ſimus perſuaſi. Scimus etiam hac actione partes, quæ mineram conſtituunt,

pror-

prorſus mutari, aliterque inter ſe diſponi atque collocari. Nihilo tamen minus rationem minime introſpicere poſſumus, cur terra non in cryptis tingatur? niſi affirmemus, aërem liberum externum in mineras aliter operari, quam aërem ſubterraneum, vaporibus mineralibus gravatum. Me hæc publice profiteri non pudet, quum ſcientiis plus proſit, inſcitiam fateri, quam illam diſſimulare, & inanibus atque futilibus ratiunculis rem, quam explicare conamur, magis obſcurare. Interea ferrum cæruleo colori non adverſari ab HENCKELIO, magno illo Metallurgo, diſci poteſt, qui passim in ſcriptis ſuis experimenta adducit, quæ probant, quod ferrum omnino corpora cæruleo colore tingat. Sic in libello iſto, qui inſcribitur: *Kleine Mineralogiſche und Chymiſche Schrifften* (*q*) meminit pigmenti cujusdam, cærulei, a Pharmacopola illo famigeratiſſimo Lipſienſi, LINCKIO, accepti, quod ex ſolutione vitrioli ferri nativi & ſpiritu vini, ut ajunt, eſſentiali, paratum erat; ubi ſimul addit: vitriolum aluminoſæ fuiſſe naturæ, quo etiam cum noſtro vitriolo convenit. Paulo ante (*r*) autem affirmare annititur, ipſum illud pigmentum cæruleum, Vltramarinum dictum, quod ex ſoda, & acido vitrioli paravit, a ferro colorem habere. His adjicit violaceam illam terram, ſupra jam memoratam & prope *Schneebergam* & *Eubenſtockium* repertam. Hanc martialis proſapiæ eſſe, experimento, cum magnete facto, probat, & ſimul inde concludit, violaceam tincturam a ferro oriri.



(*q*) p. 141. Wo ich denn auch dieſer blauen Farbe gedencken muß, die mir neuerlich der berühmte **Lincke** zu Leipzig gezeiget, welche aus dem wahrhaften Spiritu des Weins, und aus der Solution eines natürlichen Eiſen-Vitriols, der nach meiner Meynung alaunhaſtig mochte geweſen ſeyn, hergekommen.

(*r*) p. 140. Desgleichen auch mein Ultramarin, welches aus zweyen, beyderſeits weiſſen Sachen, nemlich aus dem Salz des Kali-Krautes, oder der Sode, durch das Vitriol-Saure gemacht wird.

Tandem peculiari sectione, quinta nempe (*s*) de colore cæruleo agit, quem ferrum producit. Vitrum (*t*) cæruleum cum croco martis parari, ibi narrat: nec non vitriolum ferri in confectione cærulei Berolinensis ad colorem plurimum conferre, repetit. His addere potuisset auctor cæruleam tincturam martis, cujus præparatio quidem in quibusdam officinis pro arcano habetur, sed ex tribus partibus salis ammoniaci, & una parte limaturæ martis, longiori digestione unitis, aqua pluviali rursus solutis, addito deinde sale fecum vini, & tandem omnibus ex cucurbita destillatis, confici potest. Conferri quoque merentur, quæ ZIMMERMANNUS, qui superiorem librum edidit, in notis (*u*) adjecit. Observavit hic, margas sæpe colorari a mineris atque lapidibus inclusis. Præsertim hoc fieri scribit a mineris ferreis, quæ margas & terras margaceas cæruleo vel rubro tingant colore. Nec argillas excipi, experimento singulari edoctus fuit, quum massam quandam fer-

ro

(*s*) pag. 570.

(*t*) pag. 572.

(*u*) pag. 564. So habe ich auch befunden, daß die Mergel-Erden, gerne die Farbe aus den Steinen, Ertzen, und Mineralien an sich nehmen. Es beobachte es nur ein Liebhaber, wenn er sich nach den Steinen umsiehet, und er wird gar öfters finden, daß, wenn ein Stein, der besonders aus verschiedenen Arten bestehet, in einer Mergel-Erde und am Tage lieget, diese von selbigen, so weit sie ihn berühret, gefärbet sey. Besonders geschiehet es, wenn der Stein eisenschüssig ist, welcher alsdenn, nachdem er feste gemischet, die Mergel-Erde blau oder roth färbet. Auch so gar der gemeine Thon nimmt die Farbe an, und ist mir bey einem Versuche, da ich ein eisenschüssiges Gemenge auf einem blatten Thonkuchen geleget und ausgebreitet, derselbe schön dunckelblau gewölcket dadurch geworden, welche Mahlerey nicht nur auf der Fläche, sondern ziemlich tief eingedrungen war.

ro mixtam tabulæ molli argillaceæ imposuerit, quo factum sit, ut argillæ maxima pars violaceum acquisiverit colorem.

Magnam adhæc lucem nostræ opinioni afferret observatio Clariss. BEHRENS (*x*), qui ad fontem salutarem, intra *Fürstenau* & *Vechteld* situm, ejusmodi terram cæruleam animadvertit, quæ ferrugineæ erat naturæ. De ferro autem per experimenta, in quibus hæc terra ad BECCHERI methodum tractabatur, certior factus fuit; usta enim & aqua abluta terra, crocum ferri in reliquiis detexit (*y*). MERTZIUS (z) quidem, Collega ejus, sequentibus paginis colorem illum a regno vegetabili potius, planta scilicet, kali simili, quam a minerali, derivare contendit. Invenit enim caules quosdam ligneos, putredine destructos, illi terræ adhuc infixos, simulque tinctos; unde concludit ex concursu salis alcalini, sive Sodæ, & vitrioli martis, generari illum colorem cæruleum. Quicquid etiam vir doctus pro-

(*x*) R. A. BEHRENS **Untersuchung der mineralischen Wasser zu Fürstenau und Vechtelde: deutsche Ubersetzung. Braunschweig**, p. 28. Dieses haben die aus dem Vechteldischen Brunnen genommene Erdstücke noch besonders, daß sich an demselben hin und wieder Stellen, ja gleichsam gantze Adern zeigen, die eine fürtrefliche blaue Farbe haben.

(*y*) p. 27. Denn ich befand, daß ein sehr schwerer Letten und Thon war, der nach des Beccheri Zeugniß und Erfahrung jederzeit eisenschüssig ist, und daß sich ein Theil davon nach der Abschlemmung und Calcination in einen rothen Eisen-Crocum verwandeln ließ.

(*z*) p. 28. Allein nachher brachte mir der Herr D. Mertz eine andere Meynung von dieser Farbe bey, indem er mir verschiedene Stengel von Kräutern zeigte, so er in dieser Erde gefunden, und die halb in solche blaue Farbe verwandelt waren, zur genugsamen Anzeige, daß dieses Wesen mehr von einer Pflantze, als einem Minerali herkomme.

proferat, negare non poteſt, terram repertam cæruleam particulis ferreis (*aa*) imbutam eſſe, & mineras ferro divites una cum terra erui. Sufficit nobis MERTZIUM expreſſis verbis affirmare, quod neque cobaltum, neque cuprum (*bb*), ſed tantum ferrum, in vicinia reperiatur. Quid enim juuat ad ſalem alcalinum confugere, & cauſam coloris cærulei inde petere? quum nihil hujusmodi ſalis alcalini, neque in cryptis terræ, unde noſtra terra effoſſa eſt, neque in aëre libero, cui expoſita fuit, inveniatur. Interim legi merentur, quæ MERTZIUS ad defendendam ſuam opinionem ibi protulit. Refert nos tantummodo probaſſe, noſtram terram cæruleam non ſolum particulis ferri imprægnatam eſſe, ſed etiam a ferro tingi. Hæc ea quæ ſequuntur adhuc magis confirmabunt.

Quodſi enim inquirimus, ad quod genus mineralium noſtra terra referri debeat, & cujusnam ſit naturæ atque originis, plus quam probabili argumento affirmare poſſumus, nil aliud fuiſſe, quam globum pyritaceum ferrugineum, cujus nucleus vaporibus ſubterraneis deſtructus, & in terram ferri mutatus eſt; noſtri dicerent: *Eine zerwitterte eiſenſchüſſige Kies-Niere.* Ejusmodi autem deſtructionem & mutationem, qua mineræ & metalla jam perfecta, ab acido minerali, aquis & vaporibus inhærente, rurſus ſolvuntur, & partim una cum his auferuntur, partim tanquam terræ dejiciuntur, vel, ut magis loqui amant, præcipi-

(*aa*) p. 29. Die harten eiſenſchüſſigen Stücklein habe in Crucibulo glühen laſſen, da ſie die Farbe eines Croci martis bekommen, und nachdem ſie zerrieben worden, durch den Magnet ihren reichen Eiſengehalt genugſam gezeiget. Et pag. 31. Ich kan es jederzeit demonſtriren, daß auch das kleinſte Stücke, welches die viele blaue Farbe hat, gleichfalls eiſenhaltig ſey.

(*bb*) p. 31. Kupfer und Kobald, woraus ſonſt eine blaue Farbe kan gezogen werden, iſt in der ganzen Gegend nicht.

cipitantur, in terræ visceribus continuo fieri, non solum ab HENCKELIO, in eleganti illo libello, *Flora saturnizante*, multis exemplis persuademur & convincimur; sed etiam nos ipsi quotidie experiri possumus, si cryptas terræ ingredi placet.

Quemadmodum enim in regno vegetabili plantæ fermentatione, & in regno animali animalia putrefactione solvuntur, & in primas partes dividuntur: sic etiam in regno minerali mineræ & metalla rursus destruuntur & eorum partes disturbantur: quam mutationem nostri peculiari termino technico, *die Verwitterung* nominant. Minime vero partes ita destruuntur, ut in nihilum redigantur: sed tantummodo earum compositio atque cohæsio tollitur, qua sublata partes alio ordine collocentur atque componantur, quid? quod aliter prorsus adpareant, necesse est.

Omnes quidem mineræ huic mutationi obnoxiæ sunt, præsertim tamen pyritæ, qui, ob componentium partium naturam, omnium facillime solvi possunt. Sed etiam hac in re pyritæ a reliquis mineris differunt, quod novum corpus, vitriolum scilicet, ex se gigni patiantur.

Quodsi igitur ejusmodi globi pyritosi hanc mutationem, terræ visceribus adhuc inclusi, subeunt, non quidem semper omnes earum partes dissipantur, sed sæpe etiam quoad figuram & connexionem cum adjacentibus corporibus immutati manent, alterantur tantum quoad cohæsionem & formam externam. Id quod plerumque accidit, quando vitriolum enatum ex mineris modo eluitur. Hoc enim eluto, &c, vel cum vaporibus, vel cum aquis communicato, nil nisi exhausta atque exsiccata terra ferruginea relinquitur. Simile quid observamus in aetite, qui cortice duro pyritaceo circumdatur, & in nucleo nil nisi præcipitatam ferri terram, medullæ ad instar continet. Modum autem, quo hæc fiant, optime exponit sæpe laudatus HENCKELIUS

LIUS (*cc*), cujus explicationem coronidis locô adhuc infra adſcribemus.

(*Weiſſenfelſa Halam miſſa d. 28. Julii 1751.*)

(*cc*) *Pyritolog. p. 812.* Doch wenn dergleichen runde Kieſe, da ſie noch in der Erde liegen, zur Vitriolwerdung ſich entſchlieſſen müſſen, ſo zerfallen ſie nicht in ſolche Stücken, ſondern bleiben ganz, verliehren aber ihren empfangenen Vitriol, entweder durch eine Verdünſtung, Vertrocknung und Vererdung deſſelbigen, oder auch eine vermerckte Auslaugung, wiewohl ich das erſte mehr, als das andere vermuthe: und ſtellen ſich alſo inwendig weder mehr kieſig, noch Vitrioliſch, ſondern als ein brauner, gilbiger, roſtiger Eiſenſtein, oder feſt zuſammen gebackene Eiſen-Erde dar.

## *OBSERVATIO XXIV.*

## DN. D. WOLFFGANG. THOM. RAU

*De*

## *Effectu pernicioſo a baccis Solani furioſi improvide comeſtis.*

Operarius quidam ex vicino Ducatu Würtenbergico, annorum aliquot ultra quinquaginta, in itinere per territorium Ulmenſe Solanum furioſum ad ſemitam offendens, de ejus baccis maturis deguſtavit & grato earum ſapore deceptus, tantam copiam devoravit, quantam pilei ſui cavitas capere potuit. Tranſiens poſt per pagum Ulmenſem & jam ſemidelirans, fruticem lethiferis hiſce baccis plenum manu geſtans, incolis oſtendit, narratque ſe non ſine gulæ oblectamento de iis comediſſe. Hi attoniti eum de periculo mortis monent; ſed parum id ille curavit & ſubridens in via perrexit: Bihorio poſt autem haud procul a pago in

via

via jacens repertus fuit dormiens, hincque expergefactus & in pagum reportatus omni sensuum usu caruit. Vocatus ego, deprehendi calorem vehementem in eo, pulsum celerem, inæqualem, stertorem in bronchiis, difficilem respirationem, spasticos artuum motus, linguæ balbutiem & faucium inflammationem. Exhibui in hoc calamitoso statu ægro primo emeticum liquidum, a quo aliquoties saburram ex viridi fuscam, nares tetro odore inficientem, evomuit: subjunxi mixturam ex aceto bezoardico, Theriaca Andromachi, nitro, castoreo & succo Citri cum aqua & syrupo rubi idæi paratam, atque finita emesi venæsectionem instituere jussi, quam vero cognati ipsius neglexerunt eumque sequenti mane, quum paulo melius se habuisset, domum transportarunt, ubi per aliquot adhuc septimanas sanæ mentis usu adhuc destitutus fuit, tandem vero, absque alia medela, rationis usum cum sanitate, uti postea mihi relatum fuit, recuperavit.

## *OBSERVATIO XXV.*

## DN. D. WOLFFGANG. THOM. RAU

### *De*

### *Vehementi febre erysipelacea, Zonæ haud absimili.*

Caupo quidam mediæ ætatis, quadratus, obesus & succiplenus, lauta diæta gaudens, dolorem in pedibus sensit cum aliquali rubore. Hæc symptomata rheumatismo deberi ratus, inunxit eos oleo laurino destillato. Subsecutus hinc statim fuit, præcedente horrore, calor summus, rubor, tumor & pruritus urens in utroque pede, a malleolis per femora ad hypogastricam usque abdominis regionem sese extendens, cum interspersis maculis latis obscure ru-

bentibus, ex quibus hinc inde, præsertim circa dextrum genu, effloruerunt vesiculæ gangrænosæ, putridum ichorem, tetro odore nares ferientem, fundentes: pulsus celer & sudor parcus, lingua naturalis, alvus & respiratio libera, & urina aurantii coloris fuit. Sexto, quo æger a prima morbi accessione decubuit, die accersitus, quum malum altius haud serpere cognovissem, externe nihil tentavi, sed tantum pedes æquali calore fovere, linteisque mundis involvere jussi, &, præter regimen temperatum, ægro mixturam diapnoico-temperantem & Julapium refrigerans ordinavi. His per triduum adhibitis, sensim calor, tumor & rubor remiserunt, atque vesiculæ ichore madidæ in siccam escharam versæ sunt. Ideoque cum iisdem medicamentis pergere jussi, tandemque, calore febrili extincto, decidentibus escharis, & cuticula sana regenita, ob faciei inflationem leucophlegmaticam, pilulis primo mercurialibus, postea electuario hæmocathartico Beutteliano, morbi reliquias per alvum eduxi atque cutim, adhuc circa genu dextrum ichorem tenuem plorantem, pulvere siccante & balsamico consolidavi. Sic æger cum pristina sanitate in gratiam rediit & ab omni erysipelatis accessione hactenus immunis vixit.

## *OBSERVATIO XXVI.*

## DN. D. WOLFFGANG. THOM. RAU

*De*

## *Doloribus & spasmis ex calculo felleo.*

Foemina quædam 24. annorum dudum febre tertiana laboravit, hac vero sublata, tensionibus in hypochondrio dextro & flatulentiis vexata fuit, menstruis tamen rite sese haben-

bentibus. Pauco dein interjecto tempore, cum, nuptias ſuas celebrans, ventriculum debilem cibis nimium oneraſſet, ſenſit vomendi conatus cum virium languore: tandem correpta fuit cardialgia, ardore ventriculi, vomitu ad omnia adſumta, ructibus acido-bilioſis, dolore punctorio & fixo circa dextrum hypochondrium, calore interno, alvi ſiccitate & abdominis torminibus, ſtatimque junctus fuit ictertius cutis & oculorum color, cum urina crocea. Ordinavi mixturam ex aquis antispasmodicis, pulvere antiſpasmodico Halenſi, caſcarilla, rhabarbaro, magneſia alba, millepedibus, caſtoreo, liquore minerali anodyno Hoffmanni & ſyrupo dialtheæ Fernelii, ut & infuſum theiforme ex chamomilla & millefolio, quæ quidem ægra vomitu primo aliquoties rejecit, addito tamen ſale abſynthii, extracto papaveris rhœados & aqua menthæ, ac impoſito ventriculi regioni cataplasmate ad ſingultum Mynſichti, poſtea retinuit, & ſubſecutis cum plenaria euphoria crebrioribus alvi ſeceſſibus, quibus aliquot lapilli virideſcentes aſperi, piſi magnitudine, excreti ſunt, ictero inſimul diſcuſſo, convaluit.

## *OBSERVATIO XXVII.*

## DN. D. WOLFFGANG. THOM. RAU

*De*

## *Delirio Ictero ſuperveniente rariori.*

Parochus quidam 25. annorum, hypochondriacus, in itinere ante ſuam denominationem correptus fuit ictero cum ingenti fervore ſanguinis. Medicus, quem in conſilium adhibuit, Venæſectionem adminiſtrare juſſit, ex quo acceſſit delirium adeo vehemens, ut per aliquot dies mentis plane non compos fuerit, cum inquietis jectigationibus,

vociferationibus, pervigilio & avida potulentorum, inprimis vini, magnis haustibus ingurgitatione. Cessante delirio remansit icterus isque rebellis, chronicus, & ubi ira vel vino, cujus potui ad excessum usque deditus fuit, excanduit, sæpius recidivans, juncto semper delirio, cum copioso sudore per aliquot dies sæviente, quod quidem, cum ultimis duabus vicibus in consilium accersitus fuissem, bidui spatio salibus digestivis & nitrosis cum rhabarbaro, largiori dosi exhibitis, mitigatum & longiori semper somno finitum fuit; discusso autem quodammodo ictero, postea successit enormis narium hæmorrhagia, & hanc brevi excepit colica hæmorrhoidalis, subsecuto largiori hæmorrhoidum fluxu cessans; tandem vero tympanite, cum ascite complicata, per semestre vexatus æger, obiit.

## *OBSERVATIO XXVIII.*

## DN. D. WOLFFGANG. THOM. RAU

*De*

### *Ulcere colli vesicæ ex gonorrhœa virulenta male tractata.*

Officialis bellicus 40. annorum, in juventute gonorrhœa virulenta laboravit, quæ a Chirurgo castrensi curata fuit, more talium hominum, adstringentibus, sensit tamen ab hoc tempore nihil mali, usque dum ex impuro coitu denuo eam contraxerit. Adiit idcirco primo medicastram fœminam, in vicinia habitantem, cujus medicamenta quum per aliquot dies adhibuisset, dolorem sensit circa perinæum, versus collum vesicæ urinariæ, vehementem, ad intestinum rectum usque sese extendentem, sine rubore vel tumore in perinæo, vel doloris ad tactum exacerbatione,

quæ

quæ vero accedente dysuria ad ejulatus usque se prodidit. Urina reddita copiosum sedimentum viscoso-purulentum & furfuraceum exhibuit, juncta simul fuit sitis & præ doloris vehementia pervigilium: ex urethra prodiit humor parcus ex flavo viridis, cum insigni & continuo ardore. Chirurgus quidam accersitus bis clysma leniens, & ad partem adfectam cataplasma emolliens adhibuit, sed frustra. Hinc ego in consilium vocatus cataplasmatis emollientis usum continuare & injectionem in urethram, ex speciebus emollientibus & hordeo excorticato cum lacte decoctis, addito melle rosaceo, crebro adplicare jussi, interne vero emulsionem ex semin. IV. frigidis & papaveris albi, cum aquis hederæ terrestris & chamomillæ paratam, addito nitro, speciebus diatragacanthæ frigidis, syr. dialtheæ Fernelii & oleo amygdalarum dulcium, atque decoctum ex rad. liquirit. altheæ, hord. mund. grossiori, passulis majoribus & minoribus, floribus chamomillæ vulgaris, seminibus quatuor frigidis majoribus, caricis, jujubis, sebestis & nitro, ægro exhibui. Quum parum hisce proficerem, & æger quam maxime de tenesmo in collo vesicæ & intestino recto reciproco summe dolorifico conquereretur, ad vehementem hunc spasmum demulcendum, insessum paregoricum subjunxi, cujus ope dolor mitigatus quidem fuit, sed brevi post vehementius sæviit, tandem vero usu mixturæ, ex aquis hederæ terrestris, fragorum, chamomillæ & cinnamomi sine vino, pulvere antispasmodico, rhabarbaro, lapidibus cancrorum, trochiscis alkekengi Mesues, liquore anodyno minerali Hoffmanni, oleo amygd. dulc. recenti, syr. dialtheæ Fernelii & pulpa cassiæ recenti concinnatæ, ut & suffitus externi, ex flor. stœchad. Arab. mastiche & succino, ille quoque mitigatus, ægerque placido, quo per plures dies antea caruit, somno refectus fuit, atque adpetitum antea dejectum recuperavit, subsequuta insimul largiori materiæ

cor-

coruptæ excretione per gonorrhœam. Alvo itaque insimul soluta, & flatibus, prius suppressis, jam libere prodeuntibus, cum præscriptis continuavi, & tantum decocto pro potu ordinario radicem chinæ, sarsaparillæ, cum ligno guajaci & sassafras addidi, eidemque syrupum dialtheæ Fernelii admiscui. Spasmo vesicæ sic sensim complacato, ejusque in collo ulcere, uti quidem urina minus purulenta spem faciebat, paullulum repurgato, æger, moræ pertæsus, gonorrhœæ sanationem anxie a me efflagitavit. Motus hoc desiderio ad methodum opiatæ antivenereæ Bierlingianæ, electuarium hæmocathartico-nephriticum, & Essent. succini, pimpinellæ ac tincturam antimonii acrem cum liquore anodyno præscripsi; sed ab Electuario haud purgatus fuit æger, & ab Essentia hac composita dolorem punctorium circa radicem penis & dextrum testiculum, hujusque tumorem & retractionem absque rubore, cum duritie supra penis radicem, circa os pubis & annulum peritonæi sensit, atque gonorrhœa fere suppressa fuit. Rebus sic mutatis, pilulis mercurialibus cum euphoria ipsum purgavi, & testiculo affecto Emplastrum de ranis cum mercurii triplo imponere curavi: nihilo tamen minus hæc symptomata pertinaciter continuarunt, in urina iterum copiosum sedimentum, puri simile, adparuit, atque insuper unguentum Paracelsi correctum, quod alias ad tumores venereos discutiendos laudatur, dolorem & tumorem testiculi auxit ruboremque ei contraxit; remoto ergo hoc, cataplasma emolliens fuit impositum, reiteratæ pilulæ mercuriales & decoctum ex sola china, sarsaparilla, ligno sassafras & guajaci pro potu ordinatum. His in usum vocatis, lecto affixus a dolore molestissimo in loco adfecto liber quidem, sed sedendo vel ambulando absque intermissione ab eo vexatus fuit. Ideoque præter pilulas mercuriales, mixturam superius descriptam reiterare |infusum Theeforme

trav-

travmaticum, purificans & balſamicum frequentius ſorbillare, & decocto ſpecies nephriticas primo præſcriptas iterum admiſcere, externe vero cum injectione emolliente & demulcente, ad gonorrhœam revocandam, continuare, & pubis atque ſcroti regioni epithema ex aqua calcis vivæ & ſpiritu vini camphorato imponere juſſi. Sic tandem omnis dolor evanuit, reſtitante ſaltem teſticuli tumore & duritie cum mictione pultacea, ſed absque tenesmo, quæ tandem, continuato apozemate & infuſo theeformi, ſubjuncta potione mannata & ſennata cum ſapone Veneto, ad teſticulum vero unguento mercuriali & cataplasmate ſaponaceo diligenter adplicatis, omnia evanuerunt, gonorrhœa iterum liberius ſucceſſit, nullam amplius virulentiam monſtravit, atque tandem ope emulſionis balſamicæ penitus ſublata fuit.

(*Geislinga Norimbergam miſſæ d. 12. Septemb. 1751.*)

## *OBSERVATIO XXIX.*

## DN. D. GEORG. CHRISTIAN. MATERNI de CILANO

*De*

## *Tumore manuum & pedum ſubitaneo, ab adſumtis baccis Lauri excitato.*

Virgo viginti ſeptem annorum, temperamenti ſanguineo-phlegmatici, ceterum ſana, occaſione frequentium rixarum & iracundiæ ſuppreſſæ, in chloroſin incidit, cum menſium ſuppreſſione, ita tamen, ut juſto termino inſtante, excretio quædam decolor & mucoſa, eaque pauca, debiti

 flu-

fluxus leve indicium faceret. Languor interim subjectum occupavit universalis, appetitus simul prostratus, cum capitis doloribus & facie, ut solet, obscure lutea. Vena in pede secta sanguinem nec fudit, nec sui deligationem poposcit. Consuluit ergo vetulam: hæc vero aloën cum croco deglutire jussit. Paruit ægra, sed citra speratum effectum. Accessit tandem anus rugosa, priori illa sapientior, si diis placet, & suasit, ut *baccas Lauri* deglutiret *septem.* Obtemperavit credula. Mane deglutivit baccas; sed vesperi, eodem die, manum utramque corripuit dolor exquisitus, cum subito enato tumore insigni, rubente & lancinante. Manus quidem dextræ dorsum adeo intumuit, ut digitos flectere nequiret: manus autem sinistræ carpus suppari tumore affectus erat. Tumor in pedibus malleolos maxime occupavit, eosque plane obduxit. Tumores manuum, quanquam post dies sex sensim decrevissent, tumor tamen circa malleolos sensibiliter invaluit & post dies triginta tandem disparuit.

## *OBSERVATIO XXX.*

## DN. D. GEORG. CHRISTIAN. MATERNI de Cilano

*De*

### *Salivatione chronica spontanea, sub melancholia & mensium suppressione pertinaciter continuante.*

Mercatoris uxor, temperamenti melancholico-cholerici, annum agens octavum & vicesimum, aliquot liberorum mater, ann. 1741. ad fratris invitatur nuptias. Comparet invitata justo tempore. Cum vero convivio adsideret nuptiali

nuptiali, & necessariorum aliorumque familiarium uxores comtiores & mundo muliebri magis ornatas observaret, suam indignissime tulit sortem, quod vestitu æque pretioso, quemadmodum reliquæ, huic celebritati splendorem addere nequiret. Quare moesta & taciturna transegit primi nuptiarum diei tempus, & inter crebra suspiria maturius se subduxit. Sequente die, quem vario lætitiarum genere celebratum voluerunt illi, quorum interfuit, persuaderi non poterat nostra, ut itidem interesset hilaritati nuptiali, sed domi potius se occultavit. Ab isto tempore instar fatuæ est locuta; rem suam familiarem neglexit, & otiosa atque pensitabunda, uno loco sedendo, tempus trivit. Anno 1743. peperit filium. Anno 1746. enixa est infantem puellam. Post ultimum hoc puerperium imminuti primum sunt menses, ac prorsus tandem cessarunt, melancholia antiquum obtinente. Medici varii, quantum arte valebant, id egerunt quidem, ut pristinæ sanitati illam restituerent, sed incassum. Accesserunt tandem agyrtæ, alchemistæ, balneatores & vetulæ; omnes certatim sua applicarunt artificia, sed irrito æque conatu. Anno 1750. mense Aprili, novum se prodidit symptoma; concitata nimirum est, *sponte natura, salivatio copiosa, pertinax*, noctu diuque uno eodemque vigore continuans, cum *fœtore* insigni, qualis in salivatione observatur mercuriali. Accersiti iterum sunt Medici, ut cohiberent importunum hunc atque ingratum laticis salivalis fluxum; sed hi neque purgantibus, neque diaphoreticis, hanc naturæ salivantis superare potuerunt pertinaciam. Commissum tandem negotium est circumforaneis, sine tamen ullo sperato levaminis aut sanationis effectu. In hoc casu, secundum suas circumstantias rarius in praxi obvio, observatu digna videntur sequentia: 1.) Quod *dentes* mulieris hujus ex chronica hac salivatione *nec dum vacillent*; 2.) quod *appetitus* semper sibi constet, ac fere immode-

deratior ſit; 3.) *alvum* quotidie deponat; 4.) urinam reddat paucam, & 5.) *diaphoreſis* longe ſit parcior.

Tota die inſidet ſellæ, præcincta corio bubulo craſſiori, (*Pfundleder*) ut commode ſuper illo ſaliva defluere poſſit. Corium enim vitulinum, a materia ſalivali acri, intra paucos dies corroſum, veſtes ſubtus corrumpebat. Ejus tamen *lingua*, ab eadem acredine ſalivæ, *lædi nondum potuit*. Corium autem illud, quo præcingitur, bubulum, aliquoties jam corroſum, novis fragmentis coriaceis, æque craſſis, reparandum fuit. Viceſimus jam agitur menſis, a quo ſalivatio iſthæc fluere primum cœperat.

## *OBSERVATIO XXXI.*

## DN. D. GEORG. CHRISTIAN. MATERNI de CILANO.

### *De*

### *Sputatione frequenti virginum nuper menſtruatarum.*

Credo equidem hoc phænomenon, jam ante me natum, obſervatum eſſe ab aliis: juvat tamen, eandem experientiam & hic repetiiſſe. Solenne eſt (quod jam dudum in variis Germaniæ climatibus obſervavi,) virginibus quibusdam, quæ uno alterove anno catamenia expertæ ſunt, ut periodice, ſeu poſt aliquot hebdomadum intervallum, copioſum purioris ſalivæ laticem, per dies triginta & quadraginta, excernant, ſine ullo ſanitatis aut incommodo, aut menſtrui fluxus perturbatione. Intermiſſa hæc ſputatio & ſponte aliquamdiu ſufflaminata, ſponte etiam redit. Menſibus æſtivis copioſior, hibernis parcior obſervatur. In ſubjectis per triennium aut diutius menſtruatis, ſpuitiones iſtæ

prorſus ceſſant. Operæ pretium eſſet, inquirere in cauſas: 1. Cur, reſpectu totius ſexus, pauciores huic ſalivæ excretioni obnoxiæ ſint? 2. Quid ſibi velit, quod natura primo tantum & altero menſtruationis anno materiam ſalivalem ad glandulas ſalivales dirigat, & copioſam excretionem excitet?

(*Altona Halam miſſæ, d. 2. Novembr. 1753.*)

## *OBSERVATIO XXXII.*

## DN. D. FERDIN. JACOBI. BAJERI

*De*

## *Idolis variarum gentium in Muſeo venerandi Parentis p. m. JOANN. JACOBI BAJERI quondam obviis.*

Magni omnino ſunt facienda ſtudia virorum, qui priſcæ antiquitatis documenta curioſe colligunt, collecta erudite explicant, explicata lubentes in publicum proponunt, ut, quam ipſi ex privata crebraque inſpectione habuerunt delectationem, compluribus aliis percipiendam concedant. Tale quidpiam venerandus parens meus p. m. edere pridem conſtituerat; aſt præmatura morte ereptus, tabulas tantummodo æri inciſas reliquit, quas diutius mutas aſſervare religioni duco, & ſucceſſive, ſi quidem opportune fieri poterit, brevi commentatione illuſtrabo. Comparent in præſentia imagines, quæ *idola* nominantur, *diverſarum nationum.* Hæc inter primum occupat locum antiquiſſimum Ægyptiorum numen *Oſiris*, totus æneus perelegantis formæ. *Vid. Tab. III. Fig. 1.* Etenim PAUSANIA teſte, *Lib. VIII. p. 497.* & *Lib. X. p. 686.* primi æs fuderunt & ſta-

ſtatuas inde conflarunt, *Rhœcus* Philæi, & *Theodorus* Teleclis filius, Samii, & aliquamdiu in Ægypto vitam egerunt artemque ſtatuariam exercuerunt, perſpectam utique habentes univerſam corporis humani ſymmetriam, quod DIODORUS SICULUS ſub finem *Libri I.* de *Telecle* & *Theodoro* itidem confirmat. Caput caſſide acuminata obtegitur, in medio frontis perforata, ut oculus ibidem conſpici queat, unde πολυόφθαλμος audit KIRCHERO *Obeliſc. Pamphil. Lib. III. cap. 9. pag. 210*; in latere dextro alata & pinnata, e quibus Sol eſſe evincitur. Facies, ſat bene conformata, collari pendulo, cirri in modum contorto, terminatur; regio pectoralis antica & poſtica ſcapularis torque aureo, trifariam cincto, reſplendet, impreſſis paſſim variorum ornamentorum veſtigiis. In manu dextra ſceptrum recurvum tenet, quod laudatus KIRCHERUS *Syntagm. III. Obeliſc. Ægypt. pag. 231.* thyrſum ferulaceum interpretatur, quia nimirum litui ad inſtar ſit compoſitus, hinc θυρσιφόρος & θυρσιάναξ, h. e. qui Thyrſo regnat, dicitur EUSEBIO. Hieroglyphicum vero iſtud thyrſeum ſceptrum ſupremam *Oſiridis* poteſtatem, & rationem viticulturæ ſignificat, e κακοζηλία ſacræ ſcripturæ Noachi hiſtoriam quodammodo adumbrans. Facilis equidem largior, diverſimode delineari *Oſiridem* πολιώνυμον, ceu CLEMENS *Alexandrinus* in *Protreptico*, ſeu *admonitione ad gentes*, *pag. 24.* tradidit: *Seſoſtrim* Ægyptiorum regem, *Oſiridem*, proavum ſuum, juſſiſſe magnifice variegatum effingi. Præterea plures dantur Oſirides Ægyptiorum, ſicuti plures exiſtebant Joves, Hercules, Saturni, Rheæ, Veſtæ, Junones, adeoque de præſenti archetypo vix dubitare licebit.

In pari celebritate colebantur ab Ægyptiis Dii averrunci, *Curetæ*, Græcis ἀποτροπαῖοι, quod omnia mala imminentia avertere credebantur. Variæ iterum averruncandi notæ in his occurrebant. Alii uncinos & harpagones mani-

bus

bus decuſſatis gerunt, alii flagella, ex ſacrorum animalium caudis parata, oſtendunt, alii retia ab humeris dependentia, alii hieralpham, i. e. agathodæmonem, naturæ humorem deducentem, manu prehendunt, de quibus erudite non minus quam exquiſite commentatus eſt modo citatus KIRCHERUS, *Oedip. Ægypt. Syntagm. XVII. Cap. I.* E teſta fictili ſubviridi conflata erat ſtatua, quam *Fig. 2. Tab. III.* ſiſtit anteriori facie. Verticem monſtrat velatum, divinitatis occultæ ſignum, barbam promiſſam textilem, manu ſiniſtra uncinum, dextra hieralpham cum funiculo reti continuo ſuſtinet, quod *Fig. 3.* qua patet parte poſtica, clare obſervatur, *Iſidis* fabulam, quæ cadaver *Oſiridis*, a *Typhone* in Nilum ſubmerſum, harpagone & reti extraxit, dilucidans. Totum fere reliquum corpus ſchematibus hieroglyphicis inſculptum. Talismodi idola funeris cuſtodes non ſolum externe pone ſepulchra Ægyptiorum apponebantur, ſed & interne in cavum abdominis recondebantur.

Monſtrum horrendum, quod *Fig. 4.* exhibetur, eſt ſimulacrum Indiæ orientalis indigenum, e fano quodam ſublatum. Vultum elephantinum exprimit, capite tiara tecto, quatuor manibus inſtructum. Dextra poſterior ſecurim, ſiniſtra fiſtucam tetragonam geſtat, anteriores duæ digitis contractis apparent. Abdomen præcraſſum, tumidum, Zona una deorſum, altera transverſum vergente munitur, cruribus velamento quaſi cinctis. Præſens ex marmore fuſco præduro cælatum opus *Nanehna* nuncupatur a *Jo. Mich.* DILHERRO, Theologo Norimbergenſi conſumatiſſimo, *in vita JESU & Apoſtolorum pag. 800.* ubi ſimilis propemodum delineatio, a præſenti tam ratione coloris, quam formæ nonnihil diſcrepans, occurrit. Natale ſolum, ubi frequens ejusdem celebratur cultus, Malabariam eſſe innuit *das merckvviirdige Wien*, *Menſe Februar. Ann. MDCCXXVII. pag. 84. & ſeqq.* ubi illud Fig. 7. delineatum

tum exhibetur, quæ a potiori, ratione capitis elephantini, quatuor manuum, abdominis prætumidi zonarumque, cum nostro convenit. Hoc ex metallo conflatum asservavit *Christianus Augustus de* BERKENTHIN, Potentissimi Regis Daniæ Legatus extraordinarius t. t. in aula Cæsarea Viennensi degens, oblatum a vidua *Barthol.* ZIEGENBALGII, Præpositi Ecclesiæ Crhistianæ Malabaricæ, diverso licet imposito nomine *Winaiagen*, seu *Wikkenischur.*

Suspensum & incertum adhuc pendet judicium de idolo *Fig. 5.* delineato, iterum argillaceo, fusci coloris, quod habitum cucullatum refert, oculis expansis manibusque ad os complicatis.

*Fig. 6*, respondet *Kisnæ Ceylonensium*, de quo, ceu puero formoso ornate vestito, prolixe satis egit *Philippus* BALDÆUS, *in der Beschreibung der berühmten Ost-Indischen Küsten pag. 512. & seqq.* Docet autem sub hac fabula haud obscure latere historiam Servatoris nostri Jesu Christi. Ceterum quod exhibemus originale, affabre confectum est ex marmore subnigricante.

*Fig. 7. & 8.* sistunt amuleta & phylacteria Ægyptiorum, ex argilla cocta, vitro cœrulescente obducta, utrinque perforata, ad filum traducendum, quo commode hinc inde affigantur. Horum gestationem plurimi æstimabant pro numinum proprietate & exinde suboriunda gratia. Ejusmodi idola funeribus sæpe adjuncta reperiri affirmat *Petrus de la* VALLE, *Itinerar. Part. I. p. m. 106. & Oliv.* DAPPER, *Descript. Africæ pag. 93.* Binæ videntur statuæ, minas intentantes cacodæmonibus, ne forte noxam inferant, quarum varias imagines depinxit laudatus KIRCHERUS *Oedip. Ægypt. Syntagm. XIX. cap. 3. de amuletis & periaptis p. 552.* superaddita mira traditione, energiam eorundem enodante:

Sed

Sed neque quam multæ ſpecies, nec nomina quæ ſint,
Eſt numerus, neque enim numero comprehendere refert,
Quem qui ſcire velit Lybici velit æquoris idem
Diſcere, quam multæ Zephyro turbentur arenæ.

VIRGILIUS *Georg. Lib. II. num. 103.*

(*Norimberga Halam miſſa d. 28. Novembr. 1751.*)

## *OBSERVATIO XXXIII.*

## DN. D. JOANN. HERMANNI FÜRSTENAU

### *Febris acuta inteſtinalis.*

A ventriculi & inteſtinorum labe & cruditatibus varii generis, in iisdem collectis, febres intermittentes vulgo, nec inepte, derivantur. Hæ vero cum & ipſæ multum inter ſe differunt, tum ad acutas continuas, in maſſa ſanguinea ejusque motu anomalo radicatas, quam proxime interdum accedunt, & ſollicitam medentis operam requirunt, ne dum ille ſanguinis æſtui temperando ſtudet, primas vias earumque vitia temere prætermittat, quin potius utrisque medelam, ut par eſt, convenientem adminiſtret. Ex acutarum vero febrium genere ſunt quædam, quæ in alimentorum canali, ceu ſede primaria, radices egerunt, *febres* hinc *inteſtinales*, *ſtomachicæ*, vel *meſentericæ* dictæ; quarum poſt SYDENHAMIUM, BAGLIVIUM, HOFFMANNUM, STAHLIUM, aliosque, elegantem ſuppeditavit delineationem illuſtris HEISTERUS in *Compendio medicinæ practicæ Cap. V. p. 83. ſeq.*

Harum cum & ipſe aliquot notaverim, hæc notatu certe digna paradigmata, cum potioribus phænomenis, hic enarrare, haud abs re eſſe puto. Vir quidam venerabilis,

& magni inter eruditos nominis, mediæ & optimæ ætatis, recens maritatus, nuper has in oras adventans, hinc aëris & victus mutationem eo tempore expertus, quo vere adulto, & ineunte æstate, loco caloris & serenitatis, frigus insolitum & pluviæ frequentes, imbecillium inprimis valetudini infestæ erant, ad finem Junii mensis & Julio ineunte, morbo gravissimo corripitur, prævia nimirum horripilatione, æstu vehementi, cum siti, cephalalgia, virium languore, & perpetua inprimis diarrhœa. Accitus ad locum, in quo tum degebat, duo abhinc milliaria distantem, ob nauseam, oris amaritiem, & similia, quæ una cum supra dictis symptomatibus notavi, emeticum blandum ex benedicta Ipecacuanhæ radice exhibere nullus dubitavi, & paucis subjunctis aliis temperantibus, nitrosis, absorbentibus & digestivis, ægrum in statu mediocri, diarrhœa licet haud remittente, relinquens, postridie domum reversus sum. Haud ita multo post morbo in aliquot septimanas, ut solet, protracto, absorbentibus & temperantibus nitrosis, atque digestivis, quorum sedulum & continuatum usum una cum victu tenui hordeaceo, avenaceo, aut simili suasi, emulsionem analepticam subjunxi. Æger vero moræ pertæsus aliorum suasu alius Medici aulici, in vicinia degentis, auxilium imploravit, & sero quidem, at perfecte convaluit.

Alter vir ejusdem ætatis mediæ & florentis, recens pariter maritatus, qui præter reliquos diætæ errores aëris verni delicias experturus, & inprimis amœnitate aliquot dierum Majalium allectus, in horto suburbano horis vespertinis ad noctem usque ingruentem subinde commoratus erat, unde fiebat, ut mense Julio ineunte, prævio languore totius corporis, horripilationem per aliquot dies, hinc vero æstum non adeo vehementem, neque virium ingentem prostrationem, sed diarrhœam perpetuam per plusculos dies, & sitim, & vigilias, & dolorem capitis nuchæque cum sensu

ſenſu frigoris expertus, opem meam imploraret. Præmiſſa atque repetita eſt venæ ſectio, quam nondum penitus abſolutam levis lipothymia excepit. Diarrhœam vero frequentiſſimam quidem, ſed indolentem, neutiquam ſiſtendam aut adſtringentibus compeſcendam ratus ſum, ſed iterum temperantibus, nitroſis, digeſtivis & abſorbentibus conſtanter inhæſi, additis quibusdam diapnoicis, non tamen ſudorem proliciendi ſcopo, (utpote qui ſponte plerumque aut levi data occaſione, neque cum ægroti εὐφορία ſubinde erupit,) regimine proinde temperato & frigus arcente magis, quam diaphoretico, ſollicite injuncto. Et frigoris quidem in vertice & nucha ſenſus adeo erat exquiſitus, ut continuo culcitris hæ partes foveri debuerint, cujus hanc allegavit cauſam, quam vocant occaſionalem, rogatus ſubinde ægrotus: ſe nimirum ante pluſculos annos vix lectum ingreſſum, appoſita lampade, inter legendum, cui adſuetus erat, aliquando obdormiiſſe, mox vero mitra & capillis accenſis expergefactum, digitis in verticem involaſſe & manipulum circiter capillorum radicitus evulſiſſe, indeque ſenſum frigoris in locis affectis ſubinde moleſtum retinuiſſe. Hic vero frigoris ſenſus, cum & in fœminis hyſtericis haud raro occurrat, a conſtrictione generis nervoſi, cum utero & reliquis imi ventris viſceribus communicantis, procul dubio derivandus eſt, inque ægroto noſtro una cum morbo præſenti uti incrementum, ita & decrementum cepit manifeſtum. Æger nimirum in tertiam usque ſeptimanam cum diarrhœa perpetua, absque virium detrimento notabili, conflictatus, hac tandem ſponte remittente, ſomnum quidem placidum, qui antea aut plane nullus, aut inſomniis & deliriis interpolatus erat, redeuntem, ſed & virium ingentem proſtrationem expertus eſt, reliquis ſymptomatibus nequicquam remittentibus. Quin faucium dolor cum tuſſi, maxime ſicca, & deglutitione

O 2 diffi-

difficili ſubinde accedente, per aliquot dies neque gravior factus eſt, neque mitior; donec cathartico, ex reſinæ Jalappæ granis octo cum amygdalis tritis & paucis abſorbentis & digeſtivi pulveris granis additis conſtante, aſſumto, ingentem bilioſæ inprimis ſaburræ copiam frequentiſſime κάτω, hinc & juſculo in prandio vix deguſtato ἄνω bilem porraceam excerneret, cum manifeſto levamine, & plerisque ſupra dictis ſymptomatibus, ipſoque frigoris & doloris in vertice, nucha & faucibus ſenſu hinc prorſus evaneſcentibus, appetitu quoque ciborum redeunte. Cum autem virium reparandarum ſtudio nimium indulgeret, mox inflationem abdominis, flatulentiam, tuſſim ſiccam & ſimilia redire ſenſit ſymptomata, quibus iterato cathartici, paullo ante dicti, duobus granis diminuti & in duas partes diviſi, uſu obviam eundum fuit, eo quidem eventu, ut una cum victu exacte tenui, hordeaceo & avenaceo, ob ſitim perſeverantem neceſſario, æger mediocriter admodum valuerit, & vires tarde demum recuperaverit. Licet autem cibos ſolidiores non faſtidiat, metu tamen gravioris mali ab iisdem, ut & potu quolibet vinoſo & exæſtuante, abſtinere juſſus eſt. Ceterum pulſus perpetuo æqualis quidem, ſed debilis fuit; urina vero per totum morbi decurſum per quinque fere ſeptimanas vix ſemel atque iterum obſcura quædam coctionis alicujus indicia prodidit.

(*Rintelio Halam miſſa d. 19. Decembr, 1751.*)

*OBSER-*

## *OBSERVATIO XXXIV.*

## DN. D. JOANN. JACOBI HUBERI

### *Triga observationum myologicarum.*

I. Pars hæc Anatomiæ corporis humani, quæ musculos considerat, in luce quamvis posita sit ea, ut vix quidquam relinquat adcuratissimis etiam scrutatoribus, frequenti ac ordinariæ structuræ addendum, omnem nihilominus sedulitatem exigere eandem, mihi videtur, ne quid aberrantis quoque habitus remaneat, non observatum. Talem eruditus orbis debet principi Anatomicorum Batavo musculorum historiam, quam adcuratissimam & omnibus numeris absolutam agnoscere, non facile quis recusaverit. Eas tamen tradere musculorum particulas, quas ab ordinariæ naturæ habitu alienas subinde offerunt cadavera, omni, spero, utilitate non carebit: siquidem haud raro ex aberrante natura verus illustratur partium usus, (ad quem tandem usum omnis dirigendus est Prosectorum labor, & dulcis inde tædiosi operis fructus hauriendus,) præterquam quod sic agnoscuntur variæ aberrandi possibilitates. *Musculum pectoralem majorem* inprimis obnoxium varietati pluries reperi, ideoque de illo primum dicam. Ejus autem particulæ singulares erunt his etiam evidentiores, qui non omnia statim in numerato habent, si universus musculus una cum levioribus varietatibus traditus primum fuerit. Latam valde exhibet amplus ille musculus peripheriam, unde originem accipiunt carneæ fibræ: aliæ enim e media clavicula, quæ prior est, exeunt, inde usque ad capsulam ejus ad pectus articulatoriam prodeuntes. Ibi plerumque hiatus relinquitur, antequam pectorales fibræ accedunt, cellulosa tunica vel & pinguedine distinctus, qui interdum satis con-

ſpicuus eſt, & ab omni intermedia membrana vacuus, duos fere muſculos tunc diſtinctos efficiens, clavicularem alium, alterum pectoralem. Nullam penitus dare clavicularem portionem, quæ ad pectoralem augendum accedat, ſicuti aliquando evenire innuit LIEUTAUDUS (*dd*), mihi quidem obſervare nunquam contigit. Duas contra vidi ſatis diſtinctas portiones claviculares, alteram a media clavicula provenientem, alteram ab ejus parte anteriori & a coſta prima, hujusque & ſecundæ interſtitio muſculoſo. Dein altera, vel ſi mavis tertia origo, vere pectoralis, a ſupremo exteriori oſſe pectoris incipit, carnea ipſa quoque, verſus mediam ſterni lineam oblique incedens, inferiora verſus exinde recedens paulatim a medio ſterno deorſum ac retrorſum, arcus in modum vergendo, infima parte ſui anteriori ſeptimæ frequenter coſtæ finem cartilaginoſum attingit, vel tamen ſextæ; niſi ſolum quintam anterius obtegat, & ab ejus cartilaginoſa tota parte prodeat. Extima hujus muſculi membrana, quæ tendinoſa eſt, ſat frequenter a muſculo unius lateris ad alterum tranſit in medio pectore, eique ibi admiſcetur: rariſſime vero in carneis id obſervatur fibris. In omni ſubjecto continuam non faciunt omnes fibræ pectorales ſeriem, ſed haud raro bis vel ſemel certe leviter interruptam, celluloſæ ope denuo connexam; & pars infima coſtis non affixa pluries obſervatur, ſed expanſioni tendinoſæ muſculi obliqui externi inſerta, ad eamque expanſionis illius partem usque properans, qua ſupremus muſculus rectus anterius coërcetur: aliquando ipſis quoque ſupremis fibris muſculi recti carneis immiſcetur. Quando dein elevatur muſculus, ad detegendam partem coſtis adſitam, magnam videmus occupare fibras carneas partem pectoris, a cartilagine coſtæ ſecundæ, tertiæ, quartæ & quintæ, interdum

(*dd*) Eſſais d' Anatomie, p. 573.

dum etiam ab offea quintæ parte, nec non plerumque ab interftitiis inferiorum coftarum provenientes, contiguas modo, modo fparfas ac fatis fubinde difcretas. Univerfi dein mufculi fibræ omnes confluunt ex amplo fatis circuitu in anguftam admodum, ubi axillæ fubjacent, portionem, ante fafciculum brachii nervofum ac vafculofum ad humerum properantem. Ea tamen lege illum adeunt, ut ad augendam actionis fuæ vim decuffatim incedant, & fibræ claviculares, eædemque altiores, fiant ibidem inferiores, pectorales viciffim fuperiores. Rariffime tamen fibræ in unum confluunt omnes tendinem; plerumque enim duo ad infertionem confpiciuntur, fatis diftincti, anterior nempe, idemque fuperior ac latior, qui a claviculari vel fimplici, vel duplici fafciculo producitur; & pofterior, plerumque rotundior ac anguftior, quem reliquæ, i. e. pectorales fibræ efficiunt. Non raro prope tendines illos vel fibræ ab uno fafciculo in alterum aliquot fecedunt carneæ, communicantes, & in confenfum mutuum has partes trahentes, vel leviter tendinofæ tenuiffimæ, quarum tamen ope connectitur prope os uterque tendo, antequam fic auctus humerum adit. Præterea carneo-tendinofus haud raro dimittitur ibidem fafciculus ad mufculum deltoidem. Eodem porro præcife in loco membrana fecedit feu expanfio, vere tendinofa, plus minus confpicua, vaginæ inftar brachii mufculos infimul quadantenus inveftiens, & in morem fafciæ latæ, aut illius expanfionis tendinofæ, qua dorfi, fcapulæ, pedis, aliique mufculi obduci folent, coërcens. Afperitati tandem offis humeri immittuntur fat lati tendines mufculi noftri, paulum eminenti, qua paries incipientis fulci, tendinem mufculi bicipitis excipientis, conftituitur internus: vel etiam ipfum finum fimul inveftiunt. Non tamen femel, fed iteratis vicibus aliam animadverti ibidem connexionem, fatis fingularem, nempe capfulam inter articulatoriam humeri cum fcapula

atque tendinosam musculi nostri pectoralis insertionem, antequam humero insinuatur: fiebat ea ope tendinosi funiculi insertio, aliquot linearum lati, a summo humero, unde ortum capit, descendentis. Totus tendo ille, teres ad ortum, dein paulo latior factus, & subinde vaginulam quoque porrigens tenuissimam tendini longo bicipitis, immiscebatur latæ insertioni tendinosæ pectoralis, in eaque evanescebat. Jam inter minus frequentia hujus musculi primum annotare juvat aberrantes fasciculos carneos, quos pectoralem versus musculum minorem incedere quoque vidi; dein fasciculum carneo-tendinosum, qui nexum servabat inter portionem clavicularem musculi nostri atque pectoralem, quando sejuncti nimium sunt a se invicem ac distincti: semel nempe tenuem vidi tendinem, ab origine sterno-mastoidei deorsum oblique vergentem, quem mox carneæ fibræ, a suprema musculi nostri portione pectorali provenientes, augebant: carneus ita factus fasciculus marginem claviculæ tegebat, & ad inferiorem ac anteriorem musculi pectoralis portionem clavicularem properabat, ipsique immiscebatur. Alium dein observavi fasciculum carneum, ab interstitio costæ primæ & secundæ distincte provenientem, qui singularem ac proprium sibi formabat tendinem tenuem atque subrotundum, & ad usque summam tendinis magni communis in humerum insertionem incedebat, cui ibi demum ad os immiscebatur. Nunc plane singularis ac præternaturalis adeo subjungenda hic est portio musculosa, forte magis situs ac vicinitatis causa huc referenda, quam communis naturæ: ea nempe a supremo sterno atque a costa suprema ipsique vicina incipiebat vix digitum lata, & extrorsum paulum vergendo ad usque quintæ costæ cartilaginosam partem descendebat, musculi pectoralis magni partem priorem ac inferiorem obtegens. Distinctus ille musculus, e tendineo principio carneus factus, fibris

bris ſuis decuſſabat infimas muſculi pectoralis, & ante hunc incedens in parte ejus infima, quacum miſcebatur ſcilicet, terminabatur. Singularem hancce ſtructuram in puella obſervavi undecim annorum (*ein Heiden-Kind*), ex eo genere erronum, quos Cingaros ſeu Ægyptios vocant: & quidem non niſi in latere dextro, in ſiniſtro hujusmodi plane nihil conſpiciendum offerebatur. Simile quid vidiſſe ſe monet, & tanquam rarum quoque ludentis naturæ exemplum indicit celeberr. ALBINUS (*ee*). Quia vero quodam modo reſpondentem illi muſculo tradit ſuum, quem VESALIUS (*ff*) in Simiis, nunquam vero in homine obſervatum (qui vera eſt muſculi recti abdominis continuatio ad claviculam usque protenſa), refert, hinc diſcrepantem a noſtro faſciculo illum eſſe muſculum, nullus dubito. Hoc porro confirmant fibræ noſtræ, muſculum rectum non attingentes, ſed ad angulum, ſit quamvis ille obtuſus, a fibrarum recti directione divergentes, & in pectoralem majorem atque vix in obliquum externum abdominis, non autem in rectum deſinentes. Quinam huic muſculo ſeu portioni ſingulari aſſignari poſſit uſus, ego quidem non video, & ne quidem conſultum exiſtimo omnibus particulis, etiam maxime præternaturalibus, adſcribere velle certam ſuam functionem. Si tamen aliquis omnino judicandus ſit, (cum fruſtra nihil facere Deum & naturam, veteri verbo dicatur,) facere eum ad firmandam originem pectoralem muſculi pectoralis majoris, indeque ad augendum ejus robur, judicarem. Faſciculorum aliorum ſupra recenſitorum diverſa longe eſt ratio: vel enim ii ad roborandam vim muſculi ſui principalis non parum conferre videntur; vel & alios in conſenſum rapere, & ad actionem provocare; vel alias partes, vi-



(*ee*) Hiſtoria Muſc. p. 291.

(*ff*) de Humani corporis fabrica, Lib. II. Tab. V. r. s. t.

vicinas nempe, quibuscum connectuntur, ad dirigendos motus varios allicere. Quæ ceterum ipsius musculi pectoralis sit actio, hic explanare velle superfluum foret.

II. In Sartorio musculo singularem quoque ac valde extraordinarium animadverti nuper fasciculum. Omnem hic repetere notissimi & difficultatis nihil relinquentis musculi Sartorii descriptionem, nihil opus est: dicere tamen attinet, esse illum ex eorum musculorum genere, qui fasciam dant tendinosam musculis vicinis, & ita convenire in hoc tertio cum pectorali majore, bicipite brachii aliisque. Quum primum insertionem suam in externa ac suprema, mox infra tuber, femoris parte attigerit tendinosus, lateralem dimittit tendinosamque expansionem ad musculos vicinos infra genu. Idem cadaver undecim annorum, quod mox laudavimus, obtulit mihi teretem funiculum, vere fibrosum, a vicinis musculis non aberrantem, sed qui principio suo gaudebat tendinoso, sibi proprio ac distincto. A superiori enim ac anteriori eminentia cruris ossis pubis proveniebat, & vix introrsum ferebatur, deorsum vergendo; antequam genu attingeret, fibris suis carneis Sartorio immiscebatur, & in unum ibidem caro utriusque confluebat musculum. Erat ceterum universus musculus Sartorius de more formatus. Singularis iste musculus ac supernumerarius, gracilis ille quidem, idem tamen satis carneus ac distinctus, ad dirigendam forte actionem, certe ad facilitandam eam Sartorio datus fuerit, in flectendo genu elevandaque tibia.

III. Ex argumenti affinitate præterire eam, quam feci de pyramidalibus abdominis musculis observationem, nolo, in magno cadaverum numero, ut fit, aliud agenti mihi natam; neque de usu eorum, discrepantes cum sint ea de re Auctorum sententiæ, silere. Visum nempe mihi est, rarissime deficere eos musculos sequiori sexui, certe longe sæpius

pius adesse, quam in sexu virili: unde usus eorum potior facilius forte conjicietur. Infima, scimus, occupare eos lineæ albæ latera: at vero non modo apice uterque suo infiguntur mediæ ipsius parti infra umbilicali, sed latius longe ad digitum latum illi inseruntur nexu firmissimo, vere tendinoso; tendinosam præterea accipiunt a musculis obliquis abdominis vaginam, arctam eam ac fortem. Tendere itaque valere illos fortiter lineam albam, & firmam reddere a parte infima, ac alterum quasi reliquis musculis, ad eam properantibus, punctum fixum efficere in tensa linea alba, dubitandum non est. Musculi enim abdominales reliqui, lineæ albæ infixi, majorem exercere possunt vim in coarctando abdomine, quando tensæ lineæ albæ inseruntur, quam si hæc foret flaccida. Infimo dein abdomini ferre adjuvant omnem, extra pubis ossa eminentem contentorum molem; & ita fœminis sunt musculi ii usus majoris, qui, in firmando infimo abdomine, uterum, vivaci hospite gravidum, sustinere commodius atque coërcere valeant, nec non vim suam in emittendo fœtu, i. e. comprimendo abdomine, conferre. Alios illis e longinquo petitos assignare velle usus, supervacaneum mihi videtur.

(*Cassellis Halam missa d. 17. Januar. 1752.*)

## *OBSERVATIO XXXV.*

## DN. D. JOANN. CHRISTOPH. POHLII

*De*

## *Lethalibus fissuris & contrafissuris Cranii.*

Vir quidam plebejus, triginta quatuor annorum, vix præterlapsis quatuor hebdomadibus a morbo gravi, febre

 sci-

ſcilicet continua, reconualeſcens viribusque adhuc deſtitutus, die XVIII. Octobr. anni præterlapſi, ſub occaſum ſolis ab equo calcitroſo prætercurrente in lithoſtrotum præcipitabatur, atque in occiput dextri lateris conjiciebatur; unde ſyncope correptus per ſemihoræ ſpatium in terram proſtratus jecit; tandem in lectum delatus, crebris vomitibus, deliriis, vertigine, obnubilatis ſenſibus, motibusque convulſivis perpetuo adflictus eſt, adeo ut per decem dierum ſpatium in hoc triſtiſſimo ſtatu vitam ſuam miſere transigeret, & tandem diem ſupremum ſine omni ſenſu obiret. Præterlapſis poſt obitum aliquot horis cultro ſubjiciebatur anatomico, qui ſequentia dedit manifeſta. In partibus capitis externis nullum quidem læſionis veſtigium obſervabatur; remotis autem integumentis, in partibus cutis externis dextri lateris ſuggillationes occurrebant, & in cranio quinque ſe manifeſtabant fiſſuræ, quarum priores duæ contrafiſſuræ in oſſibus temporum, in quolibet nimirum oſſe una, apparebant. In dextro ſcilicet oſſe temporis oriunda contrafiſſura in infima parte ſuturæ ſquamoſæ antrorſum vergebat usque ad mediam hujus oſſis partem, & à proceſſu petroſo diſtabat ſpatio ſemipollicis transverſi. In ſiniſtro latere oſſis temporis altera conſpiciebatur contrafiſſura, ab infima parte oſſis temporis, & quidem à ſutura ſquamoſa, oriens, lineamque incurvatam repræſentans, proceſſum petroſum perreptans, & usque ad orbitam oculi ſiniſtri tranſiens. Duæ occurrebant fiſſuræ in oſſe occipitali, quarum una a ſutura lambdoidea usque ad os bregmatis dextri lateris, longitudine trium digitorum transverſorum, ſe extendebat. Altera a ſutura lambdoidea laterali usque ad os occipitis longitudine unius transverſi pollicis vergebat. Tandem periculoſiſſima in occipite detegebatur fiſſura, in parte hujus oſſis media ortum capiens & usque ad foramen proceſſus petroſi, ubi nervus acuſticus ingre-

greditur, progrediens. Separatis cerebri meningibus, in lobo ſuperiori lateris ſiniſtri, prope ſinum longitudinalem, ſubſtantia corticalis cerebri in materiam commutata erat purulentam, quæ longitudine quatuor digitorum transverſorum, latitudine unius pollicis transverſi, in parte inferiori usque ad ſemipollicis longitudinem penetrabat. In cerebello, ſub dura matre, ſeri ſanguinisque extravaſati quinque circiter cochlearia reperiebantur. Trepanatio tam propter deliria, quam propter inquietudinem perpetuam, inſtitui plane non potuit, & in hoc deſperato caſu ἀδυναμία curandi omni modo ſe manifeſtavit.

(*Lipſia Halam miſſa d. 25. Januar. 1753.*)

## *OBSERVATIO XXXVI.*

## DN. D. PHILIPPI CONRADI FABRICII

### *Singularia quædam anatomica adnotata.*

In quodam cadavere virili, detruncato, ætatis mediæ, ſub finem anni 1749. adhuc diſſecto, reliqua omnia quidem quam maxime naturali modo ſe habebant, alter tamen pulmonum lobus ulcere profundo non ſolum occupabatur, ſed totum etiam hoc viſcus pleuræ, mediaſtino & diaphragmati undique arctiſſime & firmiter adhærebat. Quanquam vero hoc phænomenon ſatis tritum, & a nobis in aliis quoque cadaveribus, nulla de reliquo pulmonum labe adflictis, ſæpius adnotatum fuerit, cauſa tamen hanc adhæſionem producens aliquam attentionem meretur, & ad numerum morborum artificum augendum, de quibus doctiſſima proſtat clariſſ. RAMAZZINI tractatio, non nihil confert. Fuerat enim hic homo vitæ quidem agreſti deditus, ſed tuba venatoria canendo plurimum temporis ſui ſimul conſumſerat. Hoc vero exercitationis genus, quum absque pulmo-

num, aëre repletorum, insigni distensione, fortique ac continuata eorum ad pleuram, quoduis thoracis dimidium investientem, allisione peragi nequeat; his concretionibus præternaturalibus, ab halitu vaporoso, ad utrumque pectoris cavum ab arteriis ultimis viscerum contentorum & ipsius pleuræ constanter emisso, & in lympham glutinosam facili negotio condensando, productis, commodam sane occasionem præbuit.

Post hoc dissecui cadaver feminæ infantem proprium aliquot mensium, dum vivebat, lactantis, cruciatibus ulceris cacoëthei colli & lenta tabe, quam œdema utriusque pedis comitabat, extinctæ. Hujus in abdomine tota cutis non fœde tantum rugosa erat, sed & insignis ille tractus niger, seu sulcus medianus super lineam albam musculorum abdominalium in cute decurrens, qui si adest, ad partum prægressum cognoscendum in usu Medicinæ forensis subinde in auxilium vocatur, hic profundo satis cavo conspicuus notabatur, id quod eo minus mirandum, quum hæc femina jamdum aliquot infantum mater fuerit. In primiparis enim, quarum fibris cutaneis adhuc insignis elater inest, cujus ope cutis antea distenta brevi poost partum editum se in pristinum statum contrahit, hoc signum frustra sæpe quæri, ab experientia constat, ita ut ad illa tantum fœtus clandestina parturitione editi indicia pertineat, ex quibus non nisi conjunctim cum aliis præsentibus aliquid certi hariolari licet. Partibus deinde contentis tam abdominis, quam thoracis & capitis rite dissectis, nihil insoliti in eis se exhibuit, præter quod glandulæ mesenterii penitus evanuerint, cadavere licet œdemate correpto atque indicia circuitus lymphæ turbati exhibente, in cujusmodi hominibus, nisi senio nimis sint confecti, alioquin hæ glandulæ si non plane scirrhosæ, insigniter tamen plerumque tumidæ deprehenduntur. Ulcere illo colli maligno curatius investigato,

to, oſtium ejus ad aliquot digitorum latitudinem infra auriculam dextram ſitum erat, pollicem latum, & ad tantæ profunditatis ſinum ducebat, ut ſtilus ei immiſſus absque moleſtia ad ipſam faucium cavitatem pertingeret, alio hujus ulceris ductu ſimul furſum per medium glandulæ parotidis, penitus fere a materia purulenta exeſæ, decurrente. Partibus mollibus, maxillam inferiorem obtegentibus, diſſectis, hoc capitis os in dextro latere undique carie eroſum & bis transverſim ſponte diffractum inveniebatur, quum tamen hæc femina nullam vim externam perpeſſa fuerit. Ex quo notamine ipſa autopſia cognoſcere valebamus, quod, licet alias in hominibus æque ac in aliis pluribus animantibus vis moleculas oſſium conſtitutivas inter ſe ligans, & cuivis violentiæ externæ, antequam frangantur, reſiſtens, inſignis & miranda ſit (*gg*), gluten tamen illud nativum, cujus viſciditati hæc eorum firmitas potiſſimum debetur, ab acrimonia humorum corporis humani morboſa ſucceſſu temporis omnino ita deſtrui queat, ut effectus a nobis adnotatus ultro inſequatur (*hh*).

Tertium cadaver, a me diſſectum, erat feminæ mediæ itidem ætatis, robuſtæ & euſarcæ, ad iracundiam facilis, inſultibus epilepticis antea ſæpius tentatæ, quæ bene paſta & ad ſenſum ceteroquin ſana ſubito, nemine adſtante, mortua conciderat. In hoc reliqua abdominis viſcera pleraque ſatis naturali modo ſe habebant, ventriculo præſertim cibis inſigniter diſtento, & de appetitu cibo-

(*gg*) Videatur experimentum *Obſervationibus Edimburgenſibus Tom. I. Num. X.* inſertum, nec non celeb. HALES *Hæmoſtatic. Experiment. XXII. §. 29.*

(*hh*) Confer. Ill. *van* SWIETEN, *Comment. in Herm.* BOERHAAVE *Aphorism. de cognoſc. & curand. morb. Tom. I. §. 344. pag. 567.* & B. SCHAARSCHMIDT *Relation. med. & Chirurg. Part. I. Num. LXIV.*

borum vigente testimonium edente. Sola vesicula fellea, bile vacua, ejus loco ultra 200. calculos exhibebat, angulares, figuræ anomalæ, quorum maximam partem adhuc servo, reliquis cum spectatoribus communicatis. Horum alii majores ad avellanæ magnitudinem accedebant, magis quam ceteri lutescentes & friabiles, reliquis & plurimis nigris solidioribusque, ac semen ciceris haud male referentibus. Omnes aquæ injecti fundum petebant, exsiccati deinde & candelæ ardenti admoti flammam concipientes, & multum odoris sulphurei spirantes. Systema autem totum venæ portæ atro sanguine turgebat, in ovariis hydatidibus aliquot, ovi columbini magnitudine, hærentibus, & initia hydropis ibi formandi constituentibus (*ii*). Ad thoracem progres-

(*ii*) Stupendum ovarii hydropem vide sis in Excellentiss. BASSII *Observ. anatom. chirurg. med. Dec. IV. Obs. VII.* nec non apud Illustr. TREW, *Commerc. litt. Norimberg. Ann. 1734. Hebdom. 44. p. 388.* Mihi quoque constat exemplum primiparæ, postea febre hectica defunctæ, quæ post infantem tenerrimæ valetudinis editum, plures deinde cum lochiis excrevit ingentes vesicas aqua repletas, quæ utrum cum ovulo fœcundato ex ovariis per tubas Fallopianas ad uterum primum delatæ, & postea ibi adnatæ & auctæ fuerint, an autem, quod vero propius videtur, ex ipsa uteri substantia & ovario sic dicto Nabothiano productæ, difficile judicatu est. Quod vero ad exortum hydatidum, in visceribus corporis humani tam frequentem, attinet, causas hujus mali non unas esse, sed pro diversa viscerum structura variare, res ipsa loquitur. Sic in ovariis ex ipsis ovulis, in reliquis autem visceribus ex arteriolis vel venulis lymphaticis, aneurismate vel varice laborantibus, fortasse oriuntur, membranis horum vasculorum ultra diametrum naturalem quidem dilatatis, sed simul crassitie sua nonnihil adauctis, prout illud in capsulis tumorum cysticorum, in membrana cellulosa subcutanea formatorum, contingere constat. Provenire quo-

greſſus nihil ibi præter Naturam offendi. Ad caput hinc deproperans & veſtigia hæmorrhagiæ cerebri, quæ, vaſis ſanguiferis disruptis & principio nervorum compreſſo, mortem repente induxiſſet, ibi deprehendere geſtiens, arterias ejus venasque æque ac ſinus duræ meningis ſanguinis quidem orbas, ſed aëre diſtentas & integras conſpiciebam, ita ut ne gutta quidem ſanguinis vel ſeri extravaſati in aliqua encephali parte adpareret, ipſa quoque ſubſtantia cerebri tam firma & ſicca, ut ejus diſſectio & demonſtratio rite, & ut artis eſt, ſine moleſtia inſtitui & abſolvi potuerit. Quod jam ad conſiderationem phyſiologicam & medicam hujus cadaveris attinet, quemadmodum lapillorum generatio in pluribus aliis quoque corporis humani partibus & regionibus hucusque occurrit, & ab harum rerum curioſis hinc inde adlegatur, ita illa calculorum in veſicula fellea generatio itidem ſæpius hucusque & frequentius fere, quam calculi renalis præſertim veſicæ, minime in hominibus nulla diæta vinoſa vel alia ad calculum veſicæ & renum



quoque poſſunt hydatides a vaſis lymphaticis alicubi ſub tunica communi viſcerum exili hiatu disruptis, & liquorem contentum ad telam celluloſam ſubjectam ſenſim emittentibus, quapropter utplurimum in illis hominibus frequentes adſunt, qui obſtructione viſceris alicujus laborant, & in quibus tranſitus lymphæ impeditus eſt, vel hydropis actu præſentis ſigna deprehenduntur. Vel ex ipſis denique vaſis ſanguiferis, celluloſa vaſorum tunica latice aquoſo repleta, cavitateque vaſorum ita compreſſa, ut nihil ejus ſupermaneat, haud raro enaſcuntur ut *Friedericus* RUYSCHIUS illud *Theſaur. anatom. VI. N. CIV.* uberius explicat, ita ut integra inde viſcera in hydatides mutata ſubinde occurrant. Confer. quoque ipſius *Obſervat. anatom. XXV.* & *Obſerv. anatom. chirurgic. XVII. XXVII. XXXIII. XLVI.*

disponente utentibus, observata fuit (*kk*). Hinc immortalis ille *Fridericus* HOFFMANNUS a frequentia horum calculorum occasionem sumsit novum quoddam morbi genus, & id quidem optima ratione Systemati suo Pathologico practico inserendi, remediaque, quibus huic malo mederi queat, indicandi, quæ inter aquæ minerales palmas tenent, lapillos illos vel resolventes, vel imminutos saltem ex cystide fellea per ductum cysticum & cholidochum ad canalem intestinorum promoventes, ut deinde per alvum excerni queant: licet quod interdum ejusmodi calculi etiam in ipso canali intestinorum demum oriantur, observationes ab Illustri BüCHNERO *Miscell. Physico-medic. mathemat. Ann. 1730. Mens. Maj. Class. IV. Art. 7. & 8.* allegatæ & descriptæ probent. Prout hi calculi biliosi in eo quoque cum renalibus calculis adprime conveniunt, quod sicut ab his ureteres, ita ab illis ductus cysticus & cholidochus, dum transeunt, insignem aliquando amplitudinem nanciscantur, cujusmodi exempla alibi a me relata fuerunt.

Neque modus, quo hi lapilli in nostro subjecto epilepsiam induxerunt, comprehensu adeo difficilis. Constat enim, a sapientissimo fabricæ humanæ Artifice situm viscerum abdominalium ita constitutum esse, ut in universum non sibi tantum mutuo auxilientur, seque invicem foveant & loco contineant, sed, quod præcipue ad vesiculam felleam spectat, ut

(*kk*) v. gr. ab Illustri MORGAGNIO cujus de figura & reliqua indole horum lapillorum lites, cum celeb. BIANCHI agitatæ, haud ignotæ sunt; vid. *Adversar. anatom. Animadvers. 28.* nec non *Epist. anatom. I. pag. 48. & 49.* Duo vero millia calculorum in unius hominis vesicula fellea deprehensa vid. *Commerc. litt. Norimberg. 1735. Hebd. 52. p. 411.*

ut bilis cystica, hepatica magis amaricans & efficacior, pro copiosiore ciborum concoctu difficilium assumtione, a ventriculo distento fundumque cystidis felleæ tunc premente majori quoque copia versus intestinum duodenum propellatur, sicque chyli copiosioris elaborationi & perfectioni eo magis par esse queat. Eadem itaque partium constitutio hæc naturalis isti feminæ casu morbum illum induxit, ipsamque denique morti tradidit. Facile enim patet, quod vesicula fellea, corporibus pluribus durioribus & angulatis, qualia lapilli illi erant, repleta, & in amplius ordinario spatium distenta, ac quævis ventriculi paulo major ab assumtis inflatio, eo efficacius illam comprimere debuerit, & eo molestiorem tunicarum ejus sensibilissimarum irritationem, & quandam veluti contusionem produxerit, plexu hepatico ac toto simul systemate nervorum, aliisque visceribus, hepati vicinis, propter continuitatem membranarum, in consensum tractis, pluribusque spasmis ac epilepsia denique excitata, cum insultu apoplectico ultimo superveniente. Prout ab eadem irritatione bilisque hepaticæ, collo vesiculæ felleæ a calculis obstructo, copiosiori ad intestinum duodenum effusione hujusque insigni vellicatione inde exorta, causa alterius illius phænomeni, in hac femina, dum vivebat, obvii, iracundiæ scilicet præcipitis, quoque derivanda venit. Materiem vero his calculis procul dubio suppeditavit sanguis justo plus spissus, moleculis terreis luxurians, adeoque bilem nimis viscidam, in solidum corpus, accedente aliqua ejus in cystide mora, & partis fluidioris per oscula venarum cysticarum absorptione, facile coagulandam, largiens, qualis in systemate venæ portæ post mortem in hoc cadavere ubique occurrit.

Præcipuum autem, quod hac observatione confirmatur, illud erit, quod non omnis Apoplexia vera & celeri eventu funesta extravasationem sanguinis aut seri, intra cavi-

tatem cranii vel ad ipſos cerebri ventriculos effuſi, pro cauſa habeat, ut multi Medicorum autumant, ſed quod præter illam apoplexiam hypochondriacam, venæ ſectione largiori aliisque remediis convenientibus ſanabilem, quam cum ſupra laudato SCHAARSCHMIDIO *Part. I. N. LXIX.* in ſola vaſorum cerebri diſtenſione, absque ſolutione continui concurrente, quærimus, & cujus mihi quoque in artis medicæ uſu aliquot exempla occurrerunt, adhuc aliud genus hujus morbi detur, defectum ſanguinis in cerebro potius conjunctum gerens, & univerſalem ſyſtematis nervorum, poſt ſpasmos & convulſiones prægreſſas, atoniam pro cauſa agnoſcens. Hinc veriſſima ſunt, quæ *Thomas* BARTHOLINUS *Hiſtor. anatom. Cent. II. Caſ. XCII.* ſcribit, dum epilepſia, inquit, per inferiorum partium conſenſum raro ſui in cerebro relinquit veſtigia, & optima fide nititur nunquam ſatis celebrandus MORGAGNIUS *Adverſar. Anatom. VI. Animadverſ. 84.* quando, quod in apoplexia & convulſione orta ſæpe nihil præternaturale in cerebro poſt mortem inveniatur, affirmat. Idem de apoplexia ſyncopali annotavit LANCISIUS *de repentinis morbis Obſ. I.* adeoque in Scholio ſubjuncto, cum *Guilielmo* BALLONIO, Medicos prudenti conſilio admonuit, ut caveant prædicere ſe deprehenſuros aliquid in capite illorum, qui ex cerebri morbis interierunt.

Quum poſtea cadaver infantis unius circiter anni diſſecarem, thorace aperto ac mediaſtino pericardioque remotis, hoc peculiare occurrit, quod arteria carotis dextra non principio communi cum ejusdem lateris ſubclavia, ut alias fieri ſolet, exoriretur, ſed æque ac carotis ſiniſtra immediate ex ipſo aortæ arcu prodiret, arteria ſubclavia dextra poſt exortum ſubclaviæ ſiniſtræ a principio trunci aortæ deſcendentis proxime ſupra originem ductus arterioſi BOTALLI, adhuc pervii, demum ſuppeditata, cujus exortus ſimiles

varie-

varietates ab aliis, & dexterrimo præcipue quondam CAS-SEBOHMIO, viſas, celeberr. BOEHMERUS in pereleganti Programmate Halæ 1741. edito deſcripſit (*ll*). In eodem infante arteriæ umbilicales adhuc pulpoſæ & molles erant, ad aliquot pollices ſupra veſicam urinariam transverſim disſectæ paucas guttulas ſanguinis emittentes, ut in fœtu eas reperiri indicavit vir illuſtris & laude mea major HALLERUS, *Icon. Anatom. Faſcic. IV. Annot. ad Tab. II. Num. 13.* uracho aliquod etiam adhuc cavitatis non penitus obliteratæ veſtigium exhibente. Nervus iſchiadicus, extra pelvim egreſſus, in altero crure duplex, in altero vero indiviſus.

Denique in ſubjecto ſexus ſequioris, annoſa macie confecto, effectus ſenii in machinam corporis humani, & quomodo hæc ſe ipſam deſtruat, & morborum illorum ſenilium conſuetorum, quos nemo illuſtri quondam *G. W.* WEDELIO *Exercit. medic. philolog. Dec. III. Exercit. III.* elegantius recenſuit, mortisque naturalem quandam neceſſitatem inducat, humoribus tenuioribus difflatis, vaſisque capillaribus coalitis, ac omnium adeo partium firmarum illius rigore & immobilitate ſenſim inducta, ſeſe nobis præcipue exhibuerunt. In utraque enim maxilla ne unicum quidem dentis alicujus & alveoli ſuperſtitis veſtigium deprehendebatur, ita ut gingivæ obtectæ ubique & margine acuto præditæ fuerint. Cranium denudatum tamen ſuturas, tam coronalem, quam ſagittalem & lambdoideam, adhuc ſatis conſpicuas monſtrabat, ſecus ac in ſimili de reliquo cranio a RUYSCHIO *Oper. anatom. Obſerv. LXXXXII.* depicto conſpicitur, utpote cujus ſuturæ, fortaſſe ob ætatem provectiorem, penitus evanuerant. Interea conſuetus ef-

 fectus

(*ll*) Ambas carotides, communi ductu breviſſimo ex arcu aortæ ad latus dextrum orientes, vidit B. HOMMELIUS *Commerc. litter. Norimb. Ann. 1737. Hebdom. 21. pag. 162.*

fectus ejusmodi jacturæ dentium in nostro quoque cadavere se exerebat, facie multum breviori reddita, quam proportionis leges exposcunt, id quod non potest non in talibus subjectis manducationem ciborum quam maxime difficilem reddere, quum præter dentium jacturam musculi temporales & masseteres, adductioni maxillæ inferioris ad superiorem destinati, simul flaccidiores reddantur, & multum de vi sua, quæ alioquin ex demonstratis egregii BORELLI insignis est, amittant, linea eorum directionis simul nonnihil mutata. Abdomine aperto, ventriculus vix intestini duodeni amplitudinem æquare observabatur, liene quoque infra magnitudinem dimidiam naturalis molis imminuto. Canalis intestinorum reliquus ac maxima mesenterii portio sphacelum ubique exhibebant, æque ac uterque ren. Uterus vero undique scirrhosus, vel potius cartilagineus, hinc inde ossificationis initia exhibens ac minimæ magnitudinis, fere ut in puellis impuberibus, omni cavo destitutus, sed ob defectum liquoris, parietes ejus lubricantis, ab extremis arteriarum secernendi, coalitus (*mm*), ovaria plane exsiccata & exsucca, instar duorum corporum fimbriatorum oblongorum, vix dimidium minimi digiti latorum (*nn*)

(*mm*) Concretionem oris uteri ejusque parietum in gravida 40. annorum adnotarunt celeberr. Auctores *Observat. Edimburg. Tom. III. N. 19.* Uterum scirrhoso- cartilagineum exhibet Magnificus Academiæ Cæsareæ Naturæ Curiosorum *Præses*, Illustris BüCHNERUS, *Miscell. physico-medic. mathem. Ann. 1728. Class. IV. Artic. 7. p. 1282. & seqq.* Uterum vero in vetula in minimam molem contractum & osseum tradit laudatissimum *Commerc. litt. Norimberg. Ann. 1731. Semestr. poster. p. 208.* & uterum denique totum durum & scirrhosum, sed præternaturalis magnitudinis, referunt *Acta Medic. Berolinens. Dec. II. Vol. IV. p. 71.*

(*nn*). Thoracis reliqua viſcera occurrebant naturalia, ſed uterque cordis ventriculus, cum truncis vaſorum principalium, inſignibus polypis adipoſis & multo cruore atro obſtructi, reliquo vaſorum ſyſtemate maximam partem vacuo & collapſo. In capite præter ea, quæ de ſuturis cranii ſupra indicata fuerunt, omnia quoque reliqua erant ſana & illibata, utroque tamen plexu choroideo ex meris fere hydatidibus conflato. Muſculi totius corporis macilenti quidem, ſed ſatis firmi & aponeurotici.

Quodſi itaque ſingula phænomenorum genera, in hoc cadavere occurentia, uno quaſi intuitu ob oculos nobis ponamus, ex illis præter alia, ſuperius dicta, adhuc perſpicimus, cur functiones & viſcera, propagationi ſpeciei humanæ deſtinata, illa ſint, in quibus, niſi quidem aliæ cauſæ morborum extraneæ hunc familiarem Naturæ ordinem turbent, ætatis provectioris incommoda in ſexu infirmiori omnium primo & efficaciſſime ſe exerunt, tenerrima quippe & mere vaſculoſa fere fabrica conflatis, & optimam humorum temperiem & copiam requirentibus, adeoque ſi hi ipſi nimis ſpiſſi & tenaces euaſerint, ſtatim coaleſcere incipientibus ac ſenſim exſiccatis. E contraria parte reliqua membranaceæ magis ſtructuræ viſcera, e. g. ventriculus cum inteſtinis, meſenterio, veſica urinaria, &c. magis ad ſphacelum in grandævis utriusque ſexus inclinant, ita ut vix aliquod eorum cadaver cultro anatomico hucusque ſubjecerim, etiamſi morbo chronico defunctum fuerit, quod non alicubi manifeſta illius veſtigia exhibuerit, quia nempe fibræ vaſorum ſanguiferorum, in his membranis nimis exſiccatæ & fragiles redditæ, a ſanguine lentiori, eis im-

(*nn*) Ovaria in fœtu ex obſervat. Illuſtr. MORGAGNI elegantiſſima, turgidula, & ſi ad ætatem reſpicias, majora ſunt, quam in adultis; idem vero in infantibus, aliquot hebdomades natis, adhuc obſervatur.

impacto, facile pluribus in locis disrumpuntur, & liquidum contentum ad interstitia cellulosa membranarum copiose effundunt, ob defectum motus in citam putredinem abiturum.

## OBSERVATIO XXXVII.

## DN. D. PHILIPPI CONRADI FABRICII

### *Recensio morborum notabiliorum anno MDCCLI. observatorum.*

Postquam magnam anni 1750. partem *variolæ* sibi apud nos vindicaverant, frigus hiemale ingruens eis denique obicem posuit. Utut enim initio anni 1751. idem morbus de novo repullularet, quam antea longe infensior & malignior, pauciora tamen individua tantum corripuit ac brevi sopitus fuit. Nec deinde per totum ver & æstatem subsequentem ullus alius epidemicus mihi morbus observatus fuit, licet cœli & aëris constitutio esset inconstantissima & frequentissimis pluviis turbata. *Febres intermittentes* tamen, tam *simplices*, quam *continuæ*, nec non *biliosæ* potissimum, ut & *purpura miliaris rubra*, illæ sunt, quæ ex sporadicis ægritudinibus illa tempestate ad autumnum usque in artis usu præ aliis occurrerunt, nullo contagio insignes, sed satis vehementibus symptomatibus, æstu scilicet intensiori, cephalalgia, diarrhœa, lipothymia, infarctu pulmonum tenaci, &c. stipatæ. Quod ad methodum medendi, in febre tertiana & quartana continua præsertim hac vice & alias quoque proficuam repertam attinet, præmissa in ægrotis valde plethoricis tantum venæ sectione, remediis nitratis, leniter resolventibus, diaphoreticis fixis & cinnabarinis hoc negotium sanationis potissimum adgressus sum, ipsisque liquorem anodynum mineralem Hoffmanni,

cum

cum potu ordinario ſumendum, perpetuo junxi, ac hac hac ratione illud plerumque obtinui, ut in moderata & æquabili perſpiratione ſervati ægri ac diæta tenui & diluente conſtanter utentes, poſt aliquot hebdomades perfecte convaleſcerent, vel febris, poſt paucos ſtatim dies in intermittentem ſimplicem terminata, absque periculo porro curari & ut artis eſt ſanari potuerit. Nec in bilioſis febribus ſanandis multum diverſa via inceſſi, niſi quod ſupra indicatis medicamentis temperantibus ac diapnoicis animam rhabarbari aliquoties interpoſuerim, & remedia analeptica ac gelatinoſa, ob inſignem concurrentem virium debilitatem, paulo largius ſimul in ſubſidium vocaverim. In purpura miliari rubra venæſectio, abſentibus contraindicantibus, ante eruptionem exanthematum tempeſtive adminiſtrata aliquoties optimum auxilium attulit, & tam egreſſum materiæ morbificæ ad cutem, quam reliquam medelam, quæ tota diapnoica & temperans fuit, faciliorem ac auſpicatiorem reddidit, cumque uni horum ægrotorum ex purpura retrocedente hemiplegia ſcorbutica ſuperveniſſet, cortex Peruvianus per aliquod tempus uſurpatus optimi remedii tonici vires explevit. *Purpuram* vero *miliarem albam idiopathicam* in unico tantum ægroto, pathematibus hypochondriacis & moliminibus hæmorrhoidalibus antea ſæpius obnoxio, hoc anno obſervavi, qui circa finem ejus periculoſe ea decubuit, in quo vero hoc ſingulare erat, quod exanthemata lentiſſimo progreſſu primum in utraque tibia, deinde in thorace, facie & artubus ſuperioribus, ac ultimo in abdomine, partim veſicularum pellucidarum, maculis rubris inſidentium ſpecie, partim papulas perfecto pure repletas, ut in variolis, referentia prodirent, & ſanatione morbi abſoluta artus inferiores ſerpigine ſcorbutica moleſtiſſima per aliquod tempus adhuc occuparentur, quod ſymptoma deinde in aliis quoque ægrotis adhuc aliquoties occurrit.

Quum interea morbilli per integram jam dum hujus anni æſtatem in vicinia noſtra, ſicut in pluribus aliis quoque Germaniæ regionibus, ſcenam ſuam luſiſſent, & haud paucos, tam adultos, quam infantes potiſſimum, inſigni ſua malignitate in ſummum vitæ periculum conjeciſſent, hieme appropinquante, quæ tam nive & pluviis, quam acriori & conſtantiori gelu notabilior fuit, apud nos denique pariter ſe exeruerunt, ac ex junioris ætatis præſertim hominibus plures corripuerunt, variolis anni præcedentis utique graviores, medelæ adhibitæ tamen in plerisque ægrotis haud difficulter cedentes. Initium hujus morbi, qui menſe Januario & Februario 1752. adhuc ſatis frequens occurrebat, ſemper fere erat vomitus, vel nauſea ſaltem inſignis, de malignitate aliqua conjuncta haud proletarium indicium exhibens, cui deinde non raro primis jam jam diebus diarrhœa jungebatur, eruptioni exanthematum tamen, ſi debitum regimen diaphoreticum obſervaretur, parum impedimenti inferens, quæ ſubſequentibus quoque diebus, vel poſt febrem morbilloſam ſuperatam denique ſubinde recurrebat. In aliis vero ægris alvus, ut in variolis, per totum fere morbi decurſum pertinaciter ſatis obſtructa manebat, omine haud infauſto. Hæmorrhagiæ narium in quibusdam ægrotis largæ, in aliis nullæ, tam ſub initium, quam in ſtatu morbillorum obſervabantur. Æſtus cum reliquis ſymptomatibus febrilibus utplurimum vehemens, delirio tamen non adeo frequenti junctus. Pulſus celer & ſubdurus, urina citrini coloris cum plurimo muco ſubſidente ad fundum vitri, ſudor copioſus initio morbi ſtatim moleſtus. Lingua in plerisque ægrotis arida & ſicca, exanthemata vero utplurimum per totam cutem confertiſſima, multis ſæpe maculis latioribus purpureis interſtincta. Symptoma omnium periculoſiſſimum erat infarctus pulmonum a pituita ſpiſſa, tenaci, tuſſim vehementiſſimam non tantum in pluribus

ægro-

ægrotis, cum asthmate spastico pertinaci, excitans, sed etiam catarrhum suffocativum quovis momento minitans, & sanationem morbi quam maxime remorans. In nonnullis quoque circa 8. vel 9. morbi diem, morbillis jam dum exantlatis, purpura miliaris, ex rubra & alba mixta, superveniebat, aliis vero ægrotis septimo morbi die sudor largissimus criticus, per cutem ubique destillans, pristinam sanitatem reducebat, medicamentis idoneis statim ab initio morbi adhibitis, quæ inter pulveres, mixturæ & emulsiones temperantes, leniter expellentes ac diaphoreticæ, infusa pectoralia theeformia ac sperma Ceti, nec non potiunculæ laxantes in declinatione morbi exhibitæ, &, si febris lenta remaneret, serum lactis primas tenebant, venæsectione ne in adultioribus quidem ægrotis, quorum plures hoc morbo decumbentes curandos habui, hac vice necessaria, cui alioquin in valde plethoricis sub hujus quoque morbi initium suum constat utique pretium, præsertim si metus inflammationis internæ subsit.

Eodem tempore, quo hic morbillorum morbus vigebat, morbi *pleuro-peripneumonici* nec non *catarrhales, cum* vel *sine febre* conjuncta, potissimum frequentes erant, vomitu, diarrhœis, screatu difficili & sudoribus copiosis sub initium æque, ac morbilli, stipati, adeoque communem quandam aëris constitutionem epidemicam haud obscure arguentes. Reliqui morbi, ex sporadicis semestris hiemalis hujus anni mihi crebrius occurrentes, fuerunt: *pathemata hypochondriaca*, *rheumatismi*, *febres lentæ* & *hecticæ*, *febris stomachalis*, *dolores colici*, *vertigo*, aliique ex cruditatibus primarum viarum oriundi adfectus. Numerus mortuorum hoc anno longe minor, quam proxime antecedente, apud nos observatus fuit.

(*Helmstadio Halam missæ d. 9. Mart. 1752.*)

## OBSERVATIO XXXVIII.

## DN. D. JOANN. PHILIPPI BURGGRAVII

### *Fallacia excretionis adſumtorum ſolidorum per veſicam.*

Ingentem exemplorum numerum, aſſumta ore ſolida cum urina aliquando reddita fuiſſe, obſervationum medicarum ſcriptores ſuppeditant.

*Aniſi ſemen* cum potu acidularum per urinam redditum vidit HILDANUS, *Centur. III. Obſ. 72.*

*Apii radicum* fruſtula quadrantis nummuli magnitudine cum urina excreta notavit JULIUS ALEXANDRINUS *in Annotat. ad Cap. 14. de ſubſtantia facult. natur.*

*Ceraſi nucleus* deglutitus & emiſtus narratur *Ephem. Nat. Curioſ. Dec. III. Ann. VII. & VIII. Obſ. 53. pag. 88. ſeq.*

*Coriandri grana* aſſumta cum urina reddita memoriæ prodidit PIGRÆUS *Chirurg. Lib. X. Cap. 2.*

*Hordeaceum culmum* geniculatum, per vias urinarias expulſum PLUTARCHUS *Lib. 8. Sympos. Problem. 9.*

*Hordei grana* integra, ante 14. dies comeſta, cum urina iterum excreta notantur *Ephem. Nat. Cur. Dec. III. An. VII. & VIII. Obſ. 1.*

*Melonum ſemen* mandere ſolebat Paulus Monachus Venetus, notante SCHLEGELIO in MSto, quotiescunque bibebat aquas thermales: ſed & ejusdem ſeminis integras portiones perurinam, a prædiſtæ aquæ hauſtu, emiſiſſe, habetur in *Eph. Nat. Cur. Dec. I. Ann. II. Obſ. 3. in ſcholio p. 5.*

Pru-

*Prunorum nuclei* deglutiti & emicti habentur *Eph. N. C. Dec. III. Ann. III. Obs. 150. p. 239.*

*Raphani frustulum* comestum & cum urina redditum legitur *Eph. N.C. Dec. III. Ann. III. Obs. 38. p. 39.*

*Uvarum acinos* comestos, & *Lactucæ frustula* excreta vidit DANSÆUS Gallus, in quodam post mortem dissecto, cujus tota vesica ulcerata & pure repleta fuit. Vid. *Eph. N. C. Dec. I. Ann. VII. Obs. 3. in Scholio p. 5.*

*Aciculam deglutitam* & emictam narrant *Eph. N. C. Cent. X. Obs. 17. p. 274.*

*Acus* decem deglutitas & cum urina redditas notant *Eph. N.C. Dec. I. Ann. II. Obs. 3. in Scholio p. 4.*

*Flagri funiculum* deglutitum e vesica per lithotomum extractum referunt *Eph. N. C. Dec. II. Ann. I. Obs. 142. p. 345.*

*Globulum plumbeum* deglutitum & emictum describunt *Eph. N. C. Cent. X. Obs. 17. p. 274.*

*Grandinem plumbeam*, qua avicula interfecta fuit, cum hac ipsa devoratam, & una cum calculo per urinam excretam vidit BORRICHIUS *Eph. N. C. Dec. I. Ann. II. Obs. 168. p. 266.*

*Lapillos* deglutitos & emictos literis consignatos vide in *Ephem. N. C. Cent. III. Obs. 8. p. 13. seqq.*

*Pennam anserinam* improvide deglutitam, & cum urina rejectam vidit PAULLINI, *Eph. N. C. Dec. II. Ann. V. Append. Obs. 33. p. 22.*

*Pilulæ* assumtæ frustum satis magnum, cum urina emissum refert BARTHOLINUS *Act. Hafn. Vol. II. Obs. 125.*

*Varia* solida deglutita & emicta describuntur *Eph. N. C. Dec. I. Ann. II. Obs. 3. in Scholio p. 4. seq. & Annot. p. 392.*

Per anatomen constat, secundum naturam non nisi ex aorta, per arterias emulgentes, ad renes aditum patere omni illi corpori, circulantium per corpus humanum humorum flumini immerso: nulli autem ore assumto, sive liquido, sive solido corpori, ingressum ad circulantes humores, nisi per vasa venosa bibula, tam ex ventriculo, quam intestinis tenuibus æque ac crassis, præcipue vero per vasa lactea ex intestinis tenuibus dari; sic vero suscepto, minimum semel per cor & pulmones transeundum esse, ut aortam, arterias emulgentes & renes subeat: neque ullam in cavum vesicæ urinariæ viam, intra abdomen contentis partibus, nisi per ureteres ex renibus in vesicam demissis, patere: has omnes vero vias ita comparatas esse, ut, propter suam tenuitatem, nil crassiusculi solidi corporis saltem admittant, multo minus transmittant. Difficillimum hinc negotium omnes illi in se susceperunt, qui solidis per os deglutitis, & cum lotio iterum redditis, alias hactenus incognitas & breviores, in publicum prodere ausi fuerunt; & nullus, quantum scio, illud perfecit.

Palpum hinc Anatomicis obtrudere voluisse *Conradum* illum WESENFELDIUM, cujus in *Eph. N. C. Dec. II. Ann. I. Obs. 78. pag. 186.* mentio fit, censendum est, qui literis consignavit, se præsente, in dissectione cadaveris virilis, Francofurti ad Viadrum anno 1667. a GAHRLIEPIO instituta, casu, abradendo scilicet circa cœcum intestinum pinguedinem, inventos fuisse aliquot ductus, ab intestino cœco deorsum ad vesicam pergentes, per quos materia lotii potatoribus tam sæpe & copiose excernatur: cum tamen laudatus GAHRLIEPIUS id *Ephem. N. C. Dec. III. Ann. VII. & VIII. Observ. 53. p. 82.* disserte neget, asserendo, se præfatam dissectionem quidem, præsente WESENFELDIO, instituisse, sed ductus illos, quamvis a se non semel qua fieri potuit ἀκρίβεια, etiam in prædicta cadaveris Francofurtani

tani anatome, sedulo quæsitos, sed nunquam inventos fuisse. Nec quisquam Anatomicorum in hunc usque diem, quantum constat, illos, vel illis similes vidit.

Nefas autem esset, de fide Auctorum, qui solida deglutita insolite ita emicta annotarunt, dubitare velle. A me vero annotata & mox enarranda phænomena vias, sed præter naturam factas, indicabunt, per quas, aut eis similes, ex intestino recto in vesicam urinariam, ore assumtis & deglutitis transitus concessus fuit.

Vir, amplissimæ in nostra Republica dignitatis, justæ staturæ, pleni habitus, sanguineo - melancholicus, fluxu hæmorrhoidali ægre succedente sæpe vexatus, nunc sexagenario major, ante duo vel tria lustra meum prima vice expetebat consilium, de singulari dysuriæ specie, tum primum illum molestante, & huc usque sæpe affligente. Cum magnis scilicet cruciatibus lente & tarde excernebat urinam crassam, ex fusco nigricantem, male olentem, sedimentum ex fusco nigricans maleque olens demittentem, postea vero superne clarescentem. Attente considerabam hæc phænomena, tandemque hoc sedimentum fecibus alvinis simile mihi videbatur. Exponebam hanc ægroto conjecturam meam, addens: me vereri, ne ulcus intestinum rectum & vesicæ urinariæ collum, sinuose intra utriusque tunicas contiguas descendens, perforarit. Suadebam hinc, ut altero mane, jejunus, pugillum passularum minorum non masticandarum deglutiat, nullum jentaculum comedat, & paulo serius prandeat, tumque attendat, num quasdam passularum postea cum urina sit excreturus. Fecit, & ecce! plures passulas in urinali invenit, mihique monstravit.

Ægro, hoc phænomeno perterrito, & præfatam meam conjecturam veritatem esse perspicienti, animum addere studebam, persuadendo, malum quidem esse valde molestum, non facile vero funestum. Quoties recurreret, curet sibi enema

enema ex decocto furfurum triticeorum percolato paratum, cum melle rosaceo & terebinthina Veneta vitello ovi soluta, immixtis, pro ulceris detersione & mundificatione injici. Quo vero possibilitatem talis ulceris, & transitus per illud assumtorum ore solidorum caperet, enarrabam ipsi analogum fere casum ex celeb. STAHLIO, qui in *Theoriæ* suæ *medicæ Sectione secunda*, eaque Pathologica, *Parte tertia specialissima Sect. I. Membr. VI. Artic. II. p. 579. seqq.* prolixe recenset casum viri calculosi, qui primum hisce cruciatibus tentari cœperat, postquam per scalam spiralem lapideam, occasione tumultus ex incendio oborti, descendendo properans, errore gradus gravissime retrorsum lapsus, acutiori lapidei gradus termino tanta vi atque impetu sinistrum lumbum alliserat, ut asportari illum hinc domum suam necesse fuerit. Inde immanibus ille doloribus per dies multos gravissime mulctatus, unguentis tamen & emplastris ab ingente illa contusione, concussione & inflammatione iterum liberatus quidem fuit, sed, ut jam dictum, calculosa & frequens afflictio præcesserat, cum totius corporis contabescentia. Post quadriennium ab illo lapsu, & post multos calculosos paroxysmos perpessos, aliquando ex pridie assumto jusculo, cui Petroselini aliquid incoctum erat, hujus portiunculam cum urina emisit. Non multum post tria forte cochlearia brassicæ crispæ pransus erat; insequente vero nocte ingentes per urethram cruciatus, urgente urina, sed obstructo canale, ipsi obtigerant, donec cum summo nisu spissam materiam elisisset, quam demum urina subsequebatur: illa spissa vero emicta materia luculenter erat illa brassica, ut assumta fuerat, sed non digesta. Imo accidit, ut cum æger iste STAHLIO, ipsum tum temporis invisenti, hæc enarraret, & hic de rei veritate, propter incognitas vias, dubitaret, ægro mingendi cum impetu conatus recrudesceret; hic igitur cum excusatione vitrum urinale

nale arripiens, & cum multa quiritatione, præsente & ad id stupente STAHLIO, iterum cum urina, non plane pauca, cochleare propemodum plenum brassicæ, non bene quidem commasticatæ, elidebat. Reticui autem ægro meo reliqua illius calculosi fata, & STAHLII de illis sententiam, utpote ad illum haud quadrantia, ne forte inde præter exigentiam contristaretur. Ex præsente tamen instituto est, illa breviter hic memorasse. Existimat nempe STAHLIUS, profunda illa contusione non solum renis ejusdem lateris inflammationem excitatam, sed &, adhibito non minus quam continuato emplastri catagmatici effectu, statim totum illum humorum ad contusionem affluxum ita ab exterioribus ad interiora compulsum fuisse, imo coaluisse tandem renem firmius cum ipso intestino recto, aut coli certe parte, ubi in rectum deflectens, renem hunc præterit eique incubat. Evenisse autem sub his rebus reni ulcerationem, quæ per initia adhuc levior, calculum pepererat, cujus largo proventu per illos quatuor annos affectus fuerat. Consumsisse interim magis magisque, & intimius, hanc corruptelam ipsum renem, imo exedisse: unde usitata hujus indolis atque gradus ulcerationibus & consumtionibus viscerum hectica febris, cum tabe corporis, secuta fuerit, donec tandem cuniculus ulceris etiam ad ipsum non solum intestinum, sed cavitatem omnino ejus penetraverit, & illud ita memoratum singulare phænomenon perfecerit. Sub hujus ipsius cruciatibus & hoc perquam notabile erat, quod æger de sensibili quadam irruptione quereretur, ac si siphone aliquid in intestinum rectum impelleretur, quo ita facto confestim cogebatur liquidam hanc urinariam substantiam dejicere. STAHLIUS censuit, quod revera ex ipsa vesica, etiam e sano rene opposito, in hanc deposita urina, heteroclito tali motu iterum ex prædicta vesica per ureterem sinistrum, longa illa ulcerosæ materiæ transmissione ad similem talem mo-

motum pariter quoque dispositum, circa illam sui insertionem in vesicam, alias contra tales recessiones mirifice præmunitam, rursus ad renem, & per hunc ad intestinum rectum regurgitarit. Dum vero hæc agerentur, quamvis æger sapiente STAHLII consilio ab omni cibo solidiore abstineret, proximo die urina tota emansit, sine ullo sive sensu ejus mittendæ, sive instinctu: occupavit autem ejus locum primum dejectio frequentior liquida, mox conatus dejiciendi, paulo post stimulus a sensibili acredine, quæ intra 24. horas etiam orificium intestini ejusque ambitum excoriavit: nempe urina jam tota per patentiorem hunc locum liberius prodeunte. Quo atroci symptomate miseri ægri tabe jam exhaustum corpus intra quatriduum periit.

Attenta mente priora ægri Stahliani symptomata me enarrantem meus auscultaverat æger, & post breve meditabundum silentium profitebatur, omnino me vera enuntiasse, & se paria cum patre suo pridem defuncto experiturum fata. Sciscitanti mihi qualia ille habuisset? regessit, simillima per plures annos his, cum quibus ipse modo luctetur. Paucis ante obitum diebus illum pruni fructus parvos ex viridi flavescentes, quem Galli *la Mirabelle* nominant, recentes comedisse, & præter intentionem unius nucleum deglutiisse, sed postero die sub atrocissimis cruciatibus, omnibus & Medicis & Chirurgis præsentibus & stupentibus, eminxisse. Fato igitur functi corpus Medicis quoad hanc partem affectam incidendum concessum fuisse, qui ulcus intestinum rectum & collum vesicæ urinariæ in lateribus contiguis perforasse deprehenderint.

Quam infrequens hoc sit malum in viris, longe infrequentius tamen in fœminis id evenire posse censendum est. Semel ipse observavi: simile nunquam legi. Nobilis nempe mulier de B--- civis nostras, inprolis, tunc quinquagenaria, cuique menstrua jam a pluribus annis cessaverant, mul-

ti vero cruciatus circa uterum, vesicam urinariam, & intestinum rectum in eorum locum successerant, anno 1748. crassa sæpius, feces alvinas redolentia, cum ingentibus doloribus & symptomatibus febris lentæ emingere inceperat. Peritus ejus Medicus, cui, pariter ut laudato STAHLIO accidisse supra retuli, vias has, quas feces alvinæ transire deberent, intelligere nondum concessum erat, ad hæc phænomena attonitus quasi hærebat. Deferebatur interim, ut fieri solet, per amicos amicasque ad ægram rumor historiæ amplissimi illius Viri, quam primo loco enarravi, & quod ille me Medico utatur. Accersor mense Aprili ad consilium. Recensentur mihi symptomata, quibus Nobilis hæc Domina prematur: interrogor de utriusque casus similitudine: suadeo idem cum passulis minoribus integris degluttiendis experimentum instituendum. Redduntur quædam earum cum lotio. Convenientiam utriusque casus, in quantum sexus diversitas concedebat, accuso; cum prognosi, ob febrem tabificam, altas nec eradicandas radices nactam, funesta, quam eventus mox mense Septembre comprobavit. Ægra ante mortem cognatis suis, iisque hæredibus, severe interdixit, ne cadaver suum dissecando perscrutandum tradant: quod eo magis dolendum, quia absque tali scrutinio non licet vias, quas feces & passulæ minores integræ deglutitæ, ex ulcere, intestinum rectum, vaginam uteri & vesicam urinariam perforante, per cavum vaginæ uterinæ in vesicam urinariam permeaverint, perspicere.

Hanc vero propositionem ex hactenus enarratis historiis eruere & stabilire licet: *Deglutita solida postea emicta, non viis naturalibus, sed prorsus præternaturalibus, ex canale alimentario ad vesicam urinariam pervenire.*

## *OBSERVATIO XXXIX.*

## DN. D. JOANN. PHILIPPI BURGGRAVII

### *Cor anevrysmaticum.*

Atrox est malum anevrysma, quamcunque arteriam externam occupet. Quod vero medentis manui accessus ad malum pateat interdum, inprimis scalpello, curari potest. Atrocius vero est malum, si internam quamcunque arteriam adorsum fuerit, quod nullius medelæ capax sit. Quodsi vero arteria anevrysmatica fuerit parva; anevrysma ipsum exile; functio partis, quæ anevrysmate læditur, ad vitam non adeo necessaria; diu tolerari potest. Atrocissimum vero est malum, si cor, fontem vitæ, aggressum fuerit. Quis enim distractos cordis villos, & a circulantium humorum infinitis validis irruptionibus quotidie magis distrahendos cogere iterum poterit, si & dexterrimi & peritissimi Viri manibus accessus daretur? Quoniam vero corde anevrysmatico, vel alterutrius, vel utriusque ejus ventriculi capacitas naturali major redditur, nec una auricularum eructatione repleri potest, insuperque ventriculorum cordis ita affectorum facultas sese accurate constringendi & receptum sanguinem in arterias omnimode expellendi imminuitur: non potest non integritas circulationis sanguinis per cor maxime turbari, & ejus ad totius sanitatem & vitam desideratissimus effectus summopere, & cum molestissima palpitatione, lædi.

Compagem cordis fibroso-musculosam divelli posse, mollis ejus & carnosa substantia satis innuit. Quodsi igitur nimiis corporis, cohibito spiritu, nisibus in plethoricis, vel obruto per aggregatum in lipothymiis sanguinem corde, a sanguine inter cor & pulmones intercepto, vitali impetu reper-

repercuſſo, interiora cordis quatiuntur, maxime in debilibus & laxis, villorum cordis nativa arctior cohæſio laxatur, & irruentium humorum impetui ſucceſſive cedere non ſolum cogitur, ſed & ita laxata fibrarum compages, interſtitiis ſuis plus ſucceſſive nutrimenti apponi permittit; unde & ipſa carnea moles augeſcit.

Signa triſtiſſimi hujus mali præcipua hæc eſſe obſervavi. Si uterque cordis ventriculus anevrysmaticus fuerit, ictus cordis, ex qualibet ejus ſyſtole oriundi, palmam manus ſiniſtræ mamillæ apponendo, diſtingui & ad numeros reduci non poſſunt, ſed videtur ac ſi intra univerſum pectus, etiam ſuperne verſus jugulum, interne in ſcrobiculo cordis & in utroque latere, etiam demiſſiore, plura corda ſimul, ſed ſine ordine ſalirent, idque pro anevrysmatis magnitudine plus minus vehementer. Si vero tantum cordis dexter ventriculus anevrysmaticus redditus fuerit, ictus cordis ſub læva papilla prorſus non, ſed ſub ſterno, & in dextro thoracis latere, percipitur. Si tantum ſiniſter cordis ventriculus anevrysmate laboraverit, pulſus in carpis ſine ordine & numero decurrunt. Ægri corde quocunque modo anevrysmatico, ad quemcunque corporis motum, maxime paulo incitatum, mox difficiliorem anhelationem, & cor moleſtius palpitare experiuntur.

Ab impetuoſo & tumultuario per pulmones ſanguinis trajectu, ſputa ſanguinea & tandem ſubpurulenta: & a turbata in pulmonibus ſanguificatione tandem hydrops & inevitabilis mors inſtant.

Inſanabile eſſe malum dixi. Quis enim laxatos cordis villos cogere iterum poterit? Eadem ſtimulantia, acria & villos cordis ad ſui fortiorem contractionem alias excitantia, heic contrarium effectum inducent. Dum enim humorum circulationem augent, hos in cavos cordis muſculos, maximam partem in helicis formam obliquatos, impetuoſius ir-

ruere facient, & sic violentius ventriculos cordis distrahent, eoque ipso debilitatos jam ejus villos magis adhuc laxabunt. Nec sanguinis missio, ut imminuta nempe humorum moles cor non adeo distrahat, heic juvabit. Turbata enim jam per laxatos cordis ventriculos proportione, partim recipiendi sanguinis & recipientium ventriculorum, partim integræ contractionis ventriculorum cordis non porro succedentis, turbabitur etiam magis sanguificatio in pulmonibus, & miseri ægri citius hydropici fient. En Exempla!

Honesta stirpe nata Virgo 18. annorum, bonæ corporis compagis, gracilis, staturæ mediocris, temperamenti eminenter sanguinei, legitime menstruata, ante aliquot annos grave animi deliquium passa, abhinc perquam molestam cordis palpitationem, successive increscentem, retinuit. Anno 1744. hæmoptosin sæpius & profuse recrudescentem experta est; ab hac vero, non æque vero a palpitatione cordis, utcunque iterum liberabatur, usque dum & illa mense Octobre 1745. non solum aliquoties recurreret, sed & cordis palpitatio tanta simul incrementa sumeret, ac si per universum pectus plura corda simul, sed sine ordine, salirent. His malis tum innumerabiles ac fere non continui ructus, tandem pedum, ultimo & abdominis frigidus tumor jungebantur. Tussis primum non adeo vehemens aut frequens, ultimo vero molestior fuit, parum tamen purulenti expellens. Gravibus his malis die Imo Novembris dicti anni, summo mane beata analysis finem imposuit. Difficulter ac vix sera vespera corpus dissecandi licentia impetrata, illud adhuc utcunque obesulum deprehendi. In cavo abdominis seri extravasati aliquid occurrebat. Hepar erat perquam magnum, ceterum vero non male affectum, sua vero mole ventriculum sinistrorsum nonnihil urgens. Pancreas vero totum quantum induratum, non scirrhosum, sed perfecte cartilagineum, difficulter scissile, intus non aspe-

asperum, ut scirrhus, sed læve, ut cartilago. Reliqua abdominalia sana erant. Reserato thorace, mox in conspectum prodiit prodigiose magnum cor, cum quovis taurino comparandum, sinistrum pulmonum lobum retrorsum & ad dorsi spinam ita urgens, ut hic lobus fere totus a corde p. n. tectus, conspectui non prius, quam corde sublato, pateret, ubi tunc latum, profundum, a corde occupatum sinum monstrabat. Inter cor & sinistram pleuram aliquid de lobo isto pulmonis leviter prominebat. Cor pericardio perfecte orbatum nudum jacebat, utroque suo ventriculo, sed maxime dextro anevrysmaticum. Dissectum, grumosum quidem sanguinem, haud vero polypum continuit. Pulmones hinc inde ecchymoses, pollicis magnitudine, exhibebant.

Tibicen ultra triginta annos natus, mediocris staturæ, gracilis, cholerico-sanguineus, strenuus potator, molesto anhelitu & palpitatione cordis, successive ita increscentibus, ut totum pectus ex innumeris cordibus, sine ordine sive tumultuario salientibus, compositum videretur, laborabat: succedebant sputa subpurulenta, œdema pedum, mors. Dum cognati invicem contenderent, utrum extispicium mihi petenti concedendum esset, affirmantibus duobus contra unum negantem, illud ipsum jam volante scalpello peregeram, & ut prædixeram, cor bursa sua privatum, imo siccum, utroque suo ventriculo anevrysmaticum deprehenderam.

Præter duos hosce casus idem malum adhuc quater notavi. Bis nempe in jam defunctis, sed quorum extispicia adornare non datum fuit, & bis in adhuc viventibus.

Prioris paris primus fuit Cognatus meus, Medicinæ Doctor, & primum Archiater Hasso-Homburgensis, dein in Comitatu Niddano Physicus quondam clarissimus I. C. W. Vir justæ staturæ, boni habitus, cholerico-sanguineus,

&

& qui hactenus integra valetudine gavisus erat. Hic anno ætatis suæ trigesimo, ni fallor, & tertio, ex concitato equi, quo necessitate id postulante perniciter vehebatur, prorsus non commodi cursu, vehementem & molestissimam patiebatur cordis palpitationem, cum insequente altero mane sputo cruento. Ipse sibi exacte, cautissime & peritissime medicinam fecerat: hæmoptysis compescebatur, sed palpitatio cordis pertinaciter continuabat, cum asthmate in dies increscente. Post unum alterumve mensem Homburgo me heic Francofurti conveniens, & sui morbi historiam mihi exponens, me simul rogabat, ut manum meam sinistro ejus cordi admoverem, ac singularem cordis sui palpitationem explorarem. Cum id attente facerem, acriter dolui. Ita enim totum candidissimi Viri pectus tumultuario palpitabat, ac si innumera intra illud congregata corda vehementissime, sed sine ordine, salirent. Cum amicissime de atro hoc malo sermones misceremus, tandem sententiam meam, quam ille per rationes necessitudinis nos intercedentis postulabat, imo instantissime urgebat, sibi exponendam, ipsi ut Viro compositæ mentis & fortis animi, suppresso mœrore meo, edixi: cor tuum in utroque ventriculo est anevrismaticum. Luctatus est deinde cum insanabili hoc morbo per annum, tandem hydropicus factus, comatosus mense Octobre 1746. obiit. Paucis ante obitum diebus cor ipsi plus in hypochondrio sinistro, quam sub læva papilla saliebat, adeo illud mole sua juxta diaphragma descenderat. Ipse ante obitum sui extispicium fieri jusserat. Quod vero, quum locorum Niddam inter & Francofurtum intercapedo, & cumulata mea negotia illud aggredi mihi haud permitterent, omissum est.

Secundus prioris horum infelicium paris fuit puer decem annorum, robustus, plenus, obesulus, scriniarii filius. Hic cum alio puero cum per jocum luctaretur, palpi-

tatione

tatione cordis mulctatus fuit, ita paucis menfibus cum anhelitus difficultate increfcente, ut non cor, fed plura intra pectus corda undique tumultuario pulfare viderentur. Data parentibus funefta prognofi, quod infanabili modo filio cor effet utrimque anevrysmaticum, illum poft breve tempus hydropicum periturum; promiferam fimul, me fymptomata, quantum in me effet, leniturum. Periit tandem juxta triftem prognofin hydropicus & comatofus. Sed cadaveris diffectionem obtinere non potui.

Alterius adhuc viventium paris primus eft Vir cœlebs V. D. V. 47. annorum, juftæ ftaturæ, robuftæ compagis, melancholico-fanguineus. Hic fub initium anni 1751. ficca perquam molefta tuffi & cordis palpitatione affligi cœpit, quibus per plures feptimanas continuantibus, & per nulla pharmaca domabilibus, ipfe primum obfervare cœpit, fibi pulfum cordis a læva mamilla recedere, & magis magisque verfus fternum vergere, tandem ultra illud pergere & furgere, nunquam in dextro thoracis fuperiore latere, intra fecundam & tertiam coftam, uno pollice a fterno fentiri. Frequenter illum invifens, mirabundus fæpius dextra mea hunc pulfum exploravi ftudiofe, & attente obfervavi, & dum hæc litteris mandare animus erat, d. 4. Febr. 1752. iterata ejus experimenta cepi. Per prius anni 1751. femeftre frequentiffime acerbum in fuperiore & inferiore humeri dextri parte dolorem percipiebat, quem vero nominare nequibat, per tria quatuorve horæ minuta durantem, & pluries intra unam horam redeuntem, qui tandem fucceffive quievit. Studiofe inquifivi, annon recordaretur, num ante primam invafionem ingentem nixum ediderit? negabat primum, fed poft plures dies mihi fponte narravit, fibi in memoriam rediiffe, quod ultra fex menfes ante primam tuffis illius acceffionem, magnam molem movere omnibus viribus tentaverit, fed fub ipfo validiffimo hoc nifu fu-

bito ipsi cor ingente dolore ita percussum fuisse, ut ab illo nisu statim desisteret, & utriusque manus suæ palma dolentem sinistri thoracis partem incurvo corpore comprimere coactus fuerit, & dolorem mox iterum ita evanuisse, ut hucusque ejus ne quidem recordatus fuerit, nisi tristis illius nisus memoriam ipsi refricassem. Eadem ipsi adhuc hodie rerum moesta facies; cor in dicto dextri thoracis loco ipsi adhuc pulsat; ipse vero anhelat & extenuatur. Ex his colligo: dextrum cordis antrum, inprimis vero dextram auriculam anevrismate, per validissimum illum nixum inducto, & per violentam illam tussim aucto, laborare; & vasa ac nervos sub clavicula ad humerum decurrentia premendo, istum humeri dolorem primum excitasse, qui tandem, ubi prementes pressæque partes se sibi mutuo accomodaverant, iterum desiit. Pulsus in utroque carpo, ut ut non nihil parvus, justo numero & rhythmo decurrit. Æger vero suo fato linquendus.

Posterioris adhuc viventium paris secundus est H. W. S. Vir 55. annorum, justæ staturæ, robustæ compagis, sanguineo-melancholicus, ante 8. vel 9. annos cor sibi palpitare, & interdum difficilem sibi fieri anhelitum, absque causa manifesta, sensit, cum pulsu in carpis inordinato, qui tandem ita turbabatur, ut rhythmum notare impossibile esset. Quando enim interdum arteria bis ordinate & justo intervallo pulsat, mox per spatium sex vel plurium pulsuum, pulsus ita invicem intercurrunt, ut nullum ab altero distinguere liceat: mox iterum unus alterve distinctus arteriæ pulsus notatur, & denuo plures iterum intercurrunt sibique miscentur: & hæc scena continuo luditur. Interdum moliens arteriæ diastole, quasi propter obstaculum, hæsitat, mox superato obstaculo plures pulsus præcipitari, & unus alterum quasi præcurrere videtur. De anhelitus difficultate nunc non multum & raro quæritur; sed totum pectus sinistrum

a jugulo usque ad cordis ſcrobiculum eodem tumultu, ac arteria in carpis, pulſat. De anno in annum toto corpore magis magisque extenuatur; interdum & plenior iterum aliquantulum, ſed haud diu, redditur. Inprimis quando per æſtatem acidulas Schvvalbacenſes haurit, optime reſpective ſe habet. Autumno anni 1750. ex febre continua, ſed prorſus anomalo typo remittente, ingente virium proſtratione & aliis ſymptomatibus graviſſimis ſtipata, vehementer ægrotabat; tandem admodum emaciatus iterum ſurgebat, ſed ſuccedente parvo pedum œdemate, omnes peſſime ipſi ominabantur. Cum vero æſtate anni 1751. laudatas acidulas Schvvalbacenſes diu potaſſet, ſupra omnium exſpectationem egregie recreatus, coloratior & plenior factus fuit. Sed eadem pulſus confuſio permanet. Inſtantiſſime ab ægro rogatus, quale hoc ejus ſit malum? ipſius ſiniſtrum cordis ventriculum anevryſma pati, hac circumſpectione ipſi faſſus ſum, ut effectus, & malum quem ſortiri ſolet exitum, diſſimulaverim, ne hoc nuntio graviter ejus animum ſauciarem.

## ADDITAMENTUM.

Poſtquam hasce obſervationes, Actis inſerendas, jam Norimbergam transmiſiſſem, accidit, ut æger V. D. V. cujus inter anevrysmate cordis laborantes & adhuc viventes primo loco mentionem feceram, malorum ſuorum finem die 16. Martii 1752. ſummo mane morte conſequeretur. Impetrata cadaver diſſecandi licentia, præſentibus quatuor Medicinæ Doctoribus veſperi vidi ſequentia. Aperto thorace ſiniſter pulmonum lobus, totus quantus ſcirrhis, hinc inde ſuppuratis, ſcatens, tribus circiter pollicibus craſſus, pleuræ accretus erat. Cor valde parvum, locum quidem, ſed non ſitum naturalem occupabat. Hic enim non transverſus, ſed fere perpendicularis erat, baſi jugulum, mucro-

ne diaphragma respiciente. Præterea dexter ventriculus solito longe flaccidior conspiciebatur. Quod autem omnes in sui admirationem trahebat, erat arcus aortæ ex sinistro cordis ventriculo prodeuntis, adeo anevrysmaticus factus, ut ultra sedecim aquæ uncias caperet. A quinta ad primam dorsi vertebram surgebat. Ipsum proprie ita dictum anevrysma sanguis grumosus, lamellatim sibi invicem incumbens, replebat; non ruber aut ater, sed ex atro & albescente variegatus; liberis manentibus ad subclavias & carotides arterias viis; quæ modo dictæ arteriæ naturalis erant magnitudinis.

Jam intelligebam, cur sinister humerus a tractione arteriæ ejusdem lateris subclaviæ, per arcus aortæ in anevrysma successivam distractionem, tam acerbe primis mensibus ægro doluerit: & cur, ubi partes hæ p. n. distractæ se circulanti sanguini accomodaverint, iste dolor tandem cessaverit. Cur ab arcus aortæ anevrysmate, se successive formante, situs cordis mutatus fuerit, & pulsus ejusdem sub læva papilla successive desierit, & versus dextram superioremque thoracis, inter secundam & tertiam costam, partem, retrocesserit. Quid huic anevrysmati primam occasionem præbuerit, non satis capio, nec perspicio, quomodo ingens ille nixus, a quo æger edicebat, sibi olim cor admodum subito doluisse, adeo violentam arcus aortæ distractionem excitare potuerit, ut tristissimum hoc anevrysma inde natum fuerit. Omnis enim violentus nixus, ob spiritum retentum, dextris cordis cavitatibus & arteriæ pulmonali talem violentiam inferre potest, non æque vero sinistris cordis cavitatibus & aortæ. Sed adeo parva & etiam ab ægris neglecta sunt gravissimorum morborum initia, ut Medico ad eorum cognitionem aditus omnino præcludatur.

*(Francofurto Norimbergam missæ d. 12. April. 1752.*

*OB-*

## *OBSERVATIO XL.*

## DN. D. JOHANNIS GRASHUIS

### *Ulceris in dorso sinuosi, in cavitatem pectoris penetrantis curatio.*

Mense Septembri Anni MDCCXLVI. cum Chirurgo artis perito, *Adriano van Loon*, visitavi virginem viginti circiter sex annorum, cachecticam & emaciatam penitus. In dorso ejus infra angulum scapulæ inferiorem ulcus aderat sinuosum, longe lateque & profunde sub scapulam pererrans. Stylo exploratorio immisso carie infectam esse unam alteramque costam facile erat persentire; cujus externa circa ulcus hypersarcosis, & fœda, tenuis flavescensque materies, haud levem suspicionem injecerat. Tussis fere perpetua & molesta, sicca tamen, sine notabili sputorum excretione, adfuit, cui hectica febricula comes erat. Post toleratum morbum acutum eruptionem tandem in dorso, prædicto loco enatam fuisse significabat ægra. Injectionibus, ex tinctura Aloës & Myrrhæ cum melle Rosarum paratis, diu jam percuratum fuerat ulcus, sine aliquali levamine.

In sinus fistulosos turundas satis longas, ex Terebinthina, ad duritiem cocta, paratas, usque ad fundum prædictorum sinuum ut quotidie immitterentur auctor fui; & quoniam ad ultimos eorum limites non satis penetrare visæ fuerunt, oleum Terebinthinæ, siphonis ope, in omnes canaliculos ad plenitudinem usque injicere jussi. Hoc facto, quod miratus fui, non tantum saporem & odorem dicti olei faucibus naribusque ingratum se percipere, sed & in molestissimam tussim incitari, ægra indicavit; manifesto nobis indicio, sinuosos recessus in cavitatem pectoris non

non solum, sed & ipsum pulmonum parenchyma pertransire. Desistendum ea de causa fuit ab injectione prædicta, Perstitimus nihilominus in usu turundarum terebinthinacearum. Brevi autem post, quod magis mirabile videtur, turundarum nostrarum, vel Terebinthinæ ad consistentiam coctæ fragmenta, nondum calore corporis liquefacta, per os tussiendo eructavit sæpius, nobisque ad oculum monstravit. Id ægræ molestum quidem fuit, nobis tamen earundem usum non dissuasit. Interne adhibita sunt pectoralia cum roborantibus mista.

Continuato per aliquot septimanas dictorum remediorum usu, materies ex sinubus effluens reddebatur spissior & magis benigna. Sinus ab interiori fundo claudebantur sensim sensimque, quod ex minori & tandem nullo fragmentorum terebinthinaceorum per os excretione liquido apparebat. Interea temporis novus abscessus in vicino loco fuit obortus, qui, caustico imposito, apertus, multum purulentæ materiæ fudit, & facile ad sanationem fuit perductus. Dein vires ægræ sensim increvere, tussicula imminui cœpit, febricula desiit; sicque non tantum, sine ulla sensibili cariosarum costarum exfoliatione, consolidata sunt ulcera sinuosa, sed & ad perfectam sanitatem & vegetam corporis constitutionem ægra rediit, absoluta curatione mense Januario Anni MDCCXLVII.

## SCHOLIA.

I. Morbum antegressum, ex quo nata sunt ulcera sinuosa in hacce ægra, Pleuro-peripnevmoniam in suppurationem actam fuisse, vero quam simillimum videtur. Pulmonis tunica, mediante inflammatione, ut plerumque in ejusmodi casibus fieri solet, pleuræ membranæ, accretione coadunata (*oo*), latens in Vomica materies exitum moliens,

(*oo*) Id sæpissime fieri, inter alios bene multos, oculatus testis egre-

liens, primo membranam pulmonem inveſtientem, pleuræ vicinam, vel & cum ipſa unitam, dein & ipſam pleuram perfodit; hinc libertatem nacta, ſenſim inter interſtitia muſculorum intercoſtalium, membrana celluloſa vel ipſo materiæ pondere, vel & acrimonia exedente rupta, deorſum & extrorſum deſcendit, usque dum cutim perforaverit. Sic varii ſinus & canaliculi, plures in cute aperturæ naſci debuerunt; quin & diuturna puris inter partes externas & internas commoratione coſtarum exeſio & caries. *Vomicam pulmonis externam* forte vocare licet, nullo quippe pure, ut videtur, in thoracem effuſo, neque, quod mirum, per os ejecto.

II. Inter chirurgicas curationes ſæpius obſervavi, oſſibus denudatis vel carioſis optime prodeſſe, quæ pure reſinoſa ſunt, ut Terebinthina, ejusque ſpiritus ſeu oleum deſtillatum; balſamum Peruvianum; balſamum de Copaiva; olea ſtillatitia ex fragrantibus vel aromaticis; Tincturæ alcohole puriſſimo ex ſolis balſamicis puris præparatæ. Horum etenim ope vel cita ſequitur ſeparatio, vel nulla; ut in obſervatione, ubi perfecta conſolidatio ſine ulla oſſis denudati & & ſcabroſi ſenſibili abſceſſione facta eſt; dum e contrario Euphorbium, Myrrha, eorumque vel ſimilium, partim reſinoſorum, partim gummoſorum Tincturæ; vel Scordii, Agrimoniæ aliorumque vegetabilium laudata decocta, vel omnino nihil efficiunt, vel morbum longius producunt, aquoſitate & mucoſitate, putredini ſeu corruptioni avertendæ, ut videtur, inepta.

egregius D. *le* DRAN diſſectione cadaverum manifeſte docuit. *Operat. de Chirurg. in Capite des Abſc. de la Poitrine.*

*OBSER-*

# *OBSERVATIO XLI.*

## DN. D. JOHANNIS GRASHUIS

*De*

## *Urinæ difficultate ultra viginti annos molestissima, subito tandem sublata.*

Vir nobilis, quinquaginta annorum, a vigesimo & sexto ætatis suæ anno urinæ difficultate vexabatur. Aliquando totalem per aliquot horas patitur lotii suppressionem, cum perpetua ad mingendum incitatione, dolore molestissimo & fere intolerabili, ut vigesies quandoque vel ultra naturæ conatibus, frustraneis licet, obedire cogatur una hora, donec tandem, magna cum vi muci copia ex urethra prorumpente, urina secuta sit. Brevi dein, aliquando citius, quandoque etiam tardius suppressio redit, cum iisdem molestiis, minoribus nunc, alio tempore majoribus. Frequentissime cum urina, admodum fœtente, muci ingentem copiam excernit, qui in urina seposita subsidens, albumine ovi spissior, cohæret, pelliculam quasi formans, (qualem materiem *pituitam vitream* Veteres dixere) totum plerumque matulæ fundum obsidens, & post effusionem urinæ tenacitate sua adhærens fundo. Quandoque etiam striæ sanguinolentæ ipsi erant intermixtæ, quin & merus sanguis post exonerationem urinæ & muci exiit. Miserrimis hisce doloribus & cruciatibus per tot annorum seriem toleratis, æger debilitatus & emaciatus maximopere fuit.

De prima mali origine quærenti mihi respondit Vir nobilis, se post largiorem vini rubri, singulari occasione, potum, suppressionem urinæ contraxisse, quæ suppressio tunc temporis sublata fuerat applicato cataplasmate ex Chæ-

refo-

refolio supra regionem pubis, ita ut urina guttatim efflueret; suppressio autem quarto quintove die quum ut antea rediret, iterum ut ante sublata fuit. Recurrente eadem suppressione tandem muci excretio accesserat, & morbi major pertinacia, usquedum in chronicum jam descriptum abiisset.

Consuluerat æger præstantissimos in regione nostra Medicos, qui varia quidem proposuerunt & exhibuerunt medicamenta; inter quæ lenientia & involventia mucilaginosa optimum, urinam pellentia pessimum ediderunt effectum, morbo nihilominus perpetuo ingravescente.

Tandem Augusto mense Anni MDCCXLVI. ad me quoque pervenit, consilium expetens contra dirum hoc & intolerabile fere malum, quale me nescire ipsi palam sum professus, morbum ut insanabilem existimans. In solatium tamen, & ne nihil agere velle viderer, demulcentia quædam, mucilaginosa, & partes utcunque roborantia exhibui; aliquali, ut in principio videbatur, cum levamine, morbo tamen remanente eodem. In hisce rerum angustiis, ab ægro nobili maximopere instigatus, ut si quid possem ipsi præstarem auxilii, in eas meditando incidi cogitationes, num forte adstringentibus fortioribus id effici posset, ut mucus vesicæ amicus & naturalis, cujus perpetua abscessio omnium dirissimorum symptomatum causa erat, morbumque immedicabilem reddebat, in vesica permaneret, eamque ab irritatione urinæ defendens, morbo non finem, id enim vix sperari poterat, sed solamen aliquod imponeret. Præscripsi itaque eum in finem Elixir. Vitrioli quoddam extemporaneum, in hunc modum compositum: Rec. Tinct. Cort. Peruv. unc. I. Essent. Cinnamomi unc. dimid. Spirit. Vitrioli Drachm. ij. Misceantur.

Hujus medicamenti primo adsumsit guttulas viginti & quinque, dein triginta, usque ad quadraginta, ex pauxillo

aquæ puræ. Secundo ab adſumtione die parum admodum pituitæ vel muci excrevit; urinæ exitus erat facilis; dolores & cruciatus, ægro teſte, inter mingendum multum imminuti; neque unquam poſthac mucum antea deſcriptum ea, ut ſolebat, copia ejecit. Perſtitit in uſu medicamenti per integrum annum & ulterius, evaneſcente morbo, aliquas nonnunquam, raro tamen, inter mingendum faciente moleſtias, brevi iterum ceſſantes. Strictiori diætæ æger a me addictus fuit, abſtinentiæ a vino & omnibus urinam ſtimulantibus, quin & exercitiis validis, vectione in curru ſuper ſtrata viarum, curſu vehementiori & ſimilibus; quæ ſingula dum ſemel negligere cœpiſſet, malum utcunque exaſperari ſenſit: poſt quietem autem & abſtinentiam brevi denuo ceſſavit, ut nunc vegetus, floridus & toroſus læta fruatur ſanitate.

## SCHOLIA.

I. Proſtant apud Auctores exempla quædam hujus adfectus, rara licet, & non ſatis accurate deſcripta morbi natura. Aliquando talem materiam pituitoſam & mucilaginoſam quotidie cum urina excerni, quamvis nullus in veſica calculus ſit, ſe obſervaſſe dicit RIVERIUS, pituitam illam ſequenti modo deſcribens (pp): *Materia mucilaginoſa, e veſica prodiens, in eo diſtinguitur ab illa, quæ ex aliis partibus procedit, quod magis tenax & glutinoſa ſit, ita ut fundo matulæ, aut vitri uroſcopi tenaciter adhæreat, nec poſt urinæ effuſionem, vehementi concuſſione excuti valeat.* Quæ deſcriptio cum iis, quæ in obſervatione de muco glutinoſo dicta ſunt, apprime convenit. Apud SCHENCKIUM hiſtoria extat de milite (*qq*), qui conqueſtus de urinæ detentione, ebibita minerali aqua, membranulas minxit quamplures nerveas, ſubductu difficiles.

Idem

(*pp*) Oper. pag. 353. (*qq*) Obſervat. med. p. 504.

Idem ex CARDANO citat casum Leonis, Monachi B. Augustini, qui tantum pituitæ lentæ, in matula simul concre..., sæpe ostendit, ut ovum anseris magnitudine superaret, & tamen calculo non laboravit *(rr)*. Concionator quidam pituitæ quandam materiam, adeo viscosam & longam, ut intestinum quoddam videretur, per vesicæ canalem reddidit, antea miris doloribus excruciatus *(ss)*. Quin & alium casum idem refert SCHENCKIUS *(tt)*, de excretione copiæ incredibilis pituitæ lentæ & corruptæ per plures menses durante. *Malum hoc*, inquit, *modo remissius fuit, modo acerbius; modo stillicidium, mictus exiguus & frequens; modo urina largior. Remittebat dolor, tum acerbius redibat. Urina modo mordax, modo contra.* An membrana nervea adfectus rarissimi, a doctissimo D. KOCH, in Nosocomio Lugduno-Batavo observati & descripti; ut & pars magna interioris membranæ vesicæ urinariæ a celeberrimo D. RUYSCHIO observata & depicta *(uu)*, ejusmodi pellicula mucosa fuerit, determinare non ausim. Ipse ego pluries eundem morbum vidi, vix unquam meo vel aliorum auxilio sanabilem. Aliquando vesicam penitus erosam observavi, apostemate in perinæo exorto & rupto, vel cultro aperto; remanente fistula, per quam urina inter mingendum semper exiit.

II. Adfectum hunc ab omnibus vesicæ & meatus urinarii morbis descriptis hactenus, ut mihi quidem videtur, diversum, *Tenesmum vesicæ* forte appellare licebit. Quippe intestini recti *tenesmo* quoad omnia fere similis videtur. Ut *tenesmus* est continua considendi cupiditas, ita & hic adfectus frequens mingendi desiderium & conatus est. In utroque morbo mucus magna in copia, materiæ excremen-

U 2

(*rr*) Observ. med. p. 504. (*ss*) ibid. (*tt*) ibid.
(*uu*) Adversf. anatom. Dec. II.

mentitiæ parum, singulis vicibus excernitur, cum ramentis sanguineis haud raro permixtus. Uterque morbus difficilis est curatu, nec unquam cessat, nisi relicto intus muco naturali, organorum latera contra acrimoniam excernendorum defendente. Hæc utriusque morbi similitudo eandem inire, pro medicatione obtinenda, viam suasit, quæ in intestini recti tenesmo frequentissime succedit, institutoque tentamini felix respondit eventus.

III. In causam dirissimi mali proximam si inquirere velimus, haud difficile erit ejus ortum & naturam perscrutari. Ex anatomicis quam notissimum est, interiorem vesicæ urinariæ membranam mucosissimam esse, blandoque glutine undequaque investitam. Hac itaque deficiente, & vesica vel pro parte, vel integre denudata, difficultatem urinæ necessario sequi, ipsa docet glutinis utilitas, & urinæ acrimonia; experientia confirmat. Abraso, quacunque de causa, muco, vesica sensibilissima redditur, & acerrime dolens a tantillo lotii intus hærente; unde perpetui conatus illud inimice adficiens expurgandi; frustranei tamen; eam præcipue ob causam, quod idem mucus in vesicæ cavum delapsus, nunc validissimis excernendi actionibus in collum vesicæ & meatum urinarium impellitur, canalem obstruens urinæque viam intercludens. Lotio nunc vi expresso vesica dolens se comprimit antequam penitus euacuata fuerit, remanente semper quadam urinæ copia, mora putrescente, & eam, quæ ex renibus depluit, simili putredine coinquinante. Hinc urina in vesica latens semper acris & fœtida est. Non mirum itaque, in tali morbo perpetuas adesse & molestissimas ad mingendum irritationes; vel & strias sanguineas haud raro muco permixtas videri.

IV. Curationis aliqua methodus ex præcedentibus forte etiam stabiliri potest. Illud enim primario requiritur,

ut

ut seceſſio muci naturalis ab interiore membrana veſicæ avertatur. Hoc impetrato, nimia hujus partis ſenſibilitas aufertur, & ſymptomata inde nata mitigantur & tolluntur. Id vero quomodo optime fieri poſſit, non eſt adeo facile determinandum. Mucum a veſica ſecedere vel propter imbecillitatem membranæ, vel ob minorem illius, quam decet, ſpiſſitudinem, vero ſimile eſt. Utrumque vitium adſtringentibus acido-auſteris corrigi utcunque poteſt. Ea ratione morbus, in obſervatione deſcriptus, remediis prædictis ſublatus eſt. Quomodo adſtringentium vel auſterorum vis tam facile tamque ſubito ad veſicam penetrare poſſit, in præſentiarum non inquiro. Sufficiat curationem indicaſſe, & aliquas tantum rationes, ulteriori indagatione dignas, præmonſtraſſe.

## *OBSERVATIO XLII.*

## DN. D. JOHANNIS GRASHUIS

### *Dubitationes quædam de dierum criticorum potentia.*

De dierum criticorum potentia dubitationes moveri, novum non eſt. HEROPHILUM & ASCLEPIADEM Hippocraticam de diebus criticis doctrinam impugnaſſe, ex COELIO AURELIANO & GALENO (*xx*) notum eſt. CELSUS eadem de ASCLEPIADE adfirmans, ipſe omnem dierum criticorum numero potentiam denegare videtur (*yy*) Inter recentiores alii hanc potentiam agnoſcunt, rejiciunt alii. Alii morbos Græciæ Syriæque, in quibus regio-



(*xx*) COELIUS AURELIANUS de morb. acut. Lib. I. cap. 14. GALENUS de dieb. crit. Lib. I. c. 7.

(*yy*) Lib. III. cap. 4.

gionibus dies critici a veteribus præcipue observati sunt, excipiunt, tanquam a Brittanorum, Germanorum, Belgarum &c. morbis diversos. Alii denique intempestivis, immodicis & nimium acceleratis medicationibus, nostris temporibus, crisin cæteroquin regularem futuram, perturbari existimant; ut ex scriptis BOERHAAVII, HOFFMANNI, MARTINII, NIHELII, HELMONTII, PITCARNII, BELLINI, aliorumque manifestum est.

Unumquemque morbum suo more, ab omnibus aliis diverso, vel in sanitatem, vel in mortem, vel in alium morbum abire, certissimum videtur. Quosvis vero morbos acutos, vel plurimos saltem, critice terminari, strictiori sensu vocabulo sumto, vel dierum criticorum numero regi, experientiæ repugnat. GALENUS ipse, strenuus dierum criticorum defensor, ultro fatetur, aliquando nullam crisin status tempore accidere; aliquando crisin per duos vel tres dies extendi docet (*zz*).

Morborum quorumlibet mutationes omnes a morbi & naturæ viribus determinari, verissimum est. Crisin vero a dierum quodam numero dependere, ac si sub numero ternario, septenario, vel simili, mirabilis quædam potentia lateret, vix unquam mihi persuaserim. At, inquiunt, certis tamen quibusdam diebus, in variis morbis, ingentes mutationes contingere, sæpe videmus. Dari morbos, qui septimo, decimo quarto, vel vigesimo primo die, per sensibilem crisin terminantur, negari minime potest. Quinam vero qualesque speciatim hi sint, a nemine, quantum ego quidem novi, hactenus fuit demonstratum. Qui inter recentiores Medicos exemplis in praxi dies criticos, secundum Veterum normam, se observasse gloriantur, raro tamen adeo felices in Medicina vates se extitisse, fateri coguntur

(*zz*) De crisib. Lib. I. c. 20.

tur; aliorum experimentis potius, quam ſuis innixi, in dierum criticorum potentiam diſputantes. Evolvantur ſcripta, quæ de induſtria hac de re edita proſtant, D. D. COPEI inprimis (*a*), MARTINII (*b*) NIHELII (*c*). Cum & in iis morbis, qui diebus criticis ſunt ſubjecti, criſes non adeo certæ ſunt, teſte HIPPOCRATE ejusque ſectatore GALENO.

Mirandum ſane, ſi dies critici quibusdam morbis usque adeo familiares eſſent, ac vulgo ex Veterum effatis adſtruitur, unde tanta apud viros eruditos de dierum criticorum potentia, noſtris temporibus, obſcuritas, dicam, vel ignorantia. Acutiſſimus BOERHAAVIUS Veteres ſumma cum reverentia veneratur; & hinc criticos dies re ipſa dari in plerisque morbis acutis credidit, uni etiam alterique morbo adſignavit, de cetero vero in determinandis morbis, dierum criticorum potentia ſolvendis, parcus. Experientiſſimus SYDENHAMIUS morbos plerosque expulſione materiæ ſolvi agnoſcit; dierum criticorum numerum raro inducens; quem, ſi usque adeo frequentes eſſent, procul dubio non effugiſſent. Nemo Medicorum eſt, vel modice doctus, quin variolarum æque ac morbillorum ſtadia dignoſcat; quidni & aliorum morborum, ſi ſimilem obſervarent memorabilium mutationum ordinem. Illuſtris doctisſimusque D. COPE, feliciſſimus prognoſticorum HIPPOCRATIS, a poſteriori, demonſtrator, an æquali peritia a priori morborum eventus, eorumque dies criticos limitare & prædicere valeat, dijudicare neque auſim, neque poſſim.

Criticos autem dies plane reiicere, vel venerabilem antiquitatem falſitatis arguere minime velim. Quæ ſuperſtitioſe

(*a*) Demonſtrat. medico-pract. prognoſticorum HIPPOCRATIS.

(*b*) Eſſays Med. and Philoſophical. Eſſ. I.

(*c*) Novæ obſerv. circa Criſium prædictionem ex Pulſu.

tiose dicta sunt, a veris caute distinguenda puto. Alternis diebus febres bene multas exacerbari, experientia addiscimus. Id vero variis febribus commune est, acutis non tantum & continuis, sed etiam intermittentibus & lentis. Hinc maxime sensibiles mutationes, sive in pejorem, sive in meliorem statum diebus imparibus contingere solent. Et si morbus ejus est genii, ut ante septimum diem superari a naturæ viribus potuerit, eo die crisis vel solutio morbi contingit: non quia crisis huic diei occulta quadam ratione est adfixa, sed quia septimus est alternus dies, & morbus eo usque victus, ut solita alternæ diei exacerbatio non revertatur, sed vel evacuatio quædam sensibilis materiæ morbosæ, vel solutio morbi, sine manifesta evacuatione, sit facta. Id vero quoniam non regulariter in omnibus febribus ita fit, critica mutatio non semper die impari evenit, sed etiam pari; quod vel HIPPOCRATES & GALENUS ubertim testantur. Si morbi materiæ copia major sit, quam ut septem dierum spatio subigi possit, v. g. sesquialtera vel dupla, morbus vel undecimo, vel decimo quarto cessabit; & sic eadem in ratione diebus aliis.

Magna quidem molestia & agonia conjuncti invadunt illi dies, quibus morbi solutio contingit, *critici* dicti, vel & eos proxime præcedunt. Nec mirum. Morbo etenim ab incremento ad statum appropinquante, corpori magna infertur molestia; ad statum autem perducto, ejus vires minuuntur, & sanitas redire incipit. Exemplo sit inflammatio; hæc maximam tunc molestiam & dolorem parit, quando suppurationi est proxima. Pure facto, vel resolutione nata, hoc est, morbo in alium morbum mutato, vel sanitate redeunte, mitigantur symptomata. Est itaque similis mutatio cum maxima molestia, sine dierum criticorum observatione.

Criti-

Criticas ejusmodi mutationes prævideri ex ſignis quandoque poſſe & prædici, adſentior: quia in multis alternis diebus fiunt acerbationes, quæ, prout varia ſymptomata conjuncta habuerint, inſtantem & proxime futuram exacerbationem, vel mitiorem vel graviorem prænunciant. Talia vero & ſimilia in omnibus febribus omni tempore prædicere, ſine errore, impoſſibile eſt. Ego quidem juniores Medicos, Præceptorum inſtitutionibus fidentes, ſæpe deceptos vidi, dum alia & longe diverſa acciderent, quam ſibimet aliisque erant polliciti.

Regerunt quidam, ut criticorum dierum potentiam ſartam tectamque conſervent, naturæ vires ſæpe præpoſtero remediorum, catharticorum præcipue, aliorumque evacuantium uſu, vel abuſu potius, ita interturbari, ut morbo vincendo impares reddantur, & criſis avertatur. Verum non magni momenti hoc argumentum eſt. In morbis enim certos quosdam dies obſervantibus, naturæ leges non ita facile, leviuſculis accidentibus cauſis, pervertuntur. Variolæ vel imperite tractatæ, curſum dierum nihilo ſecius ſequuntur. Quartana febris erga omnia medicamenta, tam convenientia, quam mala, conſtans, quarto die, ſtato tempore redit.

Dari morbos certis diebus adfixos, non inficior, paucos licet, & ab omnibus ſatis cognitos. Eos autem, qui, ſecundum Veteres, dierum criticorum potentiæ ſubjecti dicuntur, nemo cognovit hactenus ſatis ſufficienterque. Inflammatoria febris, acutiſſimus morbus, diebus criticis haudquaquam regitur; dierum alternorum leges vel non, vel non niſi imperfecte ſervat; neque hactenus ab ullo determinatum, cum certitudine, vidi diem certum, quo reſolvi debeat, ſi reſolutione ſanetur; quemque ſi exceſſerit, in ſuppurationem abire, neceſſe ſit.

Tandem, si in morbis quibusdam certæ quædam dierum criticorum leges sancitæ sint; criticas etiam eorumdem morborum evacuationes, morbum solventes, regulariter determinatas esse, statuere oportet; quod tamen minime agnoscunt criticorum dierum propugnatores. Incerti & dubii fuerunt semper, quamnam evacuationem, in certo quodam morbo, a natura expectare debeant; quasi omnes morbi acuti, varii licet generis ac genii, per easdem vel similes evacuationes, per sudores puto, diarrhœas, salivæ fluxum, aliasque, æque facile solubiles essent, eæque dierum criticorum potentiæ submitterentur omnes; quod analogiæ œconomiæ animalis non minus, quam dierum criticorum certitudini repugnat.

Mihi itaque videtur, salva Veterum auctoritate, HIPPOCRATIS præcipue & GALENI, eos Pythagoricæ numerorum & proportionum doctrinæ, ut CELSUS suo jam tempore observavit, nimium fuisse addictos; dein regularum prognosticarum avidos, & prædictionibus in morbis vaticinatorum gloriolam affectantes, quæ nonnunquam in febribus contigisse viderant, ad morbos quosvis acutos applicasse; quæ ad certos quosdam solos, & certis quibusdam in circumstantiis pertinebant, ad omnes extendisse. In hisce me confirmat ipsissima Veterum in dierum criticorum adsertione inconstantia & mutabilitas. Ipsi enim haud raro, errores, ut verosimile est, in regularum constructionibus observantes, multis exceptionibus eas limitare conati sunt. Quin & prædictiones in morbis acutis non adeo certas & faciles esse; morbos quosdam sine crisi terminari; vel diebus paribus bonas crises quoque fieri, & quæ ejus generis plura sunt, ultro fatentur. Quæ omnia si admitti debeant, quod negari neutiquam potest, totam criticorum dierum doctrinam haud parum incertam, imo fallacem (sit venia dicto) reddere, juxta meam quidem sententiam, liquido apparet.

OB-

## *OBSERVATIO XLIII.*

## DN. D. JOHANNIS GRASHUIS.

### *Fœtus ſextimeſtris, capite truncati, ex utero excluſio,*

### *ex Epiſtola Viri experientiſſimi, Petri IDEMA, Medici & Chirurgi obſtetricantis* Sneecani, *excerpta.*

Pridie Calendarum Novembris Anni MDCCLI. vocatus fui ad mulierem, ſexto menſe gravidam; ad quam recens acceſſerat obſtetrix. Hæc ut explorarem quid rei eſſet, a me expetebat. Miror; fœtus utique, immaturus licet, cum funiculo umbilicali ex utero pendebat, capite truncatus. Ligato funiculo ablatus fuit fœtus, intus relicto capite & ſecundinis. Has dum educere tentabam, vaginam, ad quatuor digitorum latitudinem prolapſam, detexi, ſanguine interim large effluente. Muliere ita collocata, ut ſuperior pars corporis inclinaret, vaginam reſtitui. Secundinæ autem nullo modo extrahi potuerunt, nullis exiſtentibus partus torminibus, ut in vaginæ prolapſu ſæpius obſervavi; ore uterino arcte clauſo, quod præmaturis ex utero excluſionibus etiam commune eſt. Ægra in lectulo repoſita, fluxus ſanguinis, duarum horarum ſpatio præterlapſo, multum imminutus fuit. Cataplasma calidum abdomini imponi curavi; quo facto circa veſperam placenta digitis pertingi potuit; ſed usque adeo fragilis, funiculo interim ore uterino valide conſtricto, ut omnes ad eductionem conatus fruſtranei fuerint. Continuato uſu cataplasmatis placentam poſtero die usque eo prociduam inveni, ut, leviori adhibita vi, eam extraxerim. Funiculus tamen

ita constringebatur, ut duobus digitis, intra os uteri immissis, non sine magna molestia liberaretur, & caput requirere plane esset impossibile. Supra dextrum mulieris inguen durities quædam digitis persentiri poterat, quam a capite in utero hærente formari credidi. Cataplasma denuo fuit applicatum. Insuper suasi ægræ, ut manu propria locum hunc iteratis vicibus, leviter comprimeret os uteri versus. Sicque postero die caput sponte fuit exclusum, quod, ut etiam corpus truncatum, apud me conservo. Mulier ad sanitatem pristinam brevi fuit restituta.

Qua ratione caput a trunco fuerit abruptum, me nescire fateor. Uteri oris constrictione id fieri potuisse, vix credibile est; licet abruptionem recenter contigisse, ex inspectione partium sauciarum clare appareret. Violenta tractione externa ab obstetrice, vel alio quopiam id factum fuisse, nulla erat suspicio, quia ante obstetricis accessum fœtus jam usque adeo fuerat exclusus, ut antea dictum. Quin & ipsa prægnans se rem ita percepisse, antequam obstetricem ad se accerserat, adseverabat.

(*Amstelodamo Halam missæ d. 29. April. 1752.*)

## *OBSERVATIO XLIV.*

## DN. D. WOLFFGANG THOMÆ RAU

### *Historia febris morbillosæ anno MDCCLI. a mense Januario ad mensem Junium usque in agro Geislingensi vicinisque locis epidemice grassantis.*

Primas hicce morbus radices egit sub hyeme austrina, mense Januario, in pago *Aufhausen*, in monte editiori

sub

ſub cœlo ſatis frigido ſito: ibi enim, ex mediocri incolarum numero, octoginta circiter, infantes potiſſimum, aliquot tamen etiam adulti, ſpatio trium vel quatuor ſeptimanarum, decubuerunt febre morbilloſa miti, benigna & regulari; id quod vel ex eo colligi poteſt, quod, ſi tres vel quatuor ex his ægris exceperim, reliqui omnes, ſub regimine pro more ruſticæ gentis inſigniter æſtuoſo, absque omni convaluerint medicatione. Verum non adeo lætus erat conſtitutionis hujus epidemicæ decurſus: poſtea enim, cum menſe Februario & ſequentibus, ſub tempeſtate inconſtanti, pluvioſa, ventoſa & nebuloſa, hæcce febris per omnem viciniam graſſaretur, adulti quidem rariſſime eadem corripiebantur, ſed tanto frequentius & atrocius infantes cujuslibet ætatis. Anteceſſit primum ejus impetum in plerisque adpetitus dejectus, viriumque aliqualis lapſus cum tuſſicula; ſubſecuta eſt ſtatim ſumma virium proſtratio, tuſſis ſicca vehemens & non compeſcenda, vomitibusque crebris inanibus juncta; ſucceſſit perpetua corporis jactatio, pervigilium, & in quibusdam continuus fere ſopor, calor & ſitis, imo æſtus vehemens, palpebrarum tumida elevatio, & illachrymatio frequens. Plerique, ſaltem illi, qui curæ meæ ſubjecti fuerunt, conqueſti ſunt de doloribus abdominis, quibus ſæpe acceſſit ſecundo vel tertio die diarrhœa; qua præſente vel plane non, vel difficulter eruperunt morbilli, durante nihilo minus typo febris irregulari. Contra ea in aliis primo ſtatim nychthemero conſpectui ſe obtulit exanthema: remanſit autem in utroque caſu reſpiratio difficilis, anxietas circa præcordia, capitis gravitas & dolor obtuſus, calor æſtuoſus, tuſſis, ad quæ acceſſit interdum delirium. Ubi vero e contrario tertio vel quarto die maculæ in cute effloruerunt, eæque diſtincte elevatæ & roſeæ, omnia ſymptomata remiſerunt, & ſeptimo plerumque die, extincto calore febrili, & redeunte ſomno & adpetitu, ægri convaleſ-

 cere

cere inceperunt. Quodſi autem vel ob diarrhœam tardius aut plane non, vel absque hujus acceſſione nimis cito, morbillorum eruptio contigit, exanthema hoc adſpectu fuit lividum, cutis inflata manſit & poſtea leucophlegmaticus tumor vel caput, vel abdomen & crura, vel totum corpus occupavit, vomitus, in quibusdam nulla arte coërcendus, ſimul recruduit, atque moleſtiſſima tuſſis tam in his, quam in iis, jugiter perſeveravit; qui ſinguli, remittente dein febre morbilloſa, ex calore lento tandemque hectico contabuerunt. Plures, præſertim in pago *Altenſtatt*, menſe Majo recidivam, ſed leviorem, paſſi ſunt febrem. In aliis eodem tempore, ſexto circiter die, cum morbillis jam egreſſis purpura miliaris alba ſe ſociavit; quæ accedentibus convulſionibus lethalis fuit, ſemper vero longiorem & graviorem febris, ad XIV. & XX. usque dies, decurſum reddidit, imo nonnunquam exacto hoc tempore denuo repullulavit. Quod ad methodum medendi generalem attinet, regimen coactum & æſtuoſum æque nocuit, ac frigus incaute admiſſum; optime vero conduxit æquale & temperatum nimiisque ſudoribus haud favens: ex medicamentis vero optime profuit pulvis bezoardicus, ex apicibus chelarum & lapidibus cancrorum, conchis, cornu cervi ſine igne præparato, antimonio diaphoretico, nitro & tantillo cinnabaris mixtus, & in aquis diapnoicis exhibitus; cui ad diarrhœam, ſi ſub morbi initio acceſſit, compeſcendam cryſtallus montana, mater perlarum & corallia, vel ſi juſto ſerius & cum anxietate circa præcordia eruperunt morbilli, radix Contrajervæ addita, vel pauciores guttulæ eſſentiæ alexipharmacæ Stahlii exhibitæ fuerunt, interpoſitis pro potu Julapiis antifebrilibus, tenellis maxime gratis. De venæſectione nil habeo, quod moneam, quia nunquam, quantum ego ſcio, nec meo conſilio, adhibita fuit. Ad ſpecialem vero ſymptomatum medelam quod ſpectat, ſi tardius efflorue-

effloruerit vel retrocesserit exanthema, vel purpuræ metus & suspicio adfuerit, vesicatoria cum euphoria adplicata fuerunt. Ultra septimum diem subsistens calor febrilis, vel in lentum mutatus, deferbuit ab usu emulsionum, ex seminibus quatuor frigidis & Cardui Mariæ cum aquis diapnoicis paratarum: quæ vero sub statu eruptionis & plenæ, quam dicunt efflorescentiæ, haud bono effectu retrocessioni exanthematum ansam dederunt; contra cum oleo amygdalarum dulcium mixtæ in declinatione morbi ad tussim effrenem, quæ nulli ægrorum hac febre decumbentium pepercit, compescendam perquam utiles deprehensæ sunt, subjunctis tamen laxantibus lenioribus mannatis & syrupis pectoralibus cum oxymelite squillitico mixtis. Sed qui occultis in pulmone vomicis antea laborarant, vel hæmoptysin ex hac tussi passi erant, phthisi tandem obierunt. Ad vomitum sedandum extractum Cascarillæ aquosum, in aqua quadam stomachica solutum, nonnunquam opem tulit: sæpius vero tamdiu hoc symptoma compesci se non permisit, donec inflatio cutis leucophlegmatica penitus evanuerit; ad quam tollendam, si vomitus rebellis medicationem irritam haud prorsus reddidit, rhabarbarina & extracta amaricantia, inprimis trifolii fibrini, in liquore terræ foliatæ tartari soluta, optime conduxerunt. Delirium adplicata ad caput vesica, lacte calido plena, cum camphoræ pauxillo, mitigatum fuit; erysipelaceus vero faucium tumor cessit essentiæ pimpinellæ aliquot guttulis per se adsumtis. Tumor bubonoceleus in inguine & axillis, novus lymphæ inertis & vitiatæ testis, essentiis anticatarrhalibus & pilulis purgantibus mercurialibus sublatus fuit. Convulsiones, tussim excipientes, funesti fuerunt eventus. Plures denique, superato morbo, ex colluvie verminosa, dolorem morsicantem & tumorem abdominis atque febrem acutam symptomaticam comites habente, graviter decubuerunt; qui, si interna non adsumebant-

unguen

unguento de arthanita cum ſapone Veneto, gummi Galbano & Terebinthina, per alvum purgati convaluerunt.

## OBSERVATIO XLV.

## DN. D. WOLFFGANG THOMÆ RAU

*De*

## *Fiſtula dorſali, cum cariæ coſte ſpuriæ complicata.*

Adoleſcens ex generoſiſſimo ſtemmate natus, duodecim annorum, ſanguinei & vegetioris temperamenti, ex graviori lapſu ſenſit in dorſi dextro latere circa coſtas ſpurias dolorem intenſum, cui junctus fuit tumor, ſenſim in apoſtema verſus. Facta a Chirurgo inciſione, varii reperiebantur ſinus calloſi, hinc inde inter muſculos, ibi ſitos, divagantes, cum perpetuo eoque largo puris ſtillicidio. Quum octimeſtri ſpatio tam uſu ſcalpelli, quam remediis variis externis nihil profeciſſet Chirurgus, parentes ægri, moræ pertæſi, emplaſtrum miraculoſum, ſibi magnis & verboſis encomiis commendatum, dimiſſo Chirurgo, adhibuerunt, vana ſpe irretiti, hoc ſolo emplaſtro ſanationem fiſtulæ fore abſolutum: ſed incaſſum omnis ſpes concidit. Eo quidem res redigebatur, ut clauſis ſinubus ſcalpello apertis, & cavo fiſtulæ carne repleto, per exigua tantum & calloſa foramina, duorum pollicum latitudine inter ſe diſtantia, pus ſtillaret, ſed id copioſe & absque intermiſſione. Quæ hactenus recenſita fuerunt, ab ægri parentibus accepi, cum elapſo ſic annuo ſpatio, anxii de ſalute unici filioli, unicique totius ſtemmatis ſurculi, memet in conſilium vocarent. Fiſtulæ autem regionem & ſedem accuratius paullo perquirens, inveni orificium unum, trium pollicum a ſpina dorſi latitudine infra inſertionem muſculi ſerrati poſtici inferioris, inter muſ-

cu-

culum longissimum dorsi & sacrolumbarem, & alterum orificium duorum pollicum latitudine, inferius in linea recta sub illo situm, cujus utriusque orificii diameter adeo parvus erat, ut neutrum culmum stramineum admitteret. Pressis autem in circumferentia cute & circumjacentibus partibus, pus mediæ consistentiæ, atque cineritii & viridiusculi coloris, largiter exiit. Exposito itaque parentibus mali statu & indole, suasi, ut priori Chirurgo iterum vocato, quum a novis sectionibus mirum quantum abhorrerent, orificia fistulæ valde callosa turundis, cum spiritu salis ammoniaci simplici & essentia aristolochiæ rotundæ madefactis, sensim ampliora redderentur. Quo facto injectioni accessus datus fuit, quam ex radicibus aristolochiæ rot. & ari, herbis hederæ terrestris, plantaginis & scordii, gummi mastiche, elemi, olibano & cortice ligni Guajaci, cum aqua simplici decoctis, additis post colaturam, Terebinthina Veneta cum ovi vitello soluta, essentia succini non tartarisata & melle rosaceo parari curaveram. Specillo autem per utrumque orificium demisso, duorum pollicum latitudine penetravimus in altum, ita quidem, ut in fundo fistulæ ambo sinus coire, haud obscure potuerit judicari; ideoque scalpello, conductore munito, interstitium inter utrumque orificium medium incisum fuit. Continuata tunc injectione cognovimus, multo altius, ac exspectari poterat, radicem egisse fistulam, atque non solum tertiam costam spuriam, si ab inferiori parte numerabis, carie infectam esse, sed etiam supra illam alium sinum, quatuor pollicum latitudine, superius versus dorsi spinam oblique tendere; id quod in erecto ægrotantis situ explorare potuimus, non item, si in latus fuerit conversus. Præterea æger a quavis injectione, per bihorium a deligatione quotidie bis repetita, sensit dolorem obtusum, a sede fistulæ per femur ad extremum usque pedem lateris adfecti extensum, cum ali-

qua ad motum muscularem in partibus dolentibus segnitie; quod procul dubio ab adfectis injectione ramis nervorum lumbarium, nervum cruralem internum & ischiadicum externum una in consensum trahentium, ipsi accidisse arbitramur. Quæ cum ita essent, ausus non fui, superiorem sinum scalpello altius prosequi, multo minus CELSI *de Med. Lib. VII. cap. 4.* consilium, quod etiam Illustris *van* SWIETEN *in Comment. ad Boerhaavii Aphor. de cognosc. & curandis morb.* §. *415.* improbat, imitari: sed consultius duxi, ab injectione, cui aqua calcis vivæ, menstrui loco, addebatur, non desistere. Ad exfoliationem autem costæ cariosæ promovendam *liquorem* BELLOSTII (*d*), &, quum hunc, ob intensiorem dolorem inde natum, non ferret æger, essentias succini non tartarisatas, aloës, aristolochiæ, cum balsamo vitæ liquido Hoffmanni remixtas, injectioni addi & cum turundis filo præditis adplicari, externum vero fistulæ os turundis ex spongia paratis nonnihil dilatari, atque circumferentiam sedis fistulæ arctiori

(*d*) Hujus liquoris conficiendi ratio, quam non omnibus omnino Lectoribus cognitam existimamus, in soluto per aquam, ut vulgo dicitur, fortem argento vivo consistit, quod aqua plantaginis large dilutum aut penicillo ossibus carie obsessis illinitur, aut fistulosis canalibus ad cariem ducentibus iniicitur: remedium alioqui exsolvendis corruptis osseis squamis perquam idoneum nisi gravissimus dolor & accedens sæpenumero partium contiguarum inflammatio adhiberi illud vetuerint. De quo plura exponit ipse liquoris hujus auctor, *Augustin.* BELLOSTE. in libri, quem *le Chirurgien d' Hôpital* inscripsit, *Cap. XII.* Maximam autem aquæ gryseæ Gohlianæ cum hoc liquore intercedere convenientiam, ii intelligent, qui istius præparandæ modum in *Act. Medicor. Berolinens. Dec. I. Vol. III. pag. 88.* aut in *Jo. Henr.* SCHULZII *Prælect. in Dispensat. Brandenb. pag. 57. Edit. noviss.* legent explicatum.

ri & ope spleniorum comprimente deligatione firmari jussi. Animum interea addidit cessatio doloris & stuporis in pede lateris adfecti & ægri ceteroqui bona valetudo, quæ sub omni curationis decursu nec tussi, nec dyspnœa, nec alio quocunque symptomate perturbata fuit; adpetitu, somno, & viribus habituque corporis, si subpallentem faciem exceperis, integris manentibus. Inhorruit tantum aliquoties æger ex levi diætæ errore commisso; dato autem pulvere bezoardico fixo nitroso, a placido somno obrepente alacris iterum expergefactus est. Nihilo minus, præservandi fine, remedia sanguinem purificantia & per epicrasin laxantia ægro subinde propinavi. Methodo hactenus enarrata per aliquot septimanarum spatium continuata, sensit æger in fistulæ cavo dolorem pungentem cum respiratione quodammodo anxia, & post largiorem puris, cujus alias sub quavis deligatione uncia una cum dimidia circiter effluxit, proventum, novus specillo detectus fuit sinus, sub costa cariosa per musculos intercostales, versus interiora thoracis, illæsa tamen pleura, tendens; in quem, injectione semper prius administrata, primo unguentum Felicis Würzii, in formam collyrii Celsici coctum, turundæ filo adligatæ illitum, & dein, quum ejus usu sensim auctior fieret in hoc sinu sensatio, eo seposito, turunda, liquori balsamico supra descripto intincta, immissa fuerunt. Post eam alia costæ cariosæ admota est turunda, oleo caryophyllorum destillato madida; reliquum vero fistulæ cavum plumaceolis, liquore injectionis irroratis, impletum fuit. Ita tandem sublato iterum dolore punctorio, & restituta respirandi libertate, superior obliquus sinus sensim consolidari & puris quantitas imminui cœpit, secesseruntque festucæ parvulæ, instar arenularum puri & turundis intermixtæ, & una denique fabæ superans magnitudinem. Menstruo demum spatio elapso, integrum prodiit costæ frustulum, quousque cariosa ipsa

fuit, longitudine duorum pollicum & minoris digiti crassitie, asperum tactu, colore subflavum, specillo intruso a sana ejus parte separatum. Rebus sic constitutis, cum reliqua costæ portio utrinque carne vivida obduceretur, atque superstes cavitas, specillo, cochlea acu minuta, linteo carpto circumvoluta, instructo, uti antea sub quavis deligatione factum erat, detersa, subcruenta adpareret, spem concepi, callum ubivis esse victum; ideoque Chirurgum ab injectione abstinere & ejus loco pulverem ex rad. aristoloch. rot. veræ, sarcocolla, tutia, nihilo albo, mastiche, myrrha, olibano, succino, elemi, in calamum scriptorium conjicere & inspirando intus compellere jussi. Sed en! sensus vividus in cavitate evanuit, & pus denuò largius effluxit: manifesto hinc indicio, internam cavitatis superficiem adhuc sordidam nec satis esse repurgatam. Unde coactus fui ad novam injectionem imperandam, ex rad. aristolochiæ, ireos Florentinæ, peucedani, herbis nicotianæ & sabinæ, cortice ligni guajaci, mastiche, elemi, olibano, sagapeno & calce viva in aqua decoctis, additis post colaturam essentiis succini, aloës, aristolochiæ, balsamo vitæ liquido Hoffmanni, melle rosaceo & unguento Ægyptiaco, paratam, cui turundam spiritui salis ammoniaci simplici intinctam superaddi jussi. Talis est præsens indoles refractariæ hujus fistulæ. Sanationis spes mihi videtur dubia quidem, non tamen penitus nulla, quia nullum sese amplius sistit indicium, ex quo coniicere possem, adhuc cariem in costis subesse, cui soli difficilis & laboriosa ejus curatio venit adscribenda.

OBSER-

## *OBSERVATIO XLVI.*

## DN. D. WOLFFGANG THOMÆ RAU

*De*

## *Febre tertiana pleuritica continua.*

Cauponis cujusdam uxori aliquot ſupra triginta annorum, temperamenti ſanguineo - phlegmatici, pedibus aquæ frigidæ juſto diutius commiſſis, ſtato quidem tempore, ſed parcius menſtrua fluxerunt; quibus ceſſantibus correpta fuit horrore gravi aliquoties recurrente, quem excepit calor æſtuoſus, ſitis, dolor punctorius circa ſiniſtram mammam, tuſſis ſicca, reſpiratio difficilis & corporis velut contuſi laſſitudo. Intendebantur hæc ſymptomata quavis veſpera, mane vero aliqua erat remiſſio. Quarto autem die, ob accidentem anxietatem & fervorem circa cardiam, deliriumque levius tranſitorium, quod Medici vocant, me accerſi curavit ægra. Præſcripſi mixturam ex bezoardicis fixis, temperantibus, nitroſis cum oleo amygdalarum dulcium & pauxillo croci; quorum uſu bidui ſpatio tantum fractus fuit febris impetus, ut paroxysmus non, uti antea, ſingulis, ſed alternis diebus circa veſperam acceſſerit, omnibus antea enarratis ſymptomatibus comitatus. Speciatim autem dolor punctorius & tuſſis, quæ die intercalari non affligebat, ſemper acerbius recruduit, atque æſtus denuo adeo accenſus fuit, ut noctem ſemper cum pervigilio, delirio, & perpetua inquietudine transegerit. Mane vero, ſubſequente quemvis paroxysmum largiori ſudore, calor deferbuit, & ægra usque ad novum paroxysmi impetum tolerabiliter ſe habuit, dieque intercalari cum mediocri adpetitu, qui quandoque ad extraordinaria eſculenta ferebatur,

modice cibum adſumſit. Indulſi ſic ultra quatuordecim dies morbi genio & tam indicatis medicamentis, quam emulſivis, quæ in paroxysmo bene ſe geſſerunt, dimicavi: elapſo autem hoc tempore, quum tuſſis dolorque punctorius in paroxysmo mitior eſſet, isque leniori calore ſtipatus brevius finiretur, atque in urina copioſum ſedimentum conſpectui ſe offerret, die ἀπυρεξίας mixturæ antifebrili adjunxi corticem peruvianum cum rhabarbaro non ſine fructu. Adſumſit enim morbus poſtea typum exquiſitæ tertianæ &, quod antea nunquam factum, ſemper cum horrore recruduit. Finita itaque tertia morbi ſeptimana, cum ægra longioris moræ eſſet pertæſa, atque ſymptomata cum proteiformi febrium continuarum genio a MORTONO in *Pyretol. Exerc. I. Cap. IV.* & *Exercit. II. Cap. IX. Hiſt. 8. & 9.* multum convenirent, corticem peruvianum majori doſi in electuarium redactum ipſi exhibui. Sic extincta fuit prorſus febris, atque reſtitans circa hypochondria tenſio, flatulentiæ, viriumque langor, ceſſerunt ſali Anglico; a cujus uncia dimidia & vomuit ægra, & plus quam triginta vicibus purgata fuit. Digeſtione denique per ſtomachica inſtaurata, menſtruoque fluxu promoto, ægra perfecte convaluit & jam quatuor annos, ab omni impetu febrili libera, ſana vivit.

## *OBSERVATIO XLVII.*

## DN. D. WOLFFGANG THOMÆ RAU

*De*

## *Affectu ſpasmodico-convulſivo Vomitu curato.*

Puella quædam quatuordecim annorum, jam rite menſtruata, absque cauſa manifeſta ſenſit dolorem gravati-

vum

vum circa cordis scrobiculum, nauseam & inanem vomendi conatum, quibus successit vociferatio, qua verbum germanicum, *hat*, plus quam centies elocuta fuit, spastica oris agitatio, atque irregularis brachiorum, præsertim dextri, motio cum sudore frigido, absque tamen coloris in facie mutatione. Paroxysmo finito, omnium, quæ in eo acta fuerunt, conscia, conquesta est de insigni lassitudine & dolore capitis: pulsus fuit irregularis, alvus clausa, sitis nonnulla. Vocatus consueta præscripsi antepileptica & antispasmodica, sed incassum: paroxysmus enim incertis sub intervallis sæpius de die rediit, infracta tantummodo nonnihil ejus vi per liquorem anodynum & cornu Cervi succinatum essentiamque castorei. Ratus itaque, mali fomitem in primis hærere viis, atque cacochyliæ acido-biliosæ in duodeno stabulanti deberi; dedi ægræ emeticum, quod ex granis duobus tartari emetici, ex croco metallorum secundum Pharmacopœiam Augustanam parati, & scrupulo dimidio tartari vitriolati compositum erat. Subsequuti inde sunt ultra viginti vomitus & aliquot alvi dejectiones, quibus saburra copiosissima bilioso-viscida, viridis & æruginosa rejecta fuit, non sine insigni ægræ debilitatione. Hanc autem vehementem hyperemesin a motibus spasticis, versus primas vias conversis, ortam fuisse, mihi persuasus, dedi primo lac calidum vaccinum, quod in coagulum resolutum & acescens, iterum evomuit: postea ægræ exhibui mixturam ex aqua cinnamomi sine vino, extractis cascarillæ, chamomillæ, millefolii, papaveris rhœados, theriaca cœlesti & liquore anodyno paratam, cujus usu statim quievit vomitus, & ægra, quæ sub ipsa hyperemesi a paroxysmo spastico-convulsivo immunis mansit, nunquam ab illo tempore per biennium ei obnoxia fuit.

(*Geislinga Halam missæ d. 12. Maji 1752.*)

*OBSER-*

## *OBSERVATIO XLVIII.*

## DN. D. RÜDIGERI FRIDER. OVELGÜN

*De*

### *Pinguedinis leporinæ, maris & feminæ ac oculorum leporinorum efficacia.*

Haud inepte MARTIALIS:

*Inter aves turdus, si quis me judice certet,*
*Inter quadrupedes, gloria prima lepus.*

Gloriam leporis, quod ad cibum & vim medicamentosam attinet, pluribus persequi non est animus. In præsenti sufficiat sequens observatio: Ante quinque lustra me convenit venator Waldeccensis, ut alias sæpius, ob statum valetudinarium, jam senex prôspera utens valetudine, tum quidem solum commemorans, particulam ligni cecidisse in oculum, inde dolore pariter atque inflammatione valde adflictum. Viso oculo, pater meus, inquit, venatoris officio itidem functus, sæpius me præsente narravit, pinguedinem leporis feminæ, omnia ex vulneribus extrahendi, vi pollere: Contra pinguedinem leporis maris, efficacia retropellendi dotatam esse, ita quidem, ut fere paret exitum ex parte aversa, horum autem animalium oculos hac vi medica excellere. Curiosus, hujus rei periculum in se faciat, auctor sum, nihil præscribens remedii, sic de fallacia non causæ ut causæ securus. Sclopo proinde confixit leporem femellam, oculum adhuc calidum, parte anteriore, apponit oculo adflicto, facie in terram inclinata: illico tum dolores auctos, eosque tractorios, se sensisse adfirmabat, domum vero rediens oculum leporinum abstulisse,

tum

tum ſtatim levamen ſenſiſſe, & in parte læſa foraminulum, magnitudine capitulum acus æquans inveniſſe, certo ipſi documento, lignoſum hujus figuræ extractum eſſe. Multus erat cum hæc narrando, tum diſtinctionem inter marem & fœminam ſignificando, ex facili dum ſedent, vel ipſo viſu notandam, quæ ob temporis longum intervallum, viliora hæc flocci pendens, memoria excidere. *Daniel* LUDOVICI leporinam pinguedinem *peculiare tractivum*, & *renitentium ſuppurationum ruptorium* pronunciat, in *Pharmacia moderno ſeculo applicanda* (*e*), quam auro contra caram, ut hunc virum, in artis pharmaceuticæ parte incomparabilem vocat, accuratus librorum cenſor SCHELHAMMERUS, ceu non minus, quæ de materia medica ſcripſit LUDOVICI, tribus in locis commendat incomparabilis obſervator STAHLIUS. Sententiæ LUDOVICI accedit *Emanuel* KOENIG (*f*), adſerens non immerito pinguedinem leporinam huic *peculiare tractorium* audire, cum & globulos ad exitum diſponat, præſertim cum cancro contuſa ſi miſceatur. Oculos leporis vertici imponendos parturientibus: pinguedinem ophthalmicis & ſpiculis extrahendis prodeſſe, edocet *Synopſis Lagographiæ curioſæ Chriſt. Franciſc.* PAULLINI (*g*). Haud ſecus oculos leporinos Martio captos, valere ad partum difficilem, ſecundinas & molam propellendam, vertici impoſitos, ut pupilla verticem tangat, axungiam vero extrinſecus applicatam, maxime ſi vetuſta ſit, tanta pollere attrahendi vi, ut vel ſpicula cuti infixa eliciat, ſcriptum reliquit *Joann.* SCHROEDERUS in *Pharmacopœia medico-chymica* (*h*), tot editionibus nobili,



(*e*) Diſſert. I. Oper. omn. p. m. 287.

(*f*) Regn. animal. Sect. III. Artic. III. §. 9. p. 265.

(*g*) Ephemerid. Natur. Curioſor. Decur. III. Ann. 1. App. p. 156.

(*h*) Lib. V. Claſſ. I. p. m. 823. 824.

quæ, ut, in confirmationem adductæ obſervationis, chartæ mandare mihi viſum: ita neque ab his, neque ab aliis, quod equidem ſciam, ſingularis differentia efficaciæ pinguedinis leporis maris & feminæ tacta, neque oculi leporini ſcopo tractorio, ea ratione, in uſum ducti, nedum palma iis præ pinguedine, hac in re, data eſt. In uſum materiæ medicæ digna haud dubie hæc ſunt, quæ data eam in rem opportunitate, ulterius explorentur. Noſtrum namque eſt, non noſtra ſed naturæ voce loqui. Naturæ imperamus, ſi naturæ obtemperamus.

## *OBSERVATIO XLIX.*

## DN. D. RÜDIGERI FRIDER. OVELGÜN

### *De*

### *Papillarum in lactantibus læſarum curatione.*

Quæ tenerioris ſtructuræ ſunt, femellas, primo potiſſimum in puerperio, toties ſummo dolore correptas fuiſſe, quoties infantulo papillis applicato, lac præbuere, non ſemel atque iterum, ſed pluries obſervavi. Nonnullæ earum ea fuere harum partium teneritudine, accedente inprimis fortiori editi fœtus ſuctione, ut læſione hinc adfectæ, ſanari haud potuerint, magno lactantis dolore maritique incommodo, variis nutricibus, pro variis ex ordine lactentibus, ſubinde non ſine aere alieno, in ſervitium ſibi adſciſcere coactis: ne tædium heic loquar, compluries non minus obſervatum, dum nutrices ſibi indulgentes ſervitio exeunt, ad maritos, amaſios, ſe conferunt, manentes criſtas erigunt, animo alte tumeſcunt, turgeſcente fere in dies, magno tenelli damno, vitrea bile; ut nullibi fere verius

rius obtineat CLAUDIANI versiculus, a servo ad hujus commatis servam, translatus:

*- - - - Nec bellua tetrior ulla est*
*quam servæ rabies.*

Et haud secus Plautinum illud:

*- - - Neque ego tetriorem belluam*
*vidisse me unquam quemquam, quam te, censeo.*

Ut vel inde dispalescat, curationem partis adfectæ, tam parvæ licet, non parvi esse momenti, in iis inprimis, quorum amor in liberos major, res autem angusta domi est. Sane miratus sæpe sum, nutrice ira concitata, infantulum, vel sub suctione, extemplo motibus convulsivis adflictum fuisse. Sed redeo, unde digressus sum. Tenerrimæ molestissimæque papillarum substantiæ, ac jam dictæ fortiori, infantis fortioris, suctioni, accedit solemnis hic nocentissima incuria, non obstans, primæ monticulorum in medio mammarum eminentium, seu papillarum, excoriationi: quare fit, ut dolores, quo protrahitur magis malum, eo fiant acerbiores, læsio, quin ulceratio, majora capiat incrementa, sanguis cum lacte a tenello, magno sanitatis incommodo, sugatur, malum, procedente tempore, incurabile reddatur, quin, quod visum est, ipsæ papillæ prorsus erosæ & corruptæ, vel suctione infantis, vel spontaneo lapsu decidant: eo autem citius curatio sub primis læsionis initiis, & incipienda & maturanda est, quo matris humores circulantes sunt salsiores, acriores, acidiores, scorbutici, tum quod hi, & alias, & inprimis per lac indies magis, extrema mammarum læsa inficiant ac erodant, tum per puelli salivam salso-acri nutrimento imbutam, idem illud præstent. His ad animum revocatis, operæ pretium duxi, curationem, qua felicior, citior, addo simplicior, memoriæ non succur-

 rit,

rit, heic loci in medium proferre. Primipara tenerior tantis ſub quavis ſuctione adfligebatur doloribus, ut, quamvis fœtus partu difficillimo editus eſſet, hujus dolores tamen minores crederet. Ortæ hinc excoriationi & læſioni papillarum auxilio externo fuit, omnibus aliis in uſum vocatis potiori, ablutio papillarum, poſt quamvis lactationem, cum vino aduſto, vel ſpiritu vini vulgari, earumque deinde illinitio cum oleo ovorum, ſuperinducto folio plantaginis. Vinum aduſtum, inquiebat, mortificavit (venia ſit voci minus latinæ, prolata exprimenti), oleum ovorum vero ſanavit malum. Præter vim vulnerariam, fervorem moderantem, recens folium plantaginis adhæſionem induſii nocivam præcavere ſolet. Matri, a primis fere annis, ſalſa ſcorbuticaque diſcraſia laboranti, & hanc ob cauſam non minus infantulo, exhibita ſunt, quæ leniter laxando, ſanguinem edulcorando, ejus fervorem mitigando, labem ſcorbuticam ſpecifice emendando, vires ſuas exerunt. Quo caſu, ſenſu craſſo, non medico, vera eſſe poſſunt, quid? quod demum poſt correctionem ſanguinis, quæ memoriæ prodidit LUCRETIUS:

*Dulci repletur peperit cum femina lacte.*

In hoc malo, præter rariorem cutis in areola ſubtilitatem, præcipuam cauſam procatarcticam, ſaltem hic, dicendam eſſe fortiorem infantis ſuctionem, vel inde patet, quod puerpera alieno infante applicato, minores, ſuo autem majores longe ſenſerit dolores, quid? quod pater hanc rem miratus, robuſta quantumvis indole præditus, porrectis primis ſeptimanis ſuis, infantulo ſuo, labiis, illico, quod mireris, ex forti tractione veſiculam illic loci ſibi obortam viderit. Chirurgum nihil non audentem, quod haud dubie fortunam audaces juvare crederet, id quod ſæpe illi eveniſſe, ſaltem a vulgo nunciatum eſt, lactantis, ob diuturnius temporis ſpatium, magis læſis & exulceratis applicaſſe papillis mercurium

præci-

præcipitatum rubrum, unguento forte pomato mixtum, olim obstupescens vidi, qui hoc ipso, extra omne dubium, lambentem & sugentem hæc talia infantulum leto dedisset, nisi mater, a me monita, illi mature valedixisset. Tanti interest, non formulas solum remediorum congerere, sed & ipsa remedia nosse.

## *OBSERVATIO L.*

## DN. D. RÜDIGERI FRIDER. OVELGÜN

*De*

## *Partu difficili & secundinis retentis observata varia.*

Non minus graviter quam eleganter GALENUS (*i*): *Solus qui naturam ægrotantis novit, & morbi dispositionem, & vim auxilii, quod adhibebitur, præterea tempus, quo utendum ipso est, audere possit, usus auxilio jam explorato ratione, spem confirmare experientia. Quare hic solus inveniet dissidii causam, & distinctiones, quibus animum adhibens, ad id, quod ægrotanti conducit, perveniet. Aliorum vero nullus hoc ipsum cognoscet. Nam qui cognitis per experientiam adhærent immoranturque, illa sola assumunt, causantes naturam, aut artem aut ejusmodi aliquid, causam offensæ extitisse.* Hæc præfari volui, communicaturus pulverem a S. R. I. Equite *Rüdigero de* WESTHOVEN, avo meo materno æternum venerando, summo quondam Medico practico, semel fortean atque iterum in partu difficili & secundinis retentis, a filiis autem sæpissime usurpatum, viso haud dubie successu, ceu fieri volebat, exoptatissimo, ubi quid remediorum, librorum hic helluo, ea qua erat



(*i*) de placit. Hippocrat. & Platon. Libr. IX.

mentis sagacitate & subacto judicio, præscribebat. Pulvis hic est: Rec. Hepat. anguill. exsiccat. drachm. dimid. Secundin. human. scrup. dimid. Cinnam. elect. gr. v. olei destill. Sabin. gutt. ij. M. F. Pulv. D. pro una dosi cum cerevisia calida, vel aqua Artemisiæ. Iungebant huic filii, ex patris præscriptione, sæpenumero sequentia: Rec. Pinguedinis viperarum drachm. ij. illinatur umbilico. Rec. Aqu. Artemis. Sabin. ana. unc. ij. Cinnam. unc. j. & dimid. spirit. Fœnicul. v. Borrac. Venet. drachm. j. & dimid. M. l. a. detur sæpius drachm. cochleare mixturæ bene agitatæ. Qui se *Philosophum per ignem* vocare amabat, *Joh. Baptist. van* HELMONT, cujus scripta majorem in modum commendabat dictus Avus, de hepate anguillæ hæc habet (*k*): *Mulieres, observavi in partu difficili aliquot dies periculoso, oblato poculo mox ad summum ante semihoræ spatium enixas. Idque ducenties & amplius probatum. Pharmaco nimirum adhuc in stomacho existente, apertum fit os pubis, & valvæ ossis sacri in lumbis, fœtusque statim propulsus. Notavi scilicet stomachum claves uteri gerere. Hocque medicamen lubens in bonum proximi evulgavi, ne deinceps parturiens periculum vitæ subeat. Est autem jecur simul cum felle anguillæ siccatum, pulveratumque in vino potum ad magnitudinem avellanæ. Donum Dei in hoc simplici. Ut cum mulier jam parere debuerit in dolore, propter serpentis invidiam, Deus, cujus spiritus super aquas latus, eas benedictione replevit: anguillam sive aquæ serpentem, visceribus potestatis sanguificandi, voluit pacare illius maledicti rigorem. Idem forte atque melius hepar serpentum efficeret; sed in anguillæ experimento nunquam fefellit eventus.* Certe admodum adolescentulus, sæpius observavi, Matrem, a Parente edoctam, hepar anguillæ justa dosi cum duabus guttis olei sabinæ, diffi-

(*k*) Oper. omn. Francofurti 1682. edit. p. 294. §. 46.

difficulter parturientibus pluries, optimo cum ſucceſſu, propinaſſe. Quod ad me attinet, non adduci me patior, ut hæc aliave in partu difficili præſcribam, antequam fœtus orificium internum uteri ingreſſus eſt. Prius namque ſi id feceris, ſitus præternaturalis juſtus metus erit, libera poteſtate ſe quaquaverſum movendi fœtui adhuc relicta, qua re fieri poteſt, & revera ſæpius fit, ut & mater & fœtus vitæ ſummum periculum ſubeant. Ob cauſam infra dicendam non poſſum, quin heic adnectam deſcriptionem pulveris ad partum & ſecundinas remanentes, quam mecum communicavit, ante viginti, & quod excurrit, annos, amicorum meorum non nemo, adſerens, hunc ipſum fuiſſe auxilio, omnibus heroicis remediis, quid? quod pulvere ipſo, in hac obſervatione primo loco deſcripto, incaſſum uſurpatis: Rec. Borrac. Venet. ℥iij. Myrrh. elect. ℈ij. Teſticul. equin. ℈ij. gr. VIII. Croc. oriental. Cinnam. optim. ana. ℈ij. Anther. Lil. alb. ℨß. Theriac. cœleſt. gr. VIII. Sal. volat. Succin. gr. XVI. Ol. deſtill. Sabin. ℈ß. M. F. Pulv. ſubtil. doſ. ℈ij. Sane formulas medicas, non ex cerebro & hypotheſi, ſed ad lectum & ex praxi natas, ſi quis chartæ mandet, curæ cordique habitis ſimul monitis ex GALENO adductis, & vera methodo, uſui eſſe, vel ſequens edocet obſervatio: Die 30. Novembr. hujus anni, ante horam quintam matutinam, me convenit civis hujus urbis, his fere verbis: uxor mea, animi deliquio alias ſubjecta, magno ſub venæ ſectione circa medium graviditatis tempus correpta, ante horam felici partu tertium fœtum edidit, remanente ſecundina, quam bina vice, binis antecedentibus in puerperiis, haud difficulter excrevit. Ex eo tempore nullus dolor, nullus niſus ad excretionem ſecundinarum, animi deliquia vero, ut ſub partu multa, ita jam majora & continua ſunt, quibus acetum, ſpiritus, aquæ ſpirituoſæ affricatæ, nullas ferunt ſuppetias, qua ex re metus mortis mihi

mihi summus est. Præscribo extemplo sequentem mixturam, eo animo, ut cessantibus animi deliquiis, pulveres stricte pellentes, vel succenturiarentur, vel internum agens, hac ipsa confortatum, motus excretorios spontaneo motu susciperet: Rec. Aqu. Lil. alb. Meliss. cinnam. simpl. ana ℥iß. Matr. perl. præp. ʒij. Cinnab. nativ. opt. ℈j. Confect. de hyacinth. ʒiß. F. mixtura, de qua, bene prius agitata, detur mensura cochlearis sæpius. Circa horam octavam ejusdem diei maritus rediens, etiam atque etiam petebat, ipsam ægram ut visitem: quo, nulla interjecta mora, facto, invenio hanc ipsam pallidissima facie, continuis animi deliquiis adflictam, donec, nihil non molientibus adstantibus, per minimum temporis spatium ad se rediens, vomitu exoneraret quæcunque assumta, juscula vinosa crocata, a mulierculis exhibita, mixturam, reliqua. A me quæsita cum negasset, se vel minimos sentire inferiore in ventre dolores, illico in animi deliquium relapsa est. Maritus fidem faciebat, ita se rem habuisse, ex quo partus enixus fuerit, puerperam nempe continuis iisque summis animi deliquiis adfectam fuisse, vomitu remedii & jusculorum, per minimum temporis intervallum subinde isthæc temperante: animo in diversa verso, has in charta inscribo formulas medicas: Rec. Pingued. viperar. ʒij. Ol. destill. Succin. ℈ß. Citr. gutt. III. Misce, illinatur umbilico & circa eundem. Rec. Rad. Lil. alb. ℥ij. herb. Meliss. Artemis. Puleg. ana manip. i. flor. Chamom. manip. III. Rosar. rubr. man. I. Fiant duo sacculi interpassati, lacti incoquendi, moderate calidi ac expressi applicentur, cum uteri in hypogastrio, tum ossium pubis regioni. Ad animum namque perpendens, inter alia his fere sacculis, ad imitationem *Gregor.* HORSTII, magni quondam UlmensiumPractici adornatis, qui hos ipsos ita præscripsit (*l*): Rec.

(*l*) Observ. med. libr. quat. poster. Lib. I. Part. II. Observ. XXIII.

Rec. Herb. Artemiſ. Betonic. Meliſſ. Scord. Puleg. flor. Chamomill. ana manip. iß. me operæ pretium feciſſe, in puerpera primipara, ultra triginta annos nata, annos duodecim in conjugio, at ſterili, quæ vixerat, ſumme obeſa, hinc partu difficillimo adflicta, omnium cum prognoſtico, eam morituram, quæ tamen adhuc poſt annum vigeſimum ſextum in vivis eſt: ſatius duxi, tantis in animi deliquiis, cum vomitu omnium junctis, rem his externis prius, quam internis pellentibus aggredi: obſtetrici, quod & ante præceperam, in mandatis dabam, lenem & cautam funiculi umbilicalis tractionem. Extractio vero placentæ difficilior redditur, ſi funiculus centraliter, facilior, ſi lateraliter in eam inſeritur, docente id ipſum optime, optimo etiam poſt fata *Frieder.* HOFFMANNO (*m*). Memoriæ obverſatur triſtis adhuc recordatio infelicis funiculi rupturæ, Wildungæ, ante quinque luſtra obſervatæ: obſtetrix ſuæ artis minus gnara, partu edito, vocata ad parturientem aliam femellam, femori alligato funiculo umbilicali abit, reditura, non interdicto motu: ea abſente, ad motum puerperæ ruptus funiculus ſe intra uteri ſinum abſcondit. Rediens ſecundinam fruſtra manu ſollicitat, Ariadnes quaſi filo, funiculo umbilicali deſtituta. Noctesque diesque ſummis inde tentata hæmorrhagiis, & animi deliquiis puerpera, mortis candidata habetur. Omnem moveo lapidem, interne, aliæ obſtetrices externe, at fruſtra ad quintum usque diem, quo in conſpectum prodibant ſecundinæ. In lætitiam effuſus maritus, ante victoriam triumphum canere & tum viſus eſt: latebat enim adhuc anguis ſub herba, id eſt, mola. Dum ergo ſe in altum elevari paſſa eſt puerpera, ſtans excrevit maſſam mere carneam, valde fœtentem, pondere quatuor & viginti unciarum: adhibitis convenientibus, valetudini reſtitu-



(*m*) Differt. quæ Prax. clinic. & compendios. morbor. ex uteri vitio ſiſtit, p. 16. Halæ 1715.

ſtituta eſt, qua adhuc proſpera utitur. Non minus obſtetrici auctor fui, ut puerperæ ventrem attolli & æqualiter detineri curet, ipſa ſiniſtra funiculum umbilicalem apprehendat, dextræ manus duobus digitis hanc quaſi ſtatuam mercurialem, ad orificium usque uteri internum, ſequatur, his id ipſum elevet, ſic fore, ut ſecundina, leni tractione funiculi umbilicalis adiuta ac liberi juris facta, ſe præcipitem dare poſſit. Quam methodum ſæpiſſime a ſe expertam, & nunquam fallentem, niſi ubi vere ſecundina utero accrevit, laudibus extollit *Juſtina Sigmundin,* aulæ quondam Brandenburgicæ obſtetrix laudatiſſima (*n*). Cui accedere videtur æternæ memoriæ vir, allegatus jam *Frideric.*HOFFMANNUS (*o*), dum, ſi retineatur poſt partum ſecundina, digitum obſtetrices nunquam ab interno uteri ore amoveant, jubet, cauſam interſerens, niſi id ipſum fiat, ſe illico vertere ac connivere os uteri, ut nulla poſtea arte poſſit aperiri, & contra, a digiti ſola irritatione ſæpe excludi ſecundinas. At vero cum obſtetrix negaſſet, os uteri internum poſt excluſum fœtum vel unicum admittere digitum, atque eam ob cauſam neque ſecundinam attingere, neque tractione funiculi umbilicalis ſe quicquam juvare poſſe affirmaret, quem inſuper ſecundinas ſubinde circumvolviſſe experta ſit, adeoque trahendo & explorando cauto opus eſſe; cum præterea moræ impatientes eſſent cum mulierculæ, tum maritus, denique memoria nondum excidiſſent, quæ olim in ſcriptis legi jam citati *Gregorii* HORSTII ſenioris (*p*), qui, ob praxin longe feliciſſimam, *Æſculapius Germanicus* olim dictus, nimirum ex uſu pulveris, quem FORESTUS com-

(*n*) In der Chur-Brandenburgiſchen Hof-Wehemutter, pag. 114. Edit Lipſ. 1715. p. m. 114.

(*o*) l. c. p. 15.

(*p*) Obſerv. medicinal. libr, quat. poſter. Lib. I. Part. II. Obſ. VI.

commendabat, e trochiſc. de Myrrh. ſem. viol. rad. dictamn. raſur. dactyl. ſe aliquot liberatas ſcire, tres vel plures vero numerare poſſe, quæ ſubſequentibus uteri ſuffocationibus & lipothymiis intra paucas horas miſere obierint: re æqua rationis lance ponderata, heic convenientius nullum invenire potui remedium, pulvere citato, ab amico pro inſigni ſecreto accepto, ob theriacam nimirum cœleſtem ſimul mixtam, qua de ſancte teſtatur, *Jo. Jacob.* WALDSCHMIDIUS, ſe ejus vires ſemper, inter alia multa, deprehendiſſe potentes, in ventriculi languore & vomitu (*q*), hunc ipſum proinde ſequenti ratione mutatum præſcripſi: Rec. Borrac. Venet. ℈ij. Hepat. anguill. Teſticul. equin. Cinnam. opt. ana ℈j. Theriac cœleſt. gr. III. Sal. volat. Succin. gr. VI. ol. deſtill. Mac. gutt. III. M. F. Pulv. div. in IV. part. æqual. Primo pulvere vomitu nihilominus excreto, extemplo dedit ſecundam doſin maritus, hanc retinuit ægra, proſpero cum effectu, intra horæ namque dimidiæ ſpatium ſecundinæ cum placenta excernebantur, animi deliquia, iis excretis, erant vel minima vel nulla, ſi excipias tertium abhinc diem, quo ſummo animi deliquio corripiebatur, nunquam poſtea redeunte. Quod vero jam ſub partus doloribus ſiti adflicta fuerat, hæcque & poſt fœtum editum, & poſt ſecundinam noctеque dieque, cum virium debilitatione, continuaret, juxta cum multo Thee viridi, debilioris infuſionis, & quidem ſine ſaccharo, in uſum vocavit pulverem temperantem diaphoreticum, deinde quater in die naturali guttas decem cum multo liquido ſequentis: Rec. Mixtur. ſimpl. ℥ij. Eſſ. Anod. Caſtor. ana gtt. VI. ſexies denique, eodem temporis intervallo, totidem guttas Liquoris mineralis anod. Hoffmanni. His paucioribus brevi cum valetudine in gratiam rediit. Eſt fortean operæ pretium notare, obſtetricem quæ-

 ſitam

(*q*) Diſputat. XI. de Theriac. Greiffiana, cœleſti dicta, p. m. 105.

ſitam reſpondiſſe, exhibito laudato pulvere, os uteri internum pro opere digitorum duorum patulum redditum fuiſſe, omnem ſecundinam valde convolutam, recentem ac ſine omni fœtore prodiiſſe, quod mireris, cum conceptæ ſecundinarum putredini, ac elevatis inde malignis vaporibus, maligna ſymptomata adſcribant complures. Hic potiores partes deberi ſpasmo, mihi ſaltem veriſimile videtur, fidem faciente arcte clauſo uteri orificio interno: deinde, ſemel atque iterum commemoravit hæc obſtetrix, a ſe nunquam in medio, ſed usque in latere ſecundinæ, viſam inſertionem funiculi, hujus tractionem nullo poſſe eſſe adjumento, ſed nocumento, id quod nunquam non docere ſoleo, uteri ore interno clauſo; animi deliquia tanta fuiſſe in hac ægra, ut omnes crediſſent, eam illuc migraturam, unde redire negant quenquam. Contra eadem obſtetrix a me olim miſſa ad puerperam, quæ decumbebat in *Wellen*, idque a partu poſt quatuor & viginti horas, os uteri internum deprehendit apertum, duos admittens digitos, nulla vero animi deliquia, quæ facile curata, cum ope manuaria, tum ſolis aquis Meliff. Lil. alb. Cinnam. &c. quarum uſum in caſibus levioribus eam docueram.

## SCHOLION.

Facta in hac obſervatione HELMONTII, & WESTHOVII mentione, oblivioni, quæ ſequuntur, tradere haud æquum duco. Studiis medicis ad finem perductis, ad unam omnes viſitans Saxoniæ & Thuringiæ Academias, nominatiſſimorum Profeſſorum nonnemo ſibi perſuaſum eſſe adfirmabat, Dn. Avum WESTHOVIUM ope tincturæ univerſalis, ſeu lapidis Philoſophorum, tantos in morbis, ordinariis non cedentibus, feciſſe progreſſus. Hoc audito, Theoſophorum ſcriptorum amans, eorumque Philoſophia ines-

inescante imbutus, mirabili flagro in patriam redeundi cupiditate, certa spe fretus, me tanti arcani participem fore, quod non essem nescius, me sibi jam a multis annis esse dilectissimum. Redux, ea qua par erat, animi submissione identidem arcanorum nonnihil petens, responsi loco accipio id, quod accepere discipuli CAPIVACCII: *Disce meam methodum, & habebis mea arcana.* Tum vero, qua poteram assiduitate, domesticus, videns, considerans praxin, plurimos eum optimosque legisse Practicos ac Observatores, cum Hippocraticos, tum alios, non minus Chemicos, in morbis ordinariis, in phthisicis, tenerioribus, Galenicis, in aliis, in robustis, Chymicis uti remediis, cum selectu & judicio, invenio, prætereaque nihil. Omnis spes decollabat hoc tandem sermone habito. Potentissimus Elector, cujus tum Archiatrum & Consiliarium agebam, *Francisco Mercurio ab* HELMONT, qui *Philosophus per unum in quo omnia* audire voluit, *Joann. Baptist. ab* HELMONT filio, juxta mecum, quondam in mandatis dedit, ut junctis viribus, ceu eramus amicissimi, elaborationi lapidis Philosophorum vacaremus. Qua potuimus assiduitate rem peregimus, omnia ex voto cedere videbantur, circa finem unicum nobis defuit; materiam, quam adepti sumus, in Bibliotheca servo; tibi suasor sum, ut Alchymiæ nunquam operam navare animum inducas. Audito, tantos spe excidisse in Chemia viros, ulterius huic mari me nunquam commisi, hinc, quod grato animi adfectu commemoro, nullis agitatus vanæ spei fluctibus, non feci naufragium rerum mearum qualiumcunque, id quod tamen perpessi sunt, ex eo tempore, me observante complures, qui sua aliorumque bona dilapidarunt, lapidem quærendo. In gratiam eorum potissimum hæc dicta sunto, quibus bonæ mentis soror, paupertas est, si forte spem in lapidis Philosophorum fide habeant, ne rem angustam domi angustiorem reddere vo-

lentes, ob incertum a certo, quod didicere, recedant, & ultimæ ſe dent pauperiei. Recte namque PLAUTUS: *E malis multis, malum quod minimum eſt, id minimum eſt malum.* Quod autem ad eos attinet, quibus, effato Petroniano: omnibus Diis hominibusque formoſior videtur maſſa auri; & dicente PERSIO:

*- - - tunicatum cum ſale mordent*
*Cæpe - - - - -*

quamvis de his & tali obtineat ejusdem PERSII:

*Dives arat tantum, quantum non Milvus oberrat,*

Hi per me omnem moveant lapidem, ut lapide potiantur. Hi ſpem pretio emant. Iis namque cum deſit, & quod habent, & quod non habent, habeat ſaltem publicum, per impenſas in hanc rem neceſſarias, aliquid eorum, quæ illi dum habent, non habent. Hi proinde ubi ſunt *Gebri, Morieni, Riplei, Roger. Baconis, Raymundi Lullii, Bernardi Comitis Trevisani, Iſaaci Hollandi, Baſilii Valentini, Philalethæ, Sendivogii,* aliorumque coqui, coctores, quin fortunarum decoctores, cum id ipſum ſaltem reipublicæ interſit, per me licet, tum inprimis, ſi decoctius quid ex his legere vel agere ſibi videntur. Videbunt, quod hic non tam *labor intus*, quam *labyrinthus* ſit. Stultorum invenient, dum Sophorum quærunt lapidem. Hi phantaſiæ indulgeant, nos rebus. Peponem pro cerebro gerentibus relinquamus gratas nænias, ſuavia ſomnia. Ex ſuperioribus interim concludere licet, ipſum *Joann. Baptiſt. ab* HELMONT, hac arte celebratum, qui ſolidos quinquaginta annos Chemiæ impendit, ægros non inviſens, lapidis philoſophici, & ex conſequenti, remedii univerſalis participem non fuiſſe. Filium certe æque myſticum, in plurimis pari paſſu ambulantem, mihi his in rebus notiſſimum, tanto arcano non defraudaſſet pater. Id quod, ſaltem quoad HELMONTIUM,

extra

extra omnem dubitationis aleam ponit assertum incomparabilis *Herm.* BOERHAAVII, ex scriptis HELMONTII deductum, *dum insit: (r) unde certissime patere putem, binos hosce auctores* (PARCELSUM *nempe ac* HELMONTIUM) *inter Chemicos Medicinam profitentes omnium sane celebratissimos, medicamentum universale, quod utique jactabant, neutiquam possedisse, in morbis vero chronicis, per remedia violenta, sæpe numero præclara præstitisse, quoties firma ægrotantium viscera ferendæ violentiæ suffecerunt.* Certe purus Chymicus, olim aliquandiu hic degens, triduanam curationem febrium ardentium crepans, tertio die ægrum tali febre correptum invisens, quem sanum tum fore fidem dederat, mortuum invenit. Heic pro vario febris continuæ & continentis genio, varie secundum Hippocratico-Galenica, & tot sequentium observatorum scripta agens, dies criticos observando, non turbando, longe plurimos, Chymicus secus faciendo, paucissimos curabit. Alium vidi, principiis medicis equidem non initiatum, at totum PARACELSO deditum, fama mirarum curationum celebratum, unum eundemque pulverem, quem apud omnes fere ægros in usum trahebat, quotiescunque robustus, firmisque visceribus præditus mediæ ætatis Pastor, podagra adfligeretur, & huic statim primo sub insultu propinare: hujus usum sequebatur enormis per superius & inferius guttur solemnis excretio, podagræ vero vel levis, vel nulla adflictio. At laudis finem, quæ vel in cœlum hunc cætera pium Chymicum extulit, mors hujus viri præmatura dedit. Qui methodum Stahlianam, aliosque veros observatores presso vestigio sequuntur, podagricos longiorem multo vitam trahere observabunt. Sustine & abstine, & invenies hic, quod Me-

(r) Element. Chem. Part. I. p. 26. Lugdun. Batav. 1732. in 4to edit.

Medicina nequit. Secundum res non-naturales accurate vivendo, multum in adfectu podagrico ages nihil agendo, & plus, quam per fumivendulos Chymicorum pulveres, tractu temporis principium vitale debilitantes, ut, quæ cardo rei, id ipsum a partibus internis nobilibus, ad partes externas ignobiliores, materiam hostilem morbificam propellere & expellere haud valeat. Mori non vidi podagricos, qua podagricos, sed ex materia podagrica, vel per externa & interna retropulsa, vel ob debilem, per ætatem, naturam, non expulsa. Pari ratione se res habebat cum phthisicis, hecticis, hydropicis, cancro mammarum adfectis, aliis, qui ex methodo datis remediis vitam diutius ducebant, drasticis vero propinatis, ceu in confirmata viscerum obstructione eorumque labe aliter fieri non poterat, vitam longe citius cum morte commutabant. Qua de re fortean plura alias. Hæc in transitu. Interim non is sum, qui transmutationem metallorum lapidisque Philosophorum existentiam prorsus neget, non infimi namque momenti sunt argumenta, quæ LIBAVIUS pariter atque BECCHERUS in medium, eam in rem, produxere. Deinde magni ponderis videntur projectiones, a sum̃o Imperatore FERDINANDO III. Pragæ, & coram *Jacobo* ZWINGERO ac DIENHEMIO Basileæ ab *Alexandro* SUTONIO, Scoto, factæ. HELVETII *Vitulus aureus* fere nullum dubitationi relinquit locum. Quæ se vidente, justis adhibitis cautelis, sic dictus Comes CAJETANI, pulvere suo Berolini, & ipse aliunde accepto arcano, peregit, pluribus narrat *Christianus* DEMOCRITUS, quo sub nomine, magnam partem latere voluit, DIPPELIUS. Quum vero tam certum, tum quam quod certissimum sit, inter hos, cum BECCHERUM, DIPPELIUM, ambo oblectati hac specula, ambo experti Chymici, ac his studiis per omnem fere vitam innutriti, ambo semper de lapide bene sperantes, spe tamen ad finem vitæ usque excidisse. Quum insignis quondam doctusque

Practi-

Practicus *Christianus* HELWICHIUS (*s*) duos novit, quos eventus destituit, & irritus labor fefellit, ac temeritas in paupertatem præcipitavit, ceu ipsus tot millia a variis deperdita fuisse compertum habeo: quum libri sic dictorum Adeptorum, quot fere paginas, tot ænigmata, tot gryphos in sinu gerant, quid? quod si vel pater candide, sine his quisquiliis, cum filio communicet, & processum & pulverem secundum hunc processum elaboratum, qui votis respondet, nihilominus tamen, elaborato semel atque iterum, quin sæpius hoc processu, spes potiundi lapidis discessit, ceu, cum hunc processum, tum rei historiam pluribus videre est in *Jo. Joach.* BECCHERI *Experimento chymico novo* (*t*). Quum operam huic arti daturus, nunquam non incidat in vivos magis deceptores, quam præceptores, qui dum aurum promittunt, alieno auro inhiant; nemo sanæ mentis se facile rei addicet, ubi lucripetæ tanta calliditate emungunt loculos, tam tecte aureo hamo piscantur, ut nihil supra vel dici vel fingi queat. Quem fugit multorum fuisse famam, TURNHEISERUM quondam coram COSMO MEDICÆO, magno Hetruriæ Duce, tincturæ suæ, mediam clavi ferrei partem immersisse, eamque illico in aurum optimum mutasse, quin, hanc ipsam clavem in fidem rei vel centenis monstratam fuisse, quam fraudem tamen coram FERDINANDO *primo* (quo nomine aliis hic magnus Dux Hetruriæ venit) a TURNHEISERO peractam, a TACHENIO in *Hippocrate Chymico* detectam, vide sis. Non equidem negaverim, TURNHEISERUM, tot in itineribus, variarum linguarum peritiam acquisivisse, secretiora medica ipsamque alchymiam venditasse; at artem magis decipiendi quam metalla transmutandi eum calluisse, vel hæc edocent: & qui



(*s*) Schediasm. de aëre in Append. Ephem. Nat. Curios. Decur. III. anni VII. & VIII. p. 167.

(*t*) Cap. VI. p. m. 167. 168. 169.

qui lapis Philosophorum, qui, omnium Adeptorum judicio, donum Dei, addo, rarissimum habetur, caderet in virum tam pravæ vitæ & morum, in tam luxuriosum, in tam avarum, ut unciam dimidiam olei vitrioli trium imperialium pretio vendiderit, in homuncionem tam superstitiosum! Haud secus *Petr.* BORELLUS (*u*) fidem facit Baronem de SOLEIL dictum, ex argento vivo argentum optimum fecisse, re perpensa, carboni, quo crucibulum tectum erat, limatum argentum inditum fuisse: alium versutiorem, idem commemorat, Genevæ auro limato, aliis rebus incorporato, fucum facientem, accepta pacta pecunia discedentem, tertium denique, qui argentum effuso subito plumbo, per cineres crucibulo indidit. Longe recentiora, intra novennium fere a se observata sacrorum deceptorum exempla, lectu digna in scenam producit Anonymus, vir sincerus, qui se *Pyrophilum Autoptam* nominat (*x*). Sunt, qui a ducentis annis, Paracelsique temporibus, hac peste pestilentiorem pestem Germaniæ non incubuisse, forte haud injuria adfirmant, tot millenis non corpore tantum afflictis, quæ pestis tyrannis est, sed simul animo sollicito, turbato paupertate, desperatione presso, & quæ sunt plura, apud plures legenda. Quid? quod famosissimus omnium, ceu vocari amant, Adeptorum, a tot auctoribus hoc nomine, & a me, tot præeuntibus allegatus *Alexander* SUTONIUS, Scotus, dum secundum rediens Basileam, vel quicquam pulvisculi *Jacobo* ZWINGERO precario dare renuit, neque iterato naturalis miraculi specimen edere voluit, quod tamen percu-

(*u*) Histor. & observ. rarior. medico-physic. Cent. III. Observ. XXI.

(*x*) In *Christiani* DEMOCRITI Krankheit und Arzney des animalischen Lebens, aus dem Lateinischen übersetzt, mit Beschreibung aller Chymischen und medicinischen experimenten des Autoris 1736. edit. Frankf. und Leipz. p. 369. seq.

cupierat, singula momenta sollicitius observaturus, hoc ipso sibi artique dubiam deceptionis & incertitudinis notam inussisse videtur, qua de re legere est ipsam ZWINGERI epistolam (y). Hodiernis moribus fere obtinet, ut is, qui instar patris Adepti, ex matre philosophica novum quasi doctrinæ sublimioris filium gignere gestit, dum aureos montes pollicendo, auro insidiatur, subtus vulpinam pellem tegens, ovina indutus incedat, ac præter amorem, sinceritatem & misericordiam in alios, nihil in ore habebat. Heic cave vulpem, cave canem! qui cum CICERONE, pro effectrice multarum & magnarum voluptatum pecuniam habet: cui, docente SENECA, optimus pecuniæ modus est, qui nec in paupertatem cedit, nec a paupertate discedit; is pauper, non incidet in hanc scillam, dum vult vitare Charybdim. Quid ergo? cum dicente IUVENALI:

*Haud facile emergunt, quorum virtutibus obstat*
*Res angusta domi.*

Et ex ejusdem effato:

*Nil habet infelix paupertas durius in se*
*Quam quod ridiculos homines facit.*

Quas adhibebimus manus auxiliatrices ei, qui hæc pati, qui in morem extremæ plebis, infimæque sortis hominis vivere recusat!

*Atque humiles habitare casas* - -

Virgiliano verbo non amat: Persiano, non contentus

- - *rure paterno*
*Est ibi far modicum.*

Sed ut HORATII Musa canit:

- - *apto cum lare fundum*
*desiderat.* - -



(y) Append. ad Ann. V. et VI. Decur. III. Ephemerid. Natur. Curios. Epist. XII. p. 38.

Favente divino Numine, accedente justa diligentia, Medicus Neo-Medicis, certum, hoc morbo majus, propono remedium, quod jactis in Academiis fundamentis, ac lectis Medico-Practicis, ceu decet optimis, in una consistit *expeditione nautica*. Non hic JASONEM indigito, ÆSONIS filium, Regis Thessaliæ PELIÆ fratrem, qui navem *Argon* exstrui curavit, ex plurimis fortissimis Græciæ viris multos elegit, & ex Colchide reversus, ut regno paterno potiretur, in fraterno sanguine manus cruentavit. Non hic intellectum volo MEDEAM; Colchorum Regis filiam, veneficam nulli secundam, quam docuit, scribente VIRGILIO, sævus amor commaculare manus natorum sanguine. Relegamus Medici ad ultimam Thulen, recusamus Ducem fratricidam, cætera in multis magnum JASONEM. Odio plusquam Vatiniano juste prosequitur ars salutaris, veneficam, Velleris quantumvis aurei procreatricem. PHRIXI filius, ARGUS, ædificator navis, quæ *Argo* ab inventore & opifice dicta, in expeditione hac Argonautica nullius nobis usus est. Dicant, qui velint cum PLUTARCHO, vellus aureum esse venas metallicas, vel cum HEDERICO fuisse Thesaurum, vocent cum JUSTINO pellem arietis memorabilem (z). Fingant, ceu a multis factum, alii alia: in præsenti ea tantum lubet adducere, quæ in epistolis doctissimis habet Jo. Langius his verbis (a): *Vatidica illa Astrologia, & spe dives Alchymia, quorum prima rudimenta, Ægyptii, primi omnium artium auctores, excogitarunt, ad quos ob id Pythagoras & Plato navigarunt, & quibus non inepto ænigmate Moses Ægyptum egressurus, populum Israël aurea & argentea vasa, id est, reconditos scientiarum Thesauros, surripere jussit. Magnas nempe arte chymica opes sibi paraverant. Unde Diocletianus Cæsar, postquam Achillem, Ægyptiorum Ducem, octo menses in Alexan-*

(z) Lib. XLII. Cap. II.
(a) Epist. Medicin. LIII. Basil. edit. 554.

*andria Ægypti obsessum, profligasset, omnes chymicæ artis libros, diligenti studio requisitos, conflagravit: ne reparatis opibus Romanis repugnarent. Nec sane Chymia, quæ metalla cruda in meliora transformat, adeo nova ars est: nec temere Poëtæ finxerunt, Jasonem, a Pelia patruo ex Thessalia cum Argonautis ablegatum in Colchos, ad adferendum δέρας, id est, aureum vellus, ab ignivomis draconibus custoditum, navigasse, quod Medeæ astu acquisitum, in Thessaliam attulit. Non erat sane δέρας vellus aureum, sed liber, ut olim fieri solebat, pellibus compactus, in quibus ars conficiendi aurum conscripta fuit.* Quid demum? commendo in finem dictum, aureum vellus ab ignivomis draconibus, ceu ibi factum creditur, non custoditum, sed libentissime admittens diligentes artis filios, per *Jo. Laurentium* BAUSCHIUM, primum *Jasonem*, primumque *Argonautam Jo. Mich.* FEHRIUM, non interituræ memoriæ viros, quæsitum & in expeditione Argonautica jam centum annorum, per tot sequentes *Jasones* & *Argonautas*, quibus officia vitæ, ceu Argonautas decet, ipsa vita potiora fuere, inventum & mirum quantum auctum. Veterum Argonautarum secundum ORPHEUM 49, judice APOLLONIO 53, ex sententia *Valerii* FLACCI 51, numerante HYGINO 68, APOLLODORO 44. fuere. At vero, cui eorum numerum inire lubet, qui huic expeditioni Argonauticæ interfuere, observabit longe plures, nimirum 379. jam anno Æræ Christianæ 1727. (*b*) eos tacitus ut prætereain, qui satis numerose sequentibus annis sedulam in hoc ordine suam collocarunt operam. Quibus rebus factum est, ut non unus *liber pellibus compactus*, ceu de expeditione veterum Argonautica a LANGIO dictum, sed hanc tres Decuriæ, decem



(*b*) Conf. Catalogus Act. physico med. Acad. Cæs. Natur. Curios. Vol. I. præfixus.

Centuriæ, & Voluminum idem numerus, loquantur. Esto, projectiones, quas innui, alchymicas, & experientiam hujus artis, esse veras; Demus, artificibus in arte sua credendum esse: Adeptos tamen rarissimos, artem mille lucripetis, deceptoribus, gryphis circumseptam, in se difficillimam esse, certo certius, & in superioribus, levi penicillo adumbratum est. Quis non proinde propensa magis voluntate se addicet iis, quæ subministrat expeditio nostra Argonautica. Hæc non dubia, incerta, falsa, sed certa atque vera: hæc non involucris tecta, & numero PLATONIS obscuriora, in morem Alchymistarum, sed clara & perspicua exhibet: Heic, quod summo velleris aurei ordini, inscriptum legitur: *pretium non vile laboris*, reperire datur. Ad summa pervenit, qui felicitatem suam, judice SENECA, in alienam potestatem non posuit. Opibus eruditis, internisque dotibus, expeditione conquisitis, vel quævis terra, quæ artem alit, hanc felicitatem dabit. Tuus es, habes, quæ fur non aufert, scientiæ dulcedine, quæ omnium rerum dulcissima, terque quaterque beatus. HELMONTIUS junior, verus tum temporis Adeptus, at ut fit, minus vere habitus, cum eum Francofurti ad Mœnum plures convenirent Alchymiæ Coci, auream messem sperantes, ex omnibus quæsivit, qua arte scientiave vel leviter initiati, vel penitius imbuti essent, responso dato, brevioribus se his verbis expedivit: fac te, quantum fieri potest, in arte tua excellentem, & habebis verum Philosophorum lapidem. Aureum de auro dictum! Cum expeditionum, nostrorum Jasonum Argonautarumque omnium, scopus unicus sit, præsentem sanitatem conservare, absentem restituere, conquirendo per Chemiam, (ex qua, non vero ex Alchymia Ægyptii, ceu ex LANGIO adduximus, pararunt opes,) aliasque scientias & artes, eam in rem, media huic fini maxime idonea, sanitasque ipso auro magis aurea sit, quis est, qui non videat? nullibi

libi

libi lapidem Philosophorum magis philosophicum, quam heic diligentiæ patere, sive sapiens cum *Thom.* SYDENHAMIO (*c*) *tantum viatici, quantum restat vitæ,* sive, auri avidior, plus desideret, juxta cum sanitate sua aliorumque. Quod restat votorum meorum summa est, ut nunquam, neque Jason, nec Argonautarum copia, expeditioni nostræ Argonauticæ desint, & hæc ipsa omnem in posteritatem atque memoriam perennet; id quod faxit summum rerum principium, cujus centrum est ubique, circumferentia nullibi.

(*Fritzlaria Halam missæ d. 22. Maji 1752.*)

(*c*) Opusc. univers. in Epist. dedicator. p. 8. Lips. 1711. edit.

## OBSERVATIO LI.

## DN. D. JOANNIS CAROLI ACOLUTHI

### *Catarrhus suffocativus, casum ab alto & Venæsectionem in brachio institutam excipiens, curatus.*

Ex pegmate satis alto decidens murarius quidam hujus loci ante aliquot annos mense Junio, sexagenario tum temporis major, semimortuus ad suos deportatur. Mox accersitur Chirurgus, qui vulnus magnum in superiori parte capitis, quo cutis a cranio in forma angulari, ad uncias tres ad minimum lata, detrusa cernebatur, deligaret. Accersitur & Medicus quidam, cujus curæ sanitas ægri committebatur, qui decidens insimul pectus male concusserat, sine tamen læsione externa. Ex difficili respiratione Medicus stasin sanguinis in pectore judicans, medicamenta, nescio quæ, exhibet, & venam brachii incidere jubet, quo facto mox omnia ruunt in deterius, sanguinis impetu per venæ-

sectio-

ſectionem in brachio magis ad pectus allecto, quam derivato. Augentur anxietates præcordiorum ita, ut æger ab adſtantibus catarrho ſuffocativo mox perimendus crederetur. In his anguſtiis ego ad ægrum vocor, neglecto ab illis prioris Medici auxilio. Invenio ægrum ſumma cum difficultate reſpirantem, contentisque oculis ac flexis manibus mortis inſtantis adventum expectantem. Pulſus erat plenus, durus & celer. Mox vas ligneum aqua calida impletum apportari, pedesque ægri in illam collocare jubeo. Adeſt vocatus Chirurgus & venam pedis dextri incidit, largamque ſatis effluere ex illa permittit ſanguinis copiam, quo facto, mox æger levamen aliquod percipit, meliusque reſpirat. Paratur juſſu meo ex Herb. Arnicæ manip. ij. decoctum cum cereviſia, quod calidum ægro ſucceſſive porrigitur. Augentur quidem per horam, & quod excurrit, anxietates præcordiorum, uti prædixeram, quod ex uſu decocti hujus fieri aſſolet, aſt optimo ſigno, ſtaſin ſanguinis mox fore diſſolutam. Continuatur uſus decocti, interponitur ſingulis tribus horis doſis Eſſent. Arnicæ ad gt. LXX. cum infuſo Thee, unde die ſequenti melius reſpiravit æger, evaneſcente omni ſuffocationis metu. Ad alvum clauſam aperiendam præſcribo Tinct. Rhabarb. ℥ß. cum Eſſent. Cathol. purg. ʒj. exaltatam ad gt. LXX. ſingulis horis repetendam, quæ copioſas feces, ſanguini congrumato commixtas, eduxit, optimo ſucceſſu. Pro reliquiis ſanguinis circa pectus ſtagnantis plenarie reſolvendis ordino Elix. aſthmat. Offic. ℥ß. Eſſent. alexiph. Stahl. & Arnicæ ana ʒij. aſſumendo ſingulis horis gutt. LX. in infuſo Thee. His remediis, vulnere quoque capitis a Chirurgo, ut artis eſt, conglutinato, ſanitas ægri tum temporis plenarie fuit reſtituta, qua per plures adhuc annos integre vir ille uſus fuit, opificii ſui labores, ut antea, bene peragens, quem longo poſt tempore aliud, neſcio quod, morbi & mortis genus e vivis ſuſtulit.

*OBSER-*

## *OBSERVATIO LII.*

## DN. D. JOANNIS CAROLI ACOLUTHI

### *Ex abusu baccarum Iuniperi Diabetes lethalis.*

Civis quidam hujus loci, mercaturæ deditus, quinquagenario major, constitutionis robustæ, calculo renum, quem consueta symptomata & copiosa arenularum cum urina excretio indicabant, per aliquot annos vexatus, suasu amici cujusdam tribus vel quatuor baccis Juniperi, quas quotidie jejunus comedit, optimo successu utitur per longum satis temporis spatium, symptomatibus evanescentibus, & calculosa arenæ excretione plenarie cessante. Hoc eventu exoptato exhilaratus vir ille, plures quotidie, quam amicus suaserat (vel ad manipulum dimidium), Juniperi baccas avide deglutire continuat, omnes morbi prioris radices, ut putabat, eradicaturus. Calculosam autem hanc vitare Charybdim cupiens, incidit in Scyllam illa multo pejorem Diabeten nimirum, seu Hydropem ad matulam, ut a Medicis hic quoque morbus appellatur. A copioso enim harum baccarum, quem, teste experientia, affirmantibus HERMANNO, in *Cynos. mat. med. p. 137.* & Illustri *de* BERGER in *Mater. med. mscpta.* sub tit: *Baccæ Juniperi*, continent, sale aromatico oleoso diuretico, renes quotidie nimium vellicati lacessitique, crasi quoque sanguinis naturali ab hoc sale dissociata, instar spongiæ quasi serum omne ex toto corpore ad se alliciunt, imbibunt, excernuntque per ductus urinæ omnibus notissimos, atque in perniciem corporis sanguinem hoc sero privant. In hoc conclamato sanitatis suæ statu æger auxilium nostrum implorat, quod ipsi quidem omni adhibita opera & sollicitudine præstare conati fuimus, ordinando remedia selectiora, quæ Scriptores medicinæ pra-

ſticæ, experientia edocti, pro debellando hoc difficili morbo, ex fonte diætetico & pharmaceutico laudant, quorum prolixam recenſionem hic inutilem judicamus; ſed omnia incaſſum. Augetur enim quotidie profluvium urinæ copioſæ, inſtar aquæ ſimplicis albæ. Sequitur appetitus & virium proſtratio, marceſcit corpus, ſomnus eſt inquietus, paucis, omnia mortem inſtantem ægro enervato & exſucco annunciant. Tertio ante placidam analyſin die hæmorrhoidum fluxus paucus ultimos naturæ conatus indicabat, quo audito, brevi morbum per mortem ſolutum iri præſagiebam, quod etiam dicto tempore ita evenit. Quodſi, pronunciante doctiſſ. TULPIO, *Obſ. med. Lib. IV. Cap. LIV.* id liber medicus eſt artis imperitis, quod gladius in manu furioſi, quid non de remedio, vel optimo, in manu imperiti, eodemque abutentis, dicendum erit?

## *OBSERVATIO LIII.*

## DN. D. JOANN. CAROLI ACOLUTHI

### *Ex lapſu reſupino copioſa puris, in thorace collecti, per tuſſim expectoratio cum febre lenta, feliciter tandem ſublata.*

Officium eſt in vicinia Bohemia, quod res civiles & œconomicas urbium & pagorum dijudicat & dirigit. Præfecti talis officii Conjux, in urbe quadam Bohemiæ, duobus abhinc milliaribus diſtante, ante hos decem annos Maji die quarto auxilium meum poſtulabat, miſſo nuntio, qui orali ſermone explicabat, illam a tuſſi jam per aliquot menſes vexari, multa cum exſcreatione materiæ mucoſæ, quam ex ventriculo provenire putabat, illud ex languente appetitu colligens. Nuncius itaque pro ægrota medicamenta con-

venien-

venientia a me expetens, sequentibus ordinatis dimittitur. Pro muco scilicet, quo ex assumtis, tempore illo, quod jejuniis ante festum Paschatis per multas septimanas in Ecclesia Romana destinatum est, piscibus & aliis cibis, ex farina triticea cum butyro frixis (quos præfatæ ecclesiæ addicti eo tempore capere coguntur,) collecto, ventriculum turgere suspicabar, incidendo, pulverem digestivum ex Crem. Tart. ℈j. Tart. vitriolat. & Lap. cancr. ppt. ana ℈ß. ordino, antequam cubitum eat ægra, cum aqua simplici assumendum. Pro ejiciendo postea tali muco altero mane bolum laxantem, ex Conserv. flor. Bellid. ℈ij. Mercur. dulc. ℈ß. Resin. Jalapp. gr. iij. c. s. q. Syr. Rosar. solut. formatum, deglutivit, & jusculi ex avena parati tenuioris bonam copiam superingessit, quo facto magnam muci & fecum quantitatem ejecit. Sed muci quoque, pulmones & pectus replentis, habendam esse rationem putavi, hinc ut altero post assumtum laxans & sequentibus diebus Mixturæ ex Elix. pect. Wedel. ʒij. Essent. alexiph. Stahl. Pimpin. alb. Gumm. ammon. ana ʒj. paratæ bis per diem gutt. L. in infuso Theiformi ex rad. Helen. Angel. Imperat. ana ℥ij. Liquirit. sicc. ʒiij. Herb. Capill. Vener. Marrub. alb. Chærefol. ana man. j. Sem. Anis. Fœnic. ana ℥ij. composito, assumeret ægra, suasor ipsi exstiti, quo facto quidem hæc multum spissioris muci per os ejecit, ut nuncius XVII. Maji die demum ad me rediens retulit, tussis tamen cessare haud voluit. Conquerebatur insuper ægra de caloris per omne corpus & lassitudinis augmento, quæ confortaret, medicinam aliquam desiderans. Pro extinguendo igitur calore p. n., alvi libertate conservanda & tussis impetu, præsertim nocturno tempore, sedando, præscripsi Mixturam ex Anim. Rhabarb. & Liqu. terr. fol. Tart. ana ℥v. mane & a meridie hora quarta ad gt. LX. in infuso theiformi assumendam, & pulveres duos ex Spec. de Hyacinth. Matr. Perl. ppt. ana ℥ß. Nitr. crystallis. Cinnab.

 ppt.

ppt. ana ℈ß. M Pil. de Cynogloff. gr. ji. quos ægra cubitum itura cum aqua tepida, prima, cum accepiſſet, & ſequente veſpera deglutiit. Confortandi & acredinem materiæ per tuſſim ejiciendæ temperandi fine cum levamine utebatur ægra ſequente Gelatina, quæ parabatur, recipiendo Gelat. C. C. libr. dimid. Syrup. Capillor. Vener. cum aqua flor. Naph. ℥iß. & Confect. Alkerm. incompl. ʒß. M. Dimitto nuncium his onuſtum medicamentis, jubens, ut ægrotanti Heræ ſuæ meum exponat ipſam coram alloquendi deſiderium, quo eo melius in cauſas morbi præſentis, morboſque & cauſas eorum antecedentes, inſtituto cum illa colloquio & examine, inquirere, ſicque cognita cauſa morbi, omnibuſque illius circumſtantiis, ſcitu Medico neceſſariis, meliora forſitan remedia eligere poſſem morbum curatura. Placuit ægræ ejuſdemque marito conſilium; hinc, poſt aſſumta ultimo transmiſſa medicamenta, ad ipſam vocatus, invenio eam res ſuas domeſticas deambulando curantem, corpore robuſtiore, vultu ex calore interno genas rubente, & annum plus minus quadrageſimum octavum agentem. Vix primos, quos humanitas poſtulabat, ſermones miſcueramus, atque conſederamus, cum tuſſis fœminam honeſtiſſimam vexaret, quæ exſcreans, magnam ſatis puris bene cocti particulam in vaſculum aliquod ſcobe lignea impletum projiciebat, in quo jam plura ejuſmodi prius ejecta veſtigia conſpiciebantur. Hæc talia videns ego, ægrotæ vices mecum tacitus dolui, vix enim aliter primo intuitu conjicere poteram, quam eam phthiſi pulmonali laborare, præſertim cum poſtea pulſu explorato, eum quidem celerem, ſatis tamen æqualem, nec durum, at hectici aliquid indicantem invenirem. Sed re penitius introſpecta, poſt varias formatas quæſtiones nihil quicquam invenio, quod ad phthiſin generandam concurrere atque certum ſatis illius indicium præbere potuiſſet, cum per omnem ſuam vitam ægra noſtra

opti-

optima alias sanitate gavisa fuisset. Hæc quoque, variis adhuc a me tentata quæstionibus, serio adfirmabat, sibi nihil notum esse, quod pro causa hujus morbi habere posset, nisi forte lapsus quidam superiori anno huic occasionem dedisset. Hoc audito, ut historiam hujus lapsus per omnes illius circumstantias exacte enarret, ægram precibus adeo. Refert itaque, se, pio zelo ductam, pedibus denudatis nocte, quam sequitur festum natalitiorum Christi, templum frequentare voluisse, sed cum vix domum reliquisset, sese fallente vestigio in loco a glacie lubrico resupinam lapsam fuisse, ita quidem, ut omni fere sensu amisso vix ac ne vix quidem surgere, & præ dorsi dolore, quem in regione scapularum sensisset exquisitissimum, domum repetere potuisset. His probe mecum pensitatis circumstantiis, nullam morbi hujus causam magis probabilem divinatione assequi potui, quam quod ex lapsu hoc venula quædam forsan intercostalis fuerit disrupta, quæ sanguinis satis magnam quantitatem in cavitatem thoracis evomuerit, qui postea, calore interno fotus, in merum pus fuerit conversus, quod a pulmonibus absorptum cum tussi jam per aliquot menses ejiciatur. Post prandium, absente ægra, quam bono interea esse animo jussi, marito indicavi, me non certissime prædicere posse, annon a multo jam per tussim ejecto pure lobi pulmonum ipsi vitium & putredinem jam contraxissent. Si hoc, eventum morbi periculosum esse & ancipitem, si non, spem adesse recuperandæ forsitan, remota causa, prioris sanitatis. Domum postea reversus ad mentem Clar. MORTONI, Angli, quam *Phthisiolog. Lib. III. Cap. V.* exposuit, sequentia duo remedia præscripsi, quæ in officina mea pharmaceutica parabantur: Rec. Aqv. Tormentill. Plantag. ana ℥ij. Cinnam. s. v. ℥ß. Syr. Myrtillor. ℥j. Acet. destill. ℨj. pulv. Cort. Chin. ℈iß. M. F. Potio D. ad Vitr. de qua, prævia diligenti agitatione, quarta qualibet hora cochlearia duo

vel tria aſſumere juſſi. Rec. Syr. Heder. terreſtr. ℥ij. de Meconio, de Portulaca, de Althæa ana ℥j. Pulv. Cort. Chin. ʒij. Laudan. opiat. gr. iij. M. exacte F. Linctus, de quo, increbeſcente tuſſi, minimi cochlearis, quale ad agitandum infuſum Thee adhibetur, menſura bis capiatur. His remediis febris lenta extinguebatur, humores circa pectus ſtagnantes reſolvebantur, expectoratio reliqui puris promovebatur, tuſſis violentia imminuebatur, pulmones a tranſitu puris debilitati blanda adſtrictione corroborabantur, & ægra noſtra, nullo præterea alio in auxilium adhibito medicamento, præter omnem ſpem noſtram brevi poſt cum ſanitate priore, ſub benedictione divina, in gratiam redibat, qua adhuc, dum hæc ſcribimus, optimo ſucceſſu utitur.

## *OBSERVATIO LIV.*

## DN. D. JOANN. CAROLI ACOLUTHI

### *Ex potu aquæ pluviæ ſtagnantis putidæ febris lenta curata.*

Iuvenis ruſticus in pago *Klein-Schœnau*, non procul ab urbe *Zittavia* ſito ann. 1749. vix maritus factus, vomere agrum ſuum deſulcans, ab æſtu ſolis & labore nimium excalefactus ſitimque immodicam reſtinguere cupiens, aquam pluviam, in via lata ſtagnantem, putidam & turbidam bibit, & laborem ſuum continuat. Veſpere domum redientis omnia membra horror pervagabatur, quem æſtus ſequitur cum ſomno per noctem totam inquieto. Die ſequenti de laſſitudine totius corporis, ſiti, nauſea & appetitus & virium proſtratione conqueritur, nec ad labores conſuetos redire poteſt. Pater ejus, qui Prætor illius pagi eſt, a Medico quodam hujus loci juniore, qui poſtea in ipſo ætatis flore

re ex hac vita discessit, consilium petit, ejusque pro filio ægroto auxilium implorat. Hic ex morte liberorum infelicis hujus Parentis, cui unicus hic æger filius restabat, perterritus, nescio quæ incantamenta accusat, atque curam ægri in se recipere recusat, nisi adhuc alius in consilium advocetur Medicus. Moleste ferens hoc a Medico prolatum judicium Pater, die XVIII. Septembris anni supra indicati ad me accedit, rem gestam exponit, & meum anxius desiderat auxilium. Audita re jubeo eum bono esse animo, nec quicquam, quod incantamentum aliquod præ se ferat, credere, cum causa morbi haud lateat. Pro diluendo itaque humore putido ingurgitato & putredine arcenda, dedi species pro infuso Theeformi, ex Herb. Chærefol. manip. j. Fumar. Scordii ana man. dimid. rad. Scorzoner. Polypod. Liquirit. ana ℥ij. Pro incidendis autem & e corpore blande eliminandis humoribus peccantibus, usus est æger Mixtura ex Arcan. Tart. liquid. & Tinct. Rhabarb. ana ℨij. composita, de qua mane & hora tertia pomeridiana gutt. LX. pro dosi ex infuso priore assumsit, aliquot vascula minora infusi illius superbibendo. Qualibet quoque vespera, antequam ad somnum se componeret, pulverem cum aqua fontana adsumsit, cujus hæc erat formula: Rec. Magnes. alb. Rhabarb. pulveris ana ℈j. Cryftall. mont. ppt. Corall. rubr. ppt. Nitr. crystallis. ana ℈ß. Cremor. Tart. ℨß. M. F. Pulv. divid. in iij. part. æqv. Morem exacte gessit æger jussibus nostris, & remedia hæc justo tempore & modo assumsit, hinc lætus Pater illius die XXIII. Septembr. ad me rediens, referebat, omnia supra recensita symptomata prorsus evanuisse, ægrumque vires pristinas fere omnes recuperasse, nisi quod adhuc de appetitu ciborum imminuto conquerebatur. Pro confortando itaque ventriculo dedi Mixturam ex Elix. balsam. Hoffm. ℥iij. Essent. aromat. stomachal. & amar. ana ℨj. de qua gutt. LX.

LX. mane & vesperi cum cerevisia quotidie assumsit, sicque pristinæ sanitati plenarie restitutus adhuc viget & valet. Nihil temere credendum aut agendum esse Parens Medicinæ, HIPPOCRATES (vid. SPONII *Aphor. nov. Sect. I. Aphor. VII.*); & cito, tuto & jucunde morbos curandos esse ASCLEPIADES monet, teste SCHULZIO in *Compend. Histor. med. Lib. II. Cap. XII. pag. 271.*

## *OBSERVATIO LV.*

## DN. D. JOANN. CAROLI ACOLUTHI

### *Flores Calendulæ proliferi.*

Viridantis ego & flores proferentis Naturæ amator, plantam annuam Calendulam ante aliquot annos in vasculo terreo per æstatem ante fenestram musei mei, versus meridiem siti, alui, quam adventante hyeme a frigore defendi, vasculum in museo ad fenestram collocans, modicaque subinde quantitate aquæ conspergens, ne vel putresceret, vel marcesceret & moriretur, visurus, an non ex planta annua biennis fieri, & hæc cura nostra novos flores protrudere posset. Nec spes me fefellit. Postquam enim primæ æstatis flores Calendulæ meæ defloruerant, capita quidem florum semen proferebant, sed externe virorem suum conservabant, & vere iterum ingruente ex iisdem capitibus novi flores accrescebant, licet matre sua minores, qui, ad maturitatem perducti, tandem cum ipsa planta hyeme iterum adventante, nescio an mea culpa, moriebantur. Placuit jucundum naturæ fertilis spectaculum, nunquam antea visum; hinc flores, antequam marcescerent, per artificem depingendos curavimus, quorum ea erat imago, quam *Tab. IV. Fig. 1.* exhibet.

(*Zittavia Halam missæ d. 8. Junii 1752.*)

OB-

## *OBSERVATIO LVI.*

## DN. D. GOTTWALD SCHUSTERI

*De*

## *Liquore anodyno minerali circumſpecte parando, monita quædam.*

Tandem & ego virtutem & vires nobiliſſimi medicamenti anodyni mineralis, ex oleo vitrioli, experturus, & ad certum, varios inter apparatus chemicos, parandi modum me accincturus, tot voluminum chartas volvi atque revolvi, quot mihi in loco, a muſarum ſede in tantum non alieno, non ex multitudine, ſed nucleo librorum, in manus incidere potuere. Multiplices deprehendi ſummis encomiis nobilitatum liquorem parandi rationes, jam hanc, jam illam inveni in Chemicorum libris miſcendi, digerendi & deſtillandi artem, ſubinde tamen artificem, cautelis non inſtructum, fallentem; & cum alios arcani poſſeſſione ſuperbire viderem, vix tales reperi, qui genuini medicamenti gloriam ſibi arrogare queant. Quantum enim ſulphurea, & hinc fere ſuffocativa, ſpiritus efficacia ſumme penetrans a grata & amica ſuavitate odoris recedere ſolet, tantum ſemper abfuit, ut blanda illa & ſedativa energia effrenes ſpasmorum motus in corpore humano placide compeſceret, mitigaret, tolleret, ut potius tumultuarios effectus & irregulares ſpaſtico-ſuffocativas ſeditiones efficeret, relinqueret. Omne vero encheireſeos punctum in eo mihi poſitum videtur, ut ſpiritus, ex commixtione unius partis olei vitrioli, puriſſimi, ad ſex ſpiritus vini, ex cucurbita vitrea alcoholiſati, primum prodiens, cum oleo, rejecto omni phlegmate, probe combinetur. Non parum tamen etiam antiſpasmodici hu-

jus liquoris, vitriolico-vinosi, exaltationi & efficaciæ proficiet, si quis mixturam rite peractam per aliquot menses, pro intimiori olei & alcoholis unione, in quiete reposuerit. Neutiquam mihi proposui, qui totum processum traderem, cum celeberrimi ante me Chemiatri, & inter eos, præeunte *Friderico* HOFFMANNO, CARTHEUSERUS, rem, me tacente, intelligant: hoc tamen pace illorum, qui inter oleum vitrioli purum & impurum distinguere nesciunt, dixerim: ad elaboratissimum hocce medicamentum, ut vires, quæ sine impetu & sanguinis exagitatione agunt, nanciscatur, opus esse, ne vitriolicum oleum ullo alius salis congressu gaudeat, nec nitri, nec sulphuris acido inquinetur. Experientia ductus affirmare non dubito, quin vitriolicum oleum, nisi quis absolutissimam iterum cohobandi methodum calleat, a prima tantum destillatione, quod ita longe facilius haberi potest, idoneum futurum sit: de eo tamen dubito, illum artistam sinceram genuinamque medicinam unquam paraturum esse, qui oleum vitrioli nitro, licet etiam Indicum fuerit, instillat, & alia, quam non ingredi solemus, via operationem instituit. Adipiscitur spiritum, scimus, nitri fumantem dulcem, &, si res ad summum pervenerit, vitriolicum; minime vero liquorem anodynum mineralem. Prius autem, quam observationis meæ filum abrumpam, unico verbo tantum monere me rei necessitas jubet, CROLLIUM non errasse, cum oleum vitrioli dulce partim phlegmati supernatare, partim fundum petere, scriberet, modo est, ut distinctionem inter oleum vitrioli æthereum, qua elasticum, &, specifice scilicet elastico, gravius, concedas; sic enim res salva erit. Est namque ipsum vitrioli oleum æthereum, elasticum, partim subtilissimum, delibatissimum, quod, ut specifice levius, superiorem; est partim specifice gravius, quod inferiorem locum, in aqua illa sulphureo-empyreumatica, occupare suevit.

(*Chemnitio Norimbergam missa d. 16. Julii, 1752.*) OB-

## *OBSERVATIO LVII.*

## DN. D. JOANN. SEBAST. ALBRECHT

### *Dubitationes & conjecturæ circa duo petrefacta ex ſcriniis ignorantiæ repetita.*

Habet ampliſſima rerum naturalium hiſtoria, uti in omnibus Ordinibus, ſic etiam in petrefactorum generibus, plura, quæ harum rerum peritis adhuc incognita ſunt, ut illis certum locum in diſpoſitione methodica aſſignare nequeant, ſed potius neceſſe habeant, illa cum celeberr. quondam HEUCHERO *(d)* ad Ignorantiæ Muſeum reponere. Ex mea rerum naturalium qualicunque penu duo nunc petrefactorum exempla proferam, quorum origo valde dubia plurimis harum rerum peritis manebit, nec ego me Davum judico, ſed potius eo animo illa propono, ut, ſi fieri poſſit, meliora edocear. Interim tamen meas conjecturas æqui bonique ut conſulant lectores, humaniſſime peto.

Petrefacta illa utraque eſſe, certiores nos facit eorum habitus & ſubſtantia nunc plane lapidea, & in animali regno eadem quondam locum habuiſſe, ex ſtructura eorum quilibet iudicabit; ſed ad quod genus, ad quam ſpeciem referenda ſint, hoc opus, hic labor. Alter horum lapidum, quem *Fig. 2. Tab. IV. & Fig. 1. Tab. V.* in adverſa & averſa parte, naturali ſua magnitudine ſiſtit, cæſei coloris, marmoreæ crudæ ſubſtantiæ, cujus craſſities in medio circiter 4. linearum, circa margines tenuior, in utraque ſuperficie pilulis non unius magnitudinis, inſtar Oolithi vulgaris, interdiſtinctus. Horum globulorum alii unico puncto in medio, ceu ſtigmate, ſunt inſigniti, alii vero per lineam transverſalem



(*d*) de Theſauris Regiis Dresdenſ. Oper. Part. I, num. XXII. p. 794.

lem, alii per binas decussatas in formam crucis, alii per tres lineas in medio plerumque concurrentes, ut sic tres triangulos, quorum duo sæpius obtusiores tertio, forment, pauci vero linea spirali, a centro ad ambitum excurrente, inter se differunt. Ejusmodi divisiones seu rupturæ suti de vi quadam elastica, meo quidem judicio, quæ olim statui naturali propria fuit, ita de animali origine testantur. In Oolithis vulgaribus sæpius quidem, si detriti fuerint, lineas circulares, æquali distantia a lamellis sibi invicem inductis, observare licet, v. g. in illis, qui circa Thermas Carolinas candidi coloris inveniuntur; sed præter has nullam aliam linearum differentiam exhibent, & hoc ipso sagacioribus persuadent, non rite ad animale regnum referri, sed potius ex motu aquarum gyratorio successive ita formari, ut posita, ex materia subtiliori calcarea, alia crusta super aliam, identidem, una cum figura globosa, etiam diversa eorum magnitudo oriatur: ast nostri lapidis conditiones omnino ab his diversæ sunt. Perlustranti mihi varia scriptorum historiæ naturalis volumina, quæ ad manus erant, tandem in *Ferrandi* IMPERATI *Historia naturali* (e) figura aliqua obvenit, quæ aliqualem analogiam cum nostro petrefacto, quoad externum habitum, monstrare videtur. Ea est alicujus marini, cui *Loricæ marinæ* nomen imponit, quod vero brevissime his verbis describit: *Lorica marina imperfecti animalis species, corio, cui squamæ inductæ, similis: motu reptili in aqua progreditur, incessu erecto, haud jacente, utroque latere simili;* & alio loco addit: *In pelago movetur, raro conspicitur atque inprimis cœlo sereno, e mari sublata statim motum perdit.* Substantia quidem hujus marini mollis non impedit, quo minus conjecturæ locus relinquatur. Non enim desunt aliorum mollium animalium, attamen petrefacto-

(e) Libr. XXIX. Cap. I. p. m. 898. & p. 913. Edit. Coloniens. in 4to, 1695.

factorum, v. g. lumbricorum aliorumque insectorum exempla, quæ in Museis curiosorum asservantur, cujus & ego exemplum alio loco dedi (*f*): Sed neque descriptio IMPERATI, neque figura addita ita comparatæ sunt, ut certi aliquid determinare ausim. Accedit, quod squamarum potius, quam globulorum mentionem faciat, qui tamen ipsi globuli seu pilulæ non in superficie utraque nostri lapidis tantum apparent, sed in tota ejus substantia observantur. Edoceri itaque a sagacioribus in hac re malo, quam docere, & nunc ad alterum lapillum substantiæ calcariæ, tanquam petrefactum rarius, Museo dignum, progredior, quem Fig. 2. 3. & 4. Tab. V. tam a superiore, quam inferiore parte, itemque a latere, naturali sua magnitudine, delineandum curavi, quemque jam anno 1724. in agris Fechheimensibus, pagi Ducatus Coburgensis, ut alibi docui (*g*), petrefactorum variorum, elegantissimorum copia ditissimi, inveni. Hunc lapidem si quis, pluribus ingenii quam judicii viribus instructus, intuetur, facile eo deduci posset, ut sibi fingeret cerebrum petrefactum alicujus minoris quadrupedis, v. g. Muris sylvestris, aut alius. Nam per lineam instar suturæ serratam, depressiorem, in superiore parte, *Fig. 3. a*, exacte in duo quasi hemisphæria non solum divisus est, instar cerebri, sed etiam in dextro hemisphærio, quod *Fig. 2.* monstrat, lineæ rubicundæ, instar ramificationum arteriolarum discurrentes, observantur. Accedit, quod hæc substantia parte adhuc testæ reliquæ in occipitio tegatur, quæ ossis occipitis fragmentum mentitur, in quo foramen majusculum, in loco pro transitu spinalis medullæ, cranio alias congruo, apparet. Vid. *Fig. 3. & 4. b* & *c*. In anteriore parte autem truncatos quasi nervos olfactorios sibi quis fingere



(*f*) Actor. seu Ephemerid. N. C. Vol. VI. Observ. XXX. p. 116.

(*g*) Actor. N. C. Vol. IX. Obs. CIX. p. 401. seqq.

gere facile poſſet. Neque minorem inferior ejus pars, *Fig.* 4., cum exempti cerebri baſi analogiam ſiſtit. Haberent hujus figmenti autores exempla cerebri majorum animalium petrefacti, ad quæ pro tuenda ſua ſententia provocare poſſent. Confirmant hoc obſervationes de cerebro bovis petrefacto, *D. Joh. Theod.* SCHENCKII (*h*), & *D. Joh. Jac.* DOBRZENSKY *de* NIGROPONTE (*i*), nec non inter recentiores, *D. du* VERNEY junioris (*k*). Aſt quemadmodum illæ obſervationes non agunt de cerebris boum petrefactis foſſilibus, ſed de cerebris ex capitibus boum ſecuri enectorum deſumtis, & ſic nullam convenientiam cum noſtro lapillo habent; ſic legi merentur, quæ circa illas obſervationes monuit, rerum naturalium quondam oculatiſſimus indagator, doctiſſimus Italus, *Antonius* VALLISNIERIUS, *in Cogitatis & experimentis circa opinatum cerebrum petrefactum* (*l*). Ne itaque ejusmodi vel acerbiori cenſuræ incurram, crediderim potius, hoc noſtrum petrefactum originis quidem animalis, ſed teſtacei cujusdam marini eſſe. Argumenta meæ conjecturæ ſunt, 1) quia nullum adeſt cerebelli indicium; 2) quia ſubſtantia teſtæ in poſtica parte reliqua omnino convenit cum reliquorum conchitarum ejusdem agri indole. Periculum nunc faciendum, an conjectura aliqua artificioſa aſſequi poſſimus, ad quem ordinem & hujus ordinis genus ſit reponendum. Habet aliquos characteres, quibus ſolis ſi fidem haberemus, relegandus foret ad conchitas bivalves æqualium laterum. Sed nullum inter hos genus in poſtica ſui parte foraminulum, petioli indicium, habet, ſed hic character, in noſtro lapillo evidentisſime

(*h*) Ephemerid. Nat. Curioſ. Dec. I. Ann. I. Obſerv. XXVI.

(*i*) Ibid. Obſerv. CXXX.

(*k*) Hiſtoire de l'Academie Royale des Sciences, ann. 1703.

(*l*) Vid. Act. Erudit. Lipſ. 1712, Menſ. Aug. p. 252.

ſime conſpiciendus, unice convenit, *Conchoidi*, ſeu *Tellinæ cancelliferæ Nicolai* GUALTIERI (*m*), cujus deſcriptionem copioſiorem dedit, *Balani marinæ* nomine, *Fabius* COLUMNA (*n*). Sunt autem & hujus Conchoidis plures ſpecies, quas elegantiſſimis figuris exprimendas curavit Dn. *Dezallier* d' ARGENVILLE (*o*), e quibus ea inprimis maximam cum noſtro conchoide convenientiam, etiam ratione magnitudinis, habere videtur, quam *Concham anatiferam pediculatam*, ſeu *adhærentem*, *P. Phil.* BONANNI autem (*p*) *Tellinam pedatam* vocant. Hanc quemadmodum ex quinque portionibus compoſitam, depreſſam, in baſi petiolo coriacio donatam obſervavit GUALTIERIUS, quo arborum truncis adhæret; ſic lineæ illæ rubicundæ arenatæ, in utroque latere conſpiciendæ, commiſſuras forte harum partium indicant. Interim, ne quid audacius aſſerere videar, haſce conjecturas illis diiudicandas relinquo, quibus copia & facultas conceſſa eſt, interiora hujus conchoidis cum noſtro petrefacto conferendi.

(*Coburgo Halam miſſa d. 27. Julii, 1752.*)

(*m*) Indic. Teſtac. Tab. 106.

(*n*) In piſcium aliquot hiſtoria, quæ adjecta eſt ejus Phytobaſano, p. 110. fig. autem expreſſa Tab. XXX.

(*o*) Hiſtoire naturelle de la Conchyliologie Tab. 30. lit. F. p. 361. ſqq.

(*p*) Recreat. ment. & oculor. Claſſ. 2. n. 2. p. 95. Conf. *Janus* BLANCUS, de Conchis minus notis. Tab. V. num. IV. p. 30.

*OBSER-*

## *OBSERVATIO LVIII.*

## DN. D. DANIEL GOTTLOB THEBESII

### *Gravis epilepsia in gravida & fœtui & partui innoxia.*

Fœmina 30. annorum, temperamenti sanguineo-cholerici, quarta jam vice gravida, ob immoderatos animi adfectus, quibus indies obvia erat occasio, circa medium gestationis tempus in gravem ventriculi & intestinorum spasmodicum dolorem, febri acri continua sociatum, incidit, quo modo graviore, modo remissiore conflictata per aliquot dies, motibus per aliquot horas corripitur gravissimis epilepticis, ita, ut linguam morsu læserit & diem noctemque omni privata sensu jacuerit. Ut tandem ex hoc paroxysmo ad se rediit, redierunt quidem simul dolores, sed multo mitiores & remediis huc usque irritis cedentes. Reliquos graviditatis menses, præter leves nonnunquam ventriculi morsus, doloribus immunis transegit & debito tempore filiolum pariens sanum & vegetum, ac partum & puerperium absolvit omni sanitatis offensa liberum.

## SCHOLION.

Gravidis non infrequentes quidem, sed raro ipsarum aut abortus periculo immunes sunt convulsiones; nam experientia teste in iis facile & sæpius inopinato ipsæ insciæ pariunt. Vid. TULPIUS *in Observat. med. Libr. I. Cap. 10.* Non minus illæ, quæ ante partum convulsiones passæ, rarius in partu ab iisdem liberæ sunt. Conf. pluribus RAYGERUS in SPINDLERI *Observ. med. 76. in Schol.* Nostra vero utrumque periculum superavit eo, quod origo mali epi-

epileptici non ex utero, ſed ex ſpasmo ventriculi & inteſtinorum fuerit, quem gravis crebriorque iracundiæ adfectus excitavit, ſubſequens autem humorum ſtagnatio (aut ex mente HIPPOCRATIS repletio) in vaſis meſeraicis exacerbavit, in conſenſum rapto toto nervorum genere, ob inſignem paris vagi & intercoſtalis cum pluribus viſceribus conſpirationem. Quod in dolore colico atrociſſimo & diuturno ſpasmus ſtagnationem, quin extravaſationem ſanguinis in inteſtinis producat, teſtatur RIVERIUS *in Obſerv. communic. 4. p. m. 289.* Verum graviſſimæ hæ epilepticæ agitationes ſtagnationum repagula ſolvendo harum æque ac dolorum cauſam auſpicato ſuſtulerunt, ita, ut felix puerperium illa ſubierit atque infans incolumis ac robuſtus nihil ipſi cum illo tumultu fuiſſe commercii ſit teſtatus, eodem, ſed matris tragico, exemplo, cujus meminit PECHLINUS in *Obſ. phyſic. med. Lib. I. Obſ. 30.* De noſtra inſuper & annotari meretur, quod elapſis duobus annis, jam non gravida, ex eadem cauſa in eundem colicæ ſpasmodicæ adfectum delapſa, cum per aliquot ſeptimanas decubuerit, famigerati pulveris Medici Gallici, AILHAUDI, quinquies adhibita dimidia modo doſi, in atrociſſimis per duos dies continuis epilepticis motibus e vivis ſublata ſit.

## *OBSERVATIO LIX.*

## DN. D. DANIEL GOTTLOB THEBESII

### *Epilepſia diuturnæ colicæ ſanguineo-ſpasmodicæ ſuperveniens ſalutaris.*

Vir litteratus quinquagenario proximus, temperamenti melancholico-cholerici, habitus corporis cachectici & vitæ ſedentariæ multum addictus, ineunte vere, ob cœ-

li ſereni clementiam, animi cauſa exſpatiatur, ſed longius, quam par erat, iter faciens, corpus & tardos humores nimium commovet, domum reverſus de doloribus ventris circa umbilicum queritur, quos temporis mora acerbiores febris excipit gravis continuæ indolis. Laxantia, clyſteres, venæſectio, externæ fomentationes & unctiones variæ, atque, præter lene vomitorium, cuncta interna huic morbo opportuna remedia ne minimum quidem levaminis adferunt, perſeverante eadem dolorum atrocia, qui, ultra duos menſes cum acri febre ægrum cruciantes & leves modo inducias facientes, corpus ſuccis & viribus ita ſpoliarunt, ut hectica imminere & ad extremum jam ventum eſſe videretur. Deo & naturæ fere relictus nuncium percipit, haleces recentes ſalitas ex Hollandia eſſe adlatas, quo audito tam effuſo in illas fertur appetitu, ut ſummis precibus illas edendas efflagitaret ab adſtantibus, qui primum recuſabant. Porrectam tandem unicam maxima cum delectatione avide comedit, alteramque iisdem precibus, quin ejulatu, poſcit. Et hanc vix obtentam pari appetitu abſumit, quem non, niſi tertia halece, ſatiatum fore adſeverat, qua prorſus denegata, æger, cum irritas eſſe omnes ejus preces ſentiret, in tantum animi furorem adactus eſt, ut illico graviſſimis motibus epilepticis torqueretur, atque eum animam agere adſtantes putarent omnes; in qua mortis inſtantis imagine duos tranſegit dies, quibus peractis ſenſim ad ſe rediit, a doloribus ventris quidem, verum eadem halecum appetentia nondum liber, quarum & unicam metu recrudeſcentis mali impulſi, agnati edendam porrigunt. Ex eo autem, quod mirum, tempore, naturalis appetitus & cum eo in dies major ſanitatis ſpes ſucceſſerunt atque ægrotans, adhibitis convenientibus remediis, ad ſanitatem rediit priſtinam, etiamnum, dum hæc ſcribo, exactis ab illo morbo graviſſimo ſeptem annis ſanus & vegetus.

SCHO-

## SCHOLION.

Præſentem caſum priori adnectere placuit, quoniam hic & epilepſiæ ſymptomaticæ ex eadem cauſſa & fonte ortum æque ac ſalutarem per eam primarii morbi ſolutionem, nec non easdem ſuperius allatas rationes pathologicas ſimul comprobat. Simile ſalutaris, graviſſimi paroxysmi epileptici, ad XX. horas & V. dies perſeverantis & ſimul quotidianos plures per 2. annos acceſſus auferentis, exemplum refert TULPIUS l. c. *Lib. I. Cap. 9.* verum ex aliis inſufficientibus explicat principiis. Stupendum pariter idem Auctor recenſet caſum fœminæ prægnantis, 1400. haleces impune edentis *Lib. II. Obſ. 24.* latum vero ibidem de halecibus ſalitis judicium ac de earum uſu maxime arridet ipſius verbis memorari dignum: *Atqui certe, ſi lubet halecum naturam propius intueri, inducere quidem ſitim, ſed nunquam cruditatem, niſi ultra ſatietatem adſumtas. Debite enim ſalitæ & opportune datæ adeo non nocent, ut etiam ſumme proſint ſupino ſtomacho, juvando coctionem, detergendo pituitam, movendo alvum & reſtituendo homini amiſſum cibi deſiderium.* Sane in noſtro non adeo ingens in halecum eſu exceſſus languentem ventriculi tonum proſtratumque appetitum eo certius reparare valuit. Improbandus igitur non eſt mos eorum, qui in bene inſtructis epulis nunquam non haleces apponunt ſalitas. Epilepſiam colicæ ſuccedentem & paulo poſt pariter dolorem colicum ſæviſſimum tollentem memorat THONERUS *Obſ. Lib. II. p. 93. & 94.* ſed ſine merito effectum ſalutarem tribuit unico decocto Ligni ſancti cum Sarſaparill. cujus vires jam irritas agnoverat *eodem Lib. pag. 89.*

## *OBSERVATIO LX.*

## DN. D. DANIEL GOTTLOB THEBESII

### *Dysenteria epidemia in gravidis innoxia.*

Dysenteria anno 1736. per Pomeraniam, quin Germaniam grassata, Treptoam hanc maxima strage adfecit, ita, ut mensibus Septembr. & Octobr. ultra 250. incolas invaserit, quorum cum maxima pars e plebe esset, dimidiam fere, ob inopiam multorum ad vitam tuendam mediorum, e vivis sustulit. Integræ familiæ erant infectæ, & vix unicus infectæ plebeiæ domus incola immunis superfuit; nam immanis morbus neque sexui, neque ætati pepercit. Tenelli infantes, salubrem alias sub dentitione, alvi fluxum iam cruentum patiebantur, & gravidæ, ob morbi contagiosi metum diætæ multo curatioris studiosæ, nihilominus eumdem sunt expertæ. Harum sex curæ meæ se tradiderunt, & sicuti in illis nulla de primarum viarum cruditatibus suspicio, ita nec consueta atque evacuantibus blandis incepta methodus ullum habebat locum, eaque propter alia erat excogitanda medendi via, quam auspicatissimo cum eventu ita institui. Primum, simulac fieri potuit, venam in cubito secandam curavi, dein regimen diaphoreticum, quanto fieri potuit studio, in lecto observandum, & bis in die infusum Theeforme, ex herb. Scord. Millefol. Veronic. flor. Chamomill. vulg. Papau. rh. & rad. Liquirit. confectum, calide bibendum præcepi, subordinatis pulv. absorb. subadstring. & diaphoret. ex Matr. perlar. C. C. ust. Corall. r. & Bezoard. min. nec neglectis externis, ut emplastris theriacalibus aut unguentis anodynis & roborantibus, si dolorum atrocia eorum usum exegit. A quorum usu altero jam die alvi fluxus & dolores remiserunt, & sudor erupit, quem tertio vel quarto die excepit molestus in tota cute pruritus, eumque demum sparsim efflorescen-

tes, pisi majoris magnitudine, pustulæ, instar variolarum notharum sero pellucido acri turgentes, quibus ruptis, aut exsiccatis, septimo utplurimum die morbus evanuit terroris & periculi plenissimus.

## SCHOLION.

Julio ac Augusto memorati anni mensibus Syrius insueto rigore & diuturniori mora regnabat, plebeii homines, falcem in maturam messem mittentes, sudore prope diffluebant, frigido nimioque potu se reficientes & meridianum laborem in seram usque vesperam differentes, ex aura frigidiori nocturna, & transpiratione inde multum impedita tantam humorum labem sibi contraxerant, ut eorum primam & maximam stragem morbus ederet pernicialis, infectione demum plurium cohabitantium latius serpens. Aliorum corpora ex eadem insolitæ tempestatis constitutione genitum morbi hujus fomitem eo usque fovebant, dum aut ex humorum dispositione, aut ex infectione, aut terrore, qui ipso contagio sæpe valentior observatur, malum prodiit abominabile: inde ratio est petenda, ex qua tam mammas sugentes tenelli, quam strictioris diætæ legibus obtemperantes, æque minus fuerint immunes. Cum itaque in humorum massa contagium lateret, fructusque horæi, tunc temporis hic immaturi, accusari non possent, non opus erat valido aut repetito primas vias purgante remedio, quod vel levissimum gravidæ ægre ferebant, quarum unica, ad leniendam dolorum vehementiam adhibito clystere demulcente, protinus abortum passa est. Solam autem transspirationem impeditam morbo huic producendo aptam esse, me Ao. 1747. docuere bini juvenes, qui, horti a furibus custodiendi causa, duas noctes mense Augusto excubias agentes, inauditum tunc temporis dysentericum alvi fluxum sine commisso diæ-

tæ errore ſunt perpeſſi. Puſtulæ inſuper illæ, quæ non niſi phlyctænæ ſuccedentes in gravidis, teſtes erant ſufficientes ſeri acris ex cohibita transſpiratione geniti hujusque morbi cauſa, idque dyſenteria ſuccedens ulceri pedis conſolidato comprobat. Vid. BONETUS in *Medicin. ſeptentr. Part. I. Lib. 3. Sect. 10. p. 566.*

## *OBSERVATIO LXI.*

## DN. D. DANIEL GOTTLOB THEBESII

### *In convulſione virginis hypochondriaco-hyſtericæ quotidiana riſus & varians clamor involuntarius.*

Virgo nobilis 40. & aliquot annorum, animo & corpore graciliori valde mobilis, a teneris multis gravioribusque morbis obnoxia, adultior ob frequentia familiæ funera animi adfectibus conjunctisque corporis infirmi adflictionibus cruciata, ita, ut 15. abhinc annis hecticæ periculum ſubierit. Cum diu multumque de ventriculo imbecilli conqueſta, nihilominus, convenientis diætæ incuria eſſet, ante quinque annos ſolito majorem flatuum, & inprimis ructuum proventum experiebatur. Quod malum nec opportunis remediis in tempore oppugnatum tantas mora adquiſivit vires, ut diu noctuque per intervalla, quin demum ſingulis fere horis, ructus copioſi cum impetu, & ſonitu terribili exturbarentur. Quibus ingraveſcentibus ſymptomatibus multa quidem & varia, ſed non optimi nec continuata, oppoſita ſunt remedia, hinc irrita fuerunt omnia. Paroxyſmi illi utplurimum noctu gravius, ſæpius cum vomitoria eructatione ciborum adſumtorum, atque levi mentis alienatione, infeſtabant & natura jam iis ita erat adſuefacta, ut, quoties

quoties vel in ſermone mentio illorum fuit facta, toties iisdem horribilem & ſequentem quidem in modum corriperetur: clara intenſa vociferatio antecedebat, a ſe invicem disiectis ſimul brachiis, capite & pectore ſubito retrorſum flexo, oculis retortis & facie, ceu doloris acutiſſimi indice, compoſita; dein ructus plus minusve copioſi, ore quam maxime hiante, & pectore ſingultum mentiente, primum leni cum ſuſurro, paulo poſt magno boatu & tanto impetu erumpebant, ut totum corpus concuteretur, ultimo ructuum multiſonorum agmen claudebat vehemens, qualis in acri titillatione eſt, cachinnus, cum majori ſuperioris & maxima infimi ventris agitatione, ut eum manibus conjunctis continere cogeretur: tandem, elapſo horæ quadrantis dimidio, finitum paroxysmum aliquot ſuſpiria indicabant, atque ægra illico vires colligebat priores. Paroxysmi eam utplurimum ſedentem, aut jacentem invadebant, crebriores & graviores inſtante menſium periodo, qui tamen erant regulares ac ſufficientes, ſed circa finem parum decolores, uti ſub graviſſimis quandoque inſultibus ex uterinis locis fluxum lymphæ mucidæ ſentiebat. Uſu balnei ex fonte martiali Poltzinenſi duos per annos æſtivo tempore continuati maximum percepit levamen, atque ita reconvaluit, ut per diem ab inveterato malo ſit immunis.

## Scholion.

Et virgines hyſterico-convulſivis motibus affligi experientia & obſervatorum monumenta abunde loquuntur; ſed eas utplurimum, in quibus menſium fluxus anomalus, laborioſus aut ſuppreſſus. In noſtra vero ille omni primum vitio caruit, & malum, diuturnitate altiores radices agens, ultimo uterum in conſortium rapuit. Primum mali fomitem ſtruxit & hæreditaria quædam & inordinato diætæ genere obfirmata ventriculi, & inteſtinorum atonia, quippe ventriculus

culus erat ipsi adeo infirmus, ut quandoque per superius, aut inferius os vel leves cibos redderet indigestos, ideoque laxa potius erat, quam stricta alvus. Inde labefactata vero concoctio crudorum in corpore humorum copiam genuit, qui eamdem utero labem adfricarunt. Hac ratione prognata hic symptomata hypochondriaco-hysterica, & primarum viarum & uteri vitia arguebant, atque in illis resuscitandis stupenda erat animi memoris potentia. Risus & varius in paroxysmo clamor effectus erat spasmodico-convulsivæ per consensum stricturæ in diaphragmatis, pectoris & laryngis partibus nervoso-musculosis, qualia exempla recenset BONETUS l. c. *Part. I. Lib. I. Sect. 14. Cap. 22.* THONERUS *Obs. Lib. 2. p. 96.* RAYGERUS *l. c. Obs. 66. in Schol. & Obs. 69.* Quod autem e nullo, nisi balneo Poltzinensi, remedio levamen ac opem senserit, inde factum est, quod pleraque adhibita remedia motus modo solidarum, non vero simul fluidarum partium correxerint, utrumque autem balnei usus continuatus præstiterit, quod ex aqua martiali, principio & spiritu sulphureo, instar Freyenvvaldensis & Lauchstadiensis, sed multo largius, imbuta constat.

## *OBSERVATIO LXII.*

## DN. D. DANIEL GOTTLOB THEBESII

### *Podagra factitia.*

Pharmacopœus quadragenario major, cholerico-sanguineus, ceteroquin sanus & vegetus, ineunte vere gravedine & catarrho pectoris cum ejusmodi febre corripitur, qua circa vesperam intensiore facta anxiam sentit pectoris oppressionem, ad quam sublevandam pediluvium adhibet ex aqua fluviali, furfuribus triticeis & salino stimulo paratum idque bene calidum. Altero mane ad pectus multis humo-

ribus

ribus oppletum dosin pilul. mercurialium, juxta Dispensatorium Brandenburg. confectarum, adsumit, quibus alvus multoties quidem purgata, at circa vesperam febris & anxia respiratio magis exacerbata est, ob quam idem repetit pediluvium, atque sumto sudorifero lecto somnoque se tradit. Verum media nocte dolor pollicem sinistri pedis graviter exacerbans somnum eripit omnem; pollice perlustrato insignem animadvertit ruborem levemque tumorem &, quod in somno se volutans illum subluxaverit, putans, eum spiritu vini camphorato illinit, nihilominus mane pede insistere nequit. Continuato simul usu interno remediorum resolventium & diaphoreticorum, dolor circa vesperam remissior, altera nocte dextrum pollicem priori cruciatu infestat, &, quid monstri alat, satis manifestat per aliquot dies adfligens, atque ex eo tempore quotannis, omnibus podagræ sociis symptomatibus comitatus, semel bisve rediens, licet neque hereditariæ dispositionis, neque ullius infectionis memor fuerit infelix artifex.

## Scholion.

Podagram sine ulla hereditariæ dispositionis aut infectionis suspicione ex intempestivo solum remediorum usu prognatam esse, raro rarius observatum est. Nihilominus, consideranti præposterum atque importunum tot efficacium repellentium mediorum, minime mirum videbitur, quod serum catarrhale, in principio morbi modo circa sinus frontales & maxillares pulmonumque bronchia stagnans, per metastasin ad pedes translatum fuerit, ibidemque ob habitum corporis ægrotantis spongiosum & succulentum, adeoque fovendo huic morbo aptum, tragœdiam luserit perennem. Quod autem materia podagrica catarrhali maxime sit adfinis, inde patet, quod podagrici, inprimis novitii, ca-

tarrhales capitis, faucium & pectoris *defluxiones* & adfectus nunquam non experiantur, priusquam podagra, autumno & vere plurimum ſolemnis, infeſtat. Utriusque autem morbi facilem metaptoſin obſervationes teſtantur. Conf. BONETUS *l. c. Part. X. Lib. 7. Paraleipom. Obſ. 15. p. 574.* RAYGERUS *l. c. Obſ. 60. in Schol.* Ad præſentem caſum illuſtrandum plurimum faciunt egregiæ PECHLINI in arthritidis & podagræ naturam annotationes pathologico-practicæ *Lib. X. Obſ. 25.* Præterea cum catarrhale ſerum in coryza non omnis ſit contagii expers, multo minus mirum, quod podagra efficaciori inficere poſſit contagio.

## *OBSERVATIO LXIII.*

## DN. D. DANIEL GOTTLOB THEBESII

### *Cancer contagioſus.*

Mulieris cancro utriusque mammæ, & demum glandularum ſubaxillarium exulcerato defunctæ ſoror, quadrageſimum ætatis annum nondum ingreſſa, veſtimenta hæreditate a modo dicta ſorore accepta induit & geſtando conterit. Vix elapſo anno febriculam ſentit lentam, tuſſim increbeſcentem & corporis, alias plenioris, contabeſcentiam, hinc phthiſin familiæ ejus familiarem, metuens, auxilia & conſilia Medicorum conquirit. Opportuna quidem & optima febri & tuſſi phthiſicæ, ſed fruſtra, adhibet remedia: tandem de duritie quadam & dolore mammæ ſiniſtræ conqueritur. Dolor cum tumore mammæ auctus indubia cancri occulti ſigna in dies manifeſtabat, quo per dimidium & phthiſi per totum anni ſpatium cruciata atque emaciata, diem obiit ſupremum.

SCHO-

## Scholion.

Prior cancro solum defuncta ex albo, quo diu laboraverat, fluore suppresso mammæ sinistræ scirrhum, atque ultra decem annos e papilla mammæ ejusdem fluxum ichoris cujusdam sanguinolenti experta erat, nullis, ac circa instans menstruum tempus levibus saltem cum doloribus, quibus gravioribus accedens demum major durities nodosa prodidit malum immedicabile, utramque mammam cum vita biennio depascens. Tetro igitur vapore, quo & nares spectantium graviter adficiebantur, ut & ichore diu multum infecta erant linteamina & vestimenta, ut ideo cum iis indutis malum hoc, ex insigni lymphæ stagnantis corruptione ortum, æque facile, ac aliis scabies, coryza, podagra, quin phthisis, sano sororis corpori insinuari potuerit, cum teste TULPIO *Obs. Lib. IV. Obs. 8.* ulceratus cancer cominus non minus quam eminus contagiosus observatus sit. Notatu quoque dignum videtur, quod, prægresso pulmonum ulcere, hujus materiæ purulentæ se non adsociaverit, sed proprium & consuetum suum domicilium in glandulosis partibus occupaverit ultimo virosa cancri materia, quæ meo quidem judicio in sana atque aliquot liberorum felice matre labem primo pulmonibus contraxit, cum sterile sororis defunctæ conjugium inter causas non immerito esset accusandum.

## *OBSERVATIO LXIV.*

## DN. D. DANIEL GOTTLOB THEBESII

### *Bis variolæ intra duos menses febre tertiana intermittente interpolatæ in puella quatuor annorum.*

Cum præterito anno variolæ epidemice circumirent, declinante hieme invadebant binas sorores, quæ, dum morbus benignioris erat moris, brevi reconvalescebant; sed illico junior, quatuor annorum, febre verminosa alioquin sæpius vexata, ex intempestivo piscium marinorum jam adventantium esu incidebat in febrem tertianam intermittentem, quæ, pro ætatis teneræ ratione, digestivis, evacuantibus & roborantibus remediis cedere recusans, tertia septimana continuæ typum præ se ferebat, quæ & decenter per duos tresve dies tractata jam arthritidis vagæ speciem mentiebatur, æstu impensius urgente; verum, en! tertio die pustulæ in facie, collo & reliquo corpore confertim prodibant, novarum variolarum indices, quibus elevatis & suppuratis facies ita intumuit, ut oculi tres quatuorve dies clauderentur, manus rigerent & totum corpus scateret: his tandem superatis optima successit valetudo.

## SCHOLION.

Tam teneram ætatem tam brevi temporis spatio tot gravibus continua serie ingruentibus morbis superandis, quibus vix adulta sufficit, parem fuisse, merito mirandum: sed experientia discimus, infantilia corpora adultioribus multo facilius & felicius variolarum morbum, tum ob corporis texturæ, tum humorum minus corruptorum rationem, perferre. Quod vero hic variolis, ut videbantur, magis no-

nothis mox veræ ac copiosissimæ successerint, nec febre intermittente eique dicatis multis remediis harum fomes, nisi omnino sublatus, attamen diminutus fuerit, si de his mentem meam expromam, hæc mihi videtur ratio, quod puella hæc primis variolis superatis, ut mos infantum sine custode fert, nimio atque incongruo cibo ventriculum obruerit & lecto citius, quam illa tempestate par erat, relicto, transpirationem corporis & simul exhalationem reliquiarum morbi victi, crustulis nondum desquamatis omnibus, impediverit, eoque novum & febris intermittentis & variolarum fomitem ipsamet paraverit. Nam in morbis exanthematicis, præsertim purpura & petechiis, haud raro observatum, quod, si efflorescentiis in cute jam exsiccatis atque abstersis, transpiratio corporis, admodum sensibilis redditi, ægris fere restitutis, minus curæ, & mutatione nimis matura aut improvida linteaminum, impedita fuerit, ipsi in eumdem recidant morbum, gravioribus mulctati symptomatibus. Ita *Petr.* BORELLUS in *Cent. I. Obs. 64.* a cataplasmate frigido, ad variolarum cicatrices in facie relictas abigendas admoto, mortem adnotavit. In nostro autem casu & primarum viarum cruditates, & febriles motus inde evenientes, recepto in humorum massam miasmati novaturienti plus alimenti præpararunt. Sic eodem anno in morbillis, qui paulo post, purpura & petechiis complicati, variolis succedebant, in puella septem annorum intra sex septimanas ex iisdem rationibus duplicem observavi insultum. Ultimo modus & symptomata, quibuscum febris tertiana intermittens in continuam & variolarum morbum demum transiit ac evanuit, singularem merentur attentionem atque indaginem. Morbillos febrem diuturnam intermittentem fugantes refert RIEDLINUS, in *Linear. med. Ann. IV. Mens. Maj. Lin. 29.*

## *OBSERVATIO LXV.*

## DN. D. DANIEL GOTTLOB THEBESII

### *Vesicatoriorum utilitas in variolis malignis.*

Bini nobiles juvenes variolis tunc temporis epidemicis corripiebantur, primus sedecim annorum, phlegmaticæ constitutionis, copiosis & magnis, distinctis tamen & bene elevatis & pure optimo turgidis ita obsitus erat, ut nec fauces his immunes fuerint; attamen omnia usque ad suppurationis finem videbantur tolerabilia, quo febris suppuratoria aut secundaria præter morem & manifestam causam continuabat. Somno sæpius interrupto irrequietus æger interdiu paulo laboriosius atque anxie respirabat, cum pulsu celeriore & debili, circa vesperam somnus subrepebat placidior & profundior, sed media nocte a custode offendebatur comaticus, ore multum hiante, oculis apertis & rigidis omnisque sensus expers; ego mox advocatus pulsum invenio debilem ac inæqualem & moribundis fere similem, atque variolarum areolas a consueto rubore deficientes. Premente hac necessitate cito capiendum erat consilium; hinc malignitatis quid subesse ratus, simulque memor casus, quo spiritus bezoardicus Bussii in aula Dresdensi primam quondam famam consecutus est, infundo ori aperto primum duo cochlearia aquæ, quæ ad manus erat, Cinnamomi cum vino paratæ, quibus ægre deglutitis, paulo post aliquot cochlearibus infusi tepidi Thee quindecim guttulas modo dicti spiritus, totidemque iterum elapsa hora, sæpius cochleari potum ingerendo calidum Thee. Inde mox liberior & concitatior respiratio, pulsus vivacior, atque æger ad se redibat, mente tamen paulisper turbata: ideo supinæ naturæ & externum stimulum adjiciendum arbitratus, in utroque pede vesi-

veficatorium furis adplicandum & pulveres diaphoreticos fingulis binis vel ternis horis exhibendos impero, quibus demum, vigore languenti humorum circulationi reftituto, fudor elicitus, alteroque die, remotis veficatoriis, purpura rubra ubique apparuit, qua prorfus erupta febris remifit, & cum illa fimul puftulæ variolofæ ficcari ac incruftari ex voto cœperunt. Alter juvenis feptemdecim annorum, fanguinei magis temperamenti, illi in morbo focius, inficiebatur demum, fimulac ille lectum reliquerat, iisdem variolis fat copiofis, eamdem, fed fymptomatibus diverfam, fcenam ludens; nam febre fecundaria perfeverante inquietum horripilatio haud levis, dextrumque faciei latus tumor eryfipelatodes corripiebat, æftu acriter urgente. Sufpecta hæc fymptomata parem quidem malignitatem prodebant, fed aliam medendi methodum fuadebant: ideo pulveribus diaphoreticis, modice nitrofis, frequentius ufurpatis, & veficatoriis ad furas applicatis, propulfa pariter eadem purpura, eumdem metum difpulit & variolis exficcandi & defquamandi copiam fecit exoptatam.

## Scholion.

Veficatoriorum in variolis ufus Medicis Germanis, licet haud incognitus, attamen in praxi nullus a Medicis Anglis noftro feculo magni habitus, tefte *Fr.* HOFFMANNO *in Med. fyftem. de febre variolofa.* Verum & præterito jam feculo eximium horum ufum in retropulfis variolis expertus prædicavit *Olaus* BORRICHIUS in BONETO *l. c. Lib. V. Sect. V. Obf. 14. p. 225.* Me primum eorum periculum facientem non urgens folum neceffitas impulit, fed etiam docuit ratio atque argumentatio ab analogia, in his æque ac aliis gravibus morbis exanthematicis, futuræ utilitatis, quam effectus voto bis refpondens comprobavit. In hoc cafu notatu

tatu dignum, quod unus idemque morbus in diversis corporibus longe diversa produxerit symptomata diversamque ideo medendi methodum indicaverit: deinde, quod ultimus variolosus, licet antea blande laxantibus & sanguinem corrigentibus remediis ad benigniorem morbi metuendi insultum præparatus, & suppuratis jam variolis ipsi alvus clystere purgata fuerit, nihilominus eamdem morbi, quem contagio hauserat, malignitatem sit expertus.

## *OBSERVATIO LXVI.*

## DN. D. DANIEL GOTTLOB THEBESII

### *Ex petechiis & pleuritide vera delirus nocte hyemali in fluvio innoxie se lavans.*

Iuvenis viginti & aliquot annorum, succulentæ & robustæ constitutionis, ineunte MARTIO simul cum matre & sorore petechiis decumbebat tum epidemice grassantibus, quibus, accedente vera pleuritide, graviter delirans, nono vel decimo morbi die noctu, cum pater custos obdormivisset, lecto se nudum eripit & e domo egressus vicinarum quatuor domuum areas, parietibus cinctas, transcendens, plateam petit, qua ad suburbanum fluvium fertur, in quem ex corrupta imaginatione piscatum it, usque dum frigore rigens ad paternam redit domum, in quam a patre & huc advocatis vicinis semianimis delatus, siccis & calefactis linteaminibus ac lecto non modo fovetur, sed quoque consilio cujusdam ipsi jam minus deliro singulis horis pulvis quidam diaphoreticus, cujus quatuor doses ad duos dies ordinatæ prostabant, cum infuso calido Thee porrigitur, & moribundo similis ad sudorem componitur, quo elicito in somnum placidum toto die inclinabat: me accedente conspicuæ in

cute

cute erant maculæ parum colore mutatæ, pectus paululum retento ſputo cruenti puris plenius, pulſus ſubdurus & celer, deliria vero imminuta & ſudor largus. Non omiſſis convenientibus remediis in dies major ſpes reconvaleſcentiæ admodum dubiæ adfulgebat, ſputo redeunte optimo, & decimo quarto die criſi perfecta apparente, atque æger, tuſſi aliquamdiu remanente, priſtinam præter omnium ſpem recuperavit cum ſociis ſanitatem.

## Scholion.

Inter miracula & obſervationum monſtra præſens jure locum meretur, de qua vero adnotandum, balnei hujus experimentum non niſi fabro ferrario, athletici habitus, feliciter ceſſiſſe. Notiſſimum enim in praxi, quam grave & præſentiſſimum vitæ periculum immineat in his exanthematibus ex levi refrigerio, & quam infenſum illud ſit inflammatoriis pectoris morbis; præterea quam facile in his, adnotante BAGLIVO in *Praxi med.* vel ex erecto corporis ſitu pernicioſiſſimum ſubrepat animi deliquium. Attamen hic, licet utrimque in ſummo exceſſu, impune peccatum ſit, id quod inſigni optimæ naturæ robori in acceptis ferendum; providus enim & ſolito frequentior diaphoreticorum uſus neutiquam tantum auxilii adferre potuit, quantum damni & periculi extremum frigus corpori intulit. Quam maxime autem mirandum, quod, ſuperato morbo, ne ulla quidem labes in pulmonibus fuerit relicta.

## *OBSERVATIO LXVII.*

## DN. D. DANIEL GOTTLOB THEBESII

### *Pleuro-pneumonia, empyema & phthisis, post pleuritis vera, demum gravis hæmoptysis intra annum in viro juvene superstite.*

Vir juvenis, aliquot supra viginti annorum, sanguineo-cholericus, hieme corripitur pleuro-pneumonia, quæ ob venæ sectionem neglectam, & calidiora adhibita remedia, non rite judicata in empyema transit, febre intensius urgente, tussi inani graviter excruciante, atque spirandi angustia cum largo sudore increscente, quo in statu quatuor septimanas transegit, usque dum quinta pus in pulmone sinistro collectum, atque emollientium usu jam magis coctum, tanta tussiendo erupit copia, ut ejiciendo vix vires suppeterent, & spiritus fere deficeret; quantitas enim primo die rejecti puris mensuram tantum non implebat. Quo sputo respiratio quidem liberior, tussis tolerabilior, & febris remissior reddita; verum illo per aliquot septimanas, parciori tamen, continuante, febris jam in phthisicam transsiens, corpori summam maciem atque ultimis lumborum vertebris ac ossi sacro excoriationem contrahebat, quin pessimo omine diarrhœam concitabat, haud dubio colliquativam. Nihilominus non satis laudanda ægri patientia, temperantia animi atque in curatiori ordinatorum omnium remediorum usu obedientia iis vim quasi majorem conciliarunt, ut elapsis quatuor mensibus ægrotus præter cognatorum, ut & Medicorum opinionem, haud dubiæ jam reconvalescentiæ spem faceret & quinto mense sanus lectum relinquere valeret. Verum cum idem exeunte vere libero ac inconstanti aëri se exponeret, illico horripilatione, febre acuta, dolore lateris antehac adfecti pungente & tussi correptus, altero statim

die

die ſputum experitur ſanguinolentum & demum purulentum, a quo recidivæ periculo quatuordecim diebus iterum liberatus, cum ſecunda a reſtitutione hebdomade ingens mapparum geographicarum volumen, quod animi cauſſa lecto recubans perluſtraverat, ſiniſtra manu retrorſum vicinæ ſellæ imponere vellet, in momento acriter in ſiniſtra mammilla pungentem dolorem & ad tuſſim ſtimulum percipit, qua intra horam libram fere ſanguinis floridi & membranulis aliquot teneris mixti ejiciebat, & febris denuo ſe adſociabat, ſed & hoc ſputo convenientibus remediis ſedato, ſimulque febre fugata in gratiam rediit cum ſanitate priſtina.

## SCHOLION.

Si ullus ex acutis morbis, ubique fere locorum, exactas ſervat criſes & ſimul facilis recidivæ periculo ſubjectus, ſane eſt ille pleuræ & pulmonum inflammatorius; hinc eſt, quod easdem, quas multo ſtudio HIPPOCRATES adnotavit, in illo criſes & noſtris regionibus obvias experiamur. Caſum igitur hunc egregie COUS explicat Sect. V. Aphorism. 8. *Quicunque pleuritici facti in quatuordecim diebus non repurgantur, his ad ſuppurationem tranſitio fit.* Aphorism. 15. *Quicumque ex pleuritide ſuppurati fiunt, ſi in quadraginta diebus repurgati fuerint, ab ea die, qua ruptio facta fuerit, liberantur: ſi vero non, ad taben tranſeunt.* Sect. VII. Aphorism. 16. *Ex puris ſputo tabes & fluxus, malum.* Attentione pariter hic dignum eſt, quod validam ſiniſtri brachii extenſionem & ex pari muſculorum pectoralium reactione productam coſtarum elevationem aërisque inſpirati retentionem nimiam dilaceratio vaſculorum pulmonalium, in lobo ante adfecto jam conſolidatorum, protinus ſecuta ſit. Licet vero æger exactæ ſemper diætæ ſtudioſiſſimus fuerit, nihilominus ſequentibus duobus annis bis

in eamdem pleuritidis recidivam incidit, usque dum V. Sne quater quotannis in pede instituta & acidularum Selteranarum, cum lacte nuptarum, usu ter instituto ab his malis quidem duodecim annos immunis vixit, sed novissime elapsis septem annis ter febre acuta maligna, cum purpura alba & rubra, ac bis petechiis complicata, graviter decubuit, etiamnum, quæ Dei est gratia, sanus & vegetus.

## *OBSERVATIO LXVIII.*

## DN. D. DANIEL GOTTLOB THEBESII

### *Vera colli subluxatio.*

Inter adfectus omissos, de quibus in Appendice ad *Petri* BORELLI *Observ. physic. med.* agit, BOOTIUS refert capitis distorsionem: verum adfectus hoc nomine insignitus aut spasmodicus, aut paralyticus est musculorum colli in alterutro latere, cujus indolis pariter eumdem agnoscit & parem casum refert PECHLINUS, Lib. II. Obs. 31. Nec vera colli subluxatio est, ubi ex inconvenienti motu & inclinato nimis capitis situ, sæpissime dormientibus accidente, musculi capitis & colli flexores alterutro latere nimium tenduntur, ut ab evigilantibus ibidem obtusus in motu dolor, quandoque levis tumor, inde autem impeditior colli agitatio, percipiatur; id quod vulgo exprimunt: *das Genick abgelegen.* Simulata potius est colli distorsio, eademque adfectus ratio, qualem gladiatores & saltatores novitii, primis exercitii diebus, in musculis artuum, femoris potissimum, non sine molesta sensatione artuumque temporaria impotentia experiuntur. Colli vero vertebras sine violentia externa in subita tantum & violenta capitis reclinatione, veram pati posse subluxationem, sequentes casus confirmabunt. Famulæ in platea incedentis vestigium fallit glacies lubrica, pronoque seu potius supino corpore cadens, ne oppposito lapidi faciem

im-

impingat, caput ſubito & vehementer reclinat: mox attonita quaſi jacet, rigido collo & ad tergum reflexo capite, facie livore ſuffuſa, nec a confluentibus hominibus ad vitam ullo modo revocanda; rumore triſtis hujus caſus impulſus advolat demum e vicinia Chirurgus, qui, perſpecto corporis ſitu, ſubluxationem colli arguens, illud arreptis auribus extendit & protinus lapſæ vitam reſtituit, ſed ſubſequentibus jam motibus convulſivis, quibus ſuperatis famula demum ſurgit atque abit, nullo poſthac malo tentata. Alio tempore puella ſexennis, obeſi corporis & colli brevioris, accelerato greſſu parietem verſus in hypocauſto properans; alterum pedem in curſu offendit, atque æquilibrio corporis ſublato in lapſum prona, ne parieti proximo allidat, ſubito, quantum valet, retrahit; quo tergum verſus reclinato capite procumbit, voce, ſenſu motuque deſtituta, per aliquot horæ momenta in vitam revocari nequit; tandem ab advenìente famula, ſupra memorati caſus quondam ſpectatrice, capite arripitur & toto corpore pendulo elevatur, tum ſtatim edito clamore ad ſe redit, ſine ulteriore ſanitatis offenſa.

## SCHOLION.

In memoratis caſibus colli vertebras vere ſubluxatas fuiſſe, omnes ac ſingulæ, ſi curatius examinantur, circumſtantiæ ſatis manifeſtant: nam non niſi ex ſpinalis medullæ levi compreſſione vocis interceptionem omnisque in corpore ſenſus & motus abolitionem in momento productam fuiſſe, & per naturalis capitis ſitus & per extenſionem factamque ejus repoſitionem ſenſus & motus reſtitutio, indubium exhibent teſtimonium. Quo autem modo colli vertebræ hic ſubluxentur, ex earum ſtructura explicandum. qua conſtat, inter primam & ſecundam vertebram maximum capitis & colli motum vigere, corpusque ſecundæ, ſurſum porrecto proceſſu odontoide, ſingulari artificio inſtar cardi-

nis uniri cum prima vertebra, eoque varias motuum corporis ſpecies præſtare: ſed cum ille proceſſus inter ſpinalem medullam & primæ vertebræ poſticam partem adſcendat, conceptu facile eſt, qui fiat, ut capite ſubito & paulo violentius ultra ſphæræ limites recurvato, proceſſus odondoides oppoſitus feratur in reclinatam ſimul ſpinalem medullam, eamque premendo male adficiat, qua læſione toti medullæ ac inde oriundis motui partium voluntario inſervientibus nervis per conſenſum communicata, totum corpus corruit ſemianime. Præterea cum ſpinalis medulla ſuum involucrum a meningibus cerebri habeat mutuum, non poſſunt non eædem pariter adfici & cum rigide tenſis colli muſculis ſimul ſtrictæ liberam humorum per caput circulationem turbare; inde in utroque caſu aphonia, faciei lividus tumor & in famula, ob juſto diuturniorem humorum in cerebro ſtagnationis moram ac fortaſſe importunam colli extenſionem, motus & mentis reſtitutionem excipientes convulſiones, quas in diſſectis vivis animalibus a meningibus varie laceſſitis numquam non excitatas videmus. Colli vertebras tam complete, quam incomplete (unde angina præfocans) luxari poſſe, & quibus modis eædem reponantur, docet FORESTUS in *Obſ. Chirurg. Lib. 9. Obſ. 3. in Schol.* Collum contortum ſeu opiſthono non a caſu in ſuperſtite relictum exhibet, *Petr.* BORELLUS *in Obſerv. phyſico-medic. Cent. IV. Obſ. 18.* de quo conferri meretur CELSUS *Lib. VIII. Cap. 14.*



## *OBSERVATIO LXIX.*

## DN. D. DANIEL GOTTLOB THEBESII



### *Oedema pedum ſtrumoſum.*

Sexagenaria, perquam obeſi habitus corporis, ideo & ob her-

herniam, qua laborabat, umbilicalem, vitæ ſedentariæ dedita, viginti & aliquot abhinc annis œdemate pedum oneratur, quod temporis mora & ceſſante menſium fluxu hydropem arceſſit aſcitem, eumque graviſſimum, a quo variis atque optimis remediis, præſertim vino medicato per epicraſin laxante, adhibitis, per inſolitum atque diuturnum copioſi ſeri ſanguinolenti e locis uterinis, præter ſpem liberata, retinuit in utroque pede tumorem œdematoſum, qui temporis demum ſucceſſu in monſtroſam figuram & ſtupendam magnitudinem excrevit, ita, ut nimis relaxata cutis plicas formaverit, quæ ſibi invicem ſuppoſitæ, tibialium nimis amplorum, negligenter & laxius geſtorum more, utrumque pedem, præſertim ſiniſtrum, a genu usque ad plantam pedis circumdant; ſiniſtri pedis in ſura ambitus unam & dimidiam ulnam menſura ſuperat: hinc pedes officium denegant & hernia umbilicali, ob pinguiſſimum aqualiculum, inſigniter aucta, abdomen genubus incumbit, in qua miſeranda vitæ conditione ultra decem annos inſtar ſtatuæ animatæ transegit.

## Scholion.

Natura, optima morborum medicatrix, ſæpius præter Medici intentionem ſibimet ipſi vias eligit, e quibus vitioſum exturbat. Noſtro in caſu, ubi ob nimis relaxatum viſcerum tonum humorum circulatio tardior, & ob ceſſantem ultimo menſtruorum fluxum humores accumulati ſtagnationem in abdomine primum ſubierunt, ac inde œdemata, tandem hydropicum tumorem corpori intulerunt; qui medicamentis aperientibus & evacuantibus in motum acti earum partium, in quibus maxima reſtagnatio & conjuncta laxitas contigit, vias, menſtruo alioquin tempore patulas, & ſolitas non minus quam inſolitas, aperuerunt, e quibus ſalutariter educta eſt ſeroſa cum abundante ſanguine colluvies.

Nam

Nam, meo quidem judicio, purpureus latex, e vasculorum arteriosorum uteri circa cervicem nimium dilatatis extremitatibus, serosus vero plurimus ex colli & vaginæ uteri lacunis Graafii ampliatis provenit. Cujusmodi casus mentionem facit RAYGERUS *l. c. Obs. 68.* Tumore gravi hydropico sublato, ultra modum expansa in pedibus cutis, ob præpinguem corporis habitum, ad statum naturali proximum haud rediit, sed pendula suo pondere series plicarum, quibus pedes circumdati erant, effinxit eodem fere modo, quo mulierem ad fontem Freyenvvaldensem accedentem depinxit & uno tantum pede adfectam describendam curavit *Chr.* MENTZELIUS, in *Ephemer. N. C. Dec. II. Ann. III. Obs. 14.* quod jure *œdema strumosum*, illud vero in India orientali S. Thomæ Christianis in alterutro, utplurimum sinistro, pede familiare ac hæreditarium, a KÆMPFERO in *Amœnitatibus exotic.* pluribus descriptum & delineatum, Indorum idiomate *Perical* nominatur. Quod autem in tam laxa totius corporis, trunci instar immobilis, compage humorum circulus & vita per plures annos continuari possit, admiratione utique dignum videtur. Ejusmodi œdema utriusque pedis pariter strumosum simulque hæreditarium, describit & delineatum exhibet BLANCARDUS in *Collectan. med. phys. Part. III. Obs. 20.*

## OBSERVATIO LXX.

## DN. D. LUDOV. GODOFR. KLEIN

### *Vulnus sclopetarium, thoracem penetrans, in hypochondriaco-hæmorrhoidario feliciter consolidatum.*

Supremus excubiarum Præfectus levis armaturæ equitum Pannonicorum, Cæsareo in exercitu, quos *Husarones*

*nes* vocant, ex Dacia mediterranea oriundus, ſanguineo-cholericus, habitus ſtricti, a multis annis (agit autem jam, dum conſulor, trigeſimum quintum,) hypochondriacus, atque hæmorrhoidibus cœcis mucoſisque vexatus (*h*), elapſo anno 1745. Juliique die XVto, prope Oppenhemium, famoſum ad Rhenum oppidum, a Gallo milite glande ſclopetaria per thoracem pulmonemque dextrum feritur. Intrabat eadem prope papillam mammæ, egrediebatur cito itinere ſub ſcapula, intra quintam & ſextam coſtam veram, cujus medium lacerabat & in feſtucas comminuebat. Hæmorrhagia erat gravis, ſequebatur mox animi defectio. Deferunt ſic vulneratum & lipothymicum in curru, quo tormenta legionum bellica vehuntur, Moguntinum. Inhæret vulneri fruſtulum cruoris coagulati, ſicque quadantenus obturatur. Chirurgi caſtrenſes dilatant dein illud manibus, inflant aërem, egreditur ſanguis ex ore, nec vulneratus ad ſe revertitur. Heic ſtatum adeſſe conclamatum edicunt cuncti, nec manus porro admovere, vel deligationem ſuſcipere volunt. Quum autem Generalis Locum tenens *de Bæren-Klau* ſerio, vulneri quo provideatur ac deligatio inſtituatur, juberet, infundunt ſpiritum quendam ægro, cujus irritatione reviviſcere incipiebat. Poſt aliquot dies incidit ſymptomatica febris, vulneraria dicta, per plures dies continuans. Nullam ſervat diætam, atque modo hunc, modo illum eligit Chirurgum Medicumque, varia ſic exceptus me-



(*h*) In Bavaria ante annum, & quod excurrit, antehac cœcis vexabatur hæmorrhoidibus, Medicusque quidam proponit unguentum anodynum, & jubet, ut Tincturæ rad. Gialapp. quantum cochlear capiat, qualibet hebdomade adſumat, ſimulque ſufficientem ejus quantitatem præſcribit. Ex errore noſter hujus ℥iij. una vice haurit, & enormes ſequuntur ſeceſſus cum vitæ periculo. Sic ſane acerrime hæmorrhoidalia irritabantur loca.

methodo. Ter iterum rumpitur vulnus posticum, simulque festucæ exeunt plures, quæ adhuc residuæ erant. Mense Decembri in hyberna ad nos veniens, meæ se tradit curæ. Vulnus anticum diu jam coaluisse cernebam, posticum haud ita pridem. Conquerebatur æger de dolore pungente atque distendente circa utrumque vulnus, per intervalla tussiebat, alvus segnior erat flatusque multas creabant molestias. Gliscentis febris aberant criteria. Nil præter mucum tenacem exscreabat, qui, faucibus tenaciter adhærens, easdem descensu vel obhæsione irritans, matutinos quandoque excitabat vomitus. Exhibeo laxans, quo mucosa crassa everruntur. Suadeo ut quotidie matutinis horis capiat Balf. Cacao recent. ℥ij. ex infuso theeformi plantarum pectoralium temperatiorum travmaticarum, lacte caprillo admixto. Circa meridiem porrigo Elixir. viscer. balsam. temperatum Hoffmanni. Sub vesperam adsumit pilulas ex tereb. Cypr. succo glycyrrh. Hispan. gummi ammon. depur. mastiche, extr. aquoso myrrhæ, thure, styrace, balf. de Mecha vero. Pectori dolenti circa vulnera imponebantur fomentationes ex spec. sedantibus & emollientibus, lacti incoctis. Sic in dies melius habuit, dolores cessabant redibant appetitus, somnus, vires. Multa tenuia & flava inodora reiiciebat screatu. Inter hæc subito incidit insultus hypochondriacus. Flatus incarcerati mirum distendunt corpus. Ciborum appetentia perit, sitis augetur, extrema frigent, intestina dolor occupat vehemens pressorius, somnum eripiens cum viribus, adparent hæmorrhoides cœcæ grandes atque recti prolapsum mentientes. Noctu umbilico imponit candelæ ceraceæ accensæ portiunculam, ligno tenui annexam, (methodus est Ungaris domestica) & supra hanc vitrum (*i*) adplicat

(*i*) De hujus efficacia ad colicam chronicam vid. RIVERIUS *Obs. communic. p. m. 379. Obs. XIII.*

cat amplum humile, cucurbitam ſiccam ſic e veſtigio formans; parum at levaminis hinc ſentit. Mane accerſitus ego ſacculos commendavi ex paregoricis & diſcutientibus, lacti incoctis, paratos, tuberculis hæmorrhoidalibus frequentius imponendos. Recedebant inde protuberantiæ iſtæ. Reſpuit hirudines. Venter inungebatur oleis carminativis coctis & deſtillatis. Iniiciebantur repetitis vicibus clyſteres emollientes, large oleoſi. Præſcripſi pilulas ex Extract. panchym. Croll. Rhabarb. Alex. pulv. ejusd. Gummi ammon. depur. ana ʒß. olei kaiuput. gutt. Xij. Eſſ. Millefol. q. ſ. exhibendo ſingulo trihorio tertiam illarum portionem. His copioſus educebatur mucus, ſeu magis pituita, ejusque fruſta manum longa & aliquot digitos lata, cohærentia per filamenta tenacia inſtar fruſtorum glutinis macerati (*k*). Dolor abdominis exinde minuebatur aliquantulum. Noctu autem, cum pharmaci vires finirentur, redit atrocior, ita ut nullus eſſet ſomnus, præ doloris acerbitate, hincque in conclavi obambularet, eiularet, durus & firmus ceterum miles. Continuabantur idcirco clysmata præfata; dedi mane pilulas modo deſcriptas iterum, additis Theriacæ cœleſtis gr. vj. Extr. Caſtor. gr. iij. (*l*), eundem cum prioribus obſervando ordinem. Adhuc copioſior pituitoſi magmatis everrebatur fex, doloresque ſucceſſive mulcebantur, inſequente dein noctu ſomno placido & ad horas X. haud interrupto. Iam porro medicamina porriguntur primitus memorata, & licet parum ordinate viveret, in dies tamen felicius cum ſanitate proſpera in gratiam revertitur. Levi ſcreatu mucum inodorum album large reiicit, & excitata forti tuſſi

Hh 2 pa-

(*k*) VALLERIOLA *Lib. I. Obſ. 9.* membranam recenſet longitudinis 28. palmarum ano excluſam. Vid. HOFFMANNUS *Med. rat. ſyſtem. Cap. de malo hypochondr. p. m. 256.*

(*l*) Felix connubium laxantium cum anodynis magni faciunt Clinici feliciſſimi, RIVERIVS, WEDELIUS, HOFFMANNUS.

parum cruoris floridi, aſt ſine omni pectoris dolore. Menſis Januar. 1746. calendis Noſter, parietibus hactenus incluſus, gelu cum regnaret intenſius, ventique acriter perflarent aquilonares, uno impetu, ut ſic exprimam, equum aſcendit, eoque citato 4. milliarium iter emetitur. Redit brevi laſſus & tuſſi ſicca doloroſa afflictus. Hæc negligit. Mox aliam, perdurante adhuc dicta tempeſtate, ſubit equitationem in locum æque longe diſtantem a nobis. Eligit equum animoſum, calcitronem, quique ſui conſcenſionem omni vi præpedire tentat; hinc iraſcitur Noſter, humores commovet, ut ſudor in facie eruperit, exæſtuant præcordia; ſanguinem ante urbis portas large mox exſpuit, nihilominus continuat viam. Corpus, modo ſudans, jam perfrigidum fit, poſtea, equitatione celeriore, denuo incaleſcit. Sputum cruentum, donec in locum venerit præfixum, continuat, modo fluido, modo denſato cruore reiecto. Miram ſic amittit purpuræ vitalis portionem. Miſerrime adveniens lecto committitur, fricatur; cuncta enim corporis membra algida ſunt. Continuat exſcreatio ſanguinea; ſumme debilis ac exſanguis eſt. Erumpunt ſpasmi dextri lateris, faciei maxime (*m*), cum vertiginoſa affectione memoriæque debilitate. Bis ſolvunt venam, exhibent aliquoties guttas ſex Quintæ eſſentiæ ſolaris Manchini. Ceſſant ſpasmi, remanet autem tuſſis, pectoris dolor, ſputum cruentum, debilitas memoriæ, capitis gravitas ponderoſa. Medicus loci accerſitus ordinat Balſamum pectorale, ex axung. canis, oleo amygd. dulc. flor. Sulph. balſamo de Copaiba & Peruviano, ex infuſo theeformi pectorali & travmatico quotidie ſedulo ſumendum. Silet ſucceſſive, mitigata orgaſtica commotione, cruoris exſcreatio. Ad nos revertit. Quum hypo-

(*m*) Exceptionem ergo admittit Aphorismus: Convulſio vel ſpasmus ex nimio ſanguinis fluxu lethificus. Conf. CAMERARII *Cautel. med. p. 368.*

pochondriaci ſtomachus pingue illud medicamentum ægre ferret, ſeponebatur idem ſuapte, ac meo inſuper ſuaſu. Succedunt cœcæ hæmorrhoides internæ dolentes, cum effluxu mucoſo aliquali. Solennis jam inſtituitur curatio cum aquis Selteranis lacti nuptis caprillo, juncto aquæ dulcis balneo, laxante præmiſſo. Stomacho ſimul proſpicitur Elixirio viſcerali balſam. temper. Hoffmanni, Eſſ. Opobalſ. veri nobilitato. Fomenta crebrius imponuntur ano emollientia & paregorica; mucus & cruor e cœcis hæmorrhoidibus prodit aliquoties. Selteriæ aquæ plurimum per urinas operantur. Bene viget ciborum appetitus, tranquille dormit, caro corporis accreſcit, vires augentur, vividus fit faciei color, pectus nullo, niſi vago atque a flatibus excitato, adficitur dolore, parum tuſſit, mane magna in copia exſcreat mucum album, tenuem. Quum per menſem Selteranas cum lacte maritatas potaſſet, hoc porro averſatur; adiicio ergo dulce ejusdem ſerum. Cœcæ hæmorrhoides, quotidie fere adparentes, pluries cruorem plorant paucum. Tandem annuit conſilio de admovendis hirudinibus. Una tantum adhæret, reliquæ averſantur loca, illaque circiter ℥iiij. cruoris evocat. Ex quo alacrius adhuc habet noſter. Poſt 6. dies iterum ſanguiſugas curo apponendas, cum alvus mucoſo-cruenta id ſuaderet, ſanguinisque ℥vj. educebantur, excipiente pectoris ſumma libertate, cum alias ſub hæmorrhoidum motibus aliqualem ejusdem adhuc perceperit oppreſſionem, donec ſanguinem paucum ex faucium iſthmo excrearit. Quæ jam cuncta ceſſant una cum tuſſi. In dies magis ſecunda revertit valetudo, verpa, hactenus ſepulta, caput cum libidine erigit. Abit firmus & carnoſus jam corpore miles in Italiam ultimo Martii ad ſubeundas bellicas expeditiones. Ex caſtris ad Parmam die XV. Maii ſanitatem florentem per litteras ſignificat gratus.

# *OBSERVATIO LXXI.*

## DN. D. LUDOV. GODOFR. KLEIN

### *Hæmorrhagia umbilici ex hæmorrhoidibus fluentibus in puero ſuppreſſis, per ætatem ſilens.*

Puer ex primo in mundum introitu corpore plenus, parentibus natus habitus ſtricti, non hæmorrhoidariis, quadriennis ſubito experitur ſanguinis e recto inteſtino fluxionem, haud aſſiduam, ſed periodicam, & ſub alvi depoſitione duriore certis temporibus, non autem regularibus, notabilem. Tranſibat tandem eadem in ſtillicidium ſinceri ſanguinis continuum. Conſulebantur Medici atque Chirurgi varii, tandemque per ſuffimigium, ano admiſſum, male ſiſtebatur, poſtquam biennium duraverat. Aſt quid? Umbilicus mirum protruſus plorat pedetentim ſanguinem ſincerum, mox vero cumulatius profluit iſte. Adplicantur ſpecies nervinæ, vino incoctæ, quibus prominens umbilicus retrahitur; ſuperhabentur pulveres ſtyptici, ſed incaſſum. Qua de translatione morboſa adit mater miſeri Medicos varios; præſcripſere multa, nil vero mutatum de morbo. Puer quum haberet annos XI. & meum poſcit auxilium ipſius mater. Profluvium jam tum per quinquennium durans, contingit pedetentim quotidieque promanante ſanguine puro. Puer corpore tener eſt ac conſumtus (*n*), mente docilis

(*n*) HILDANUS *Cent. I. Obſ. 52.* poſt ſanguinis ex umbilico infantuli profluvium totius corporis imbecillitatem, ac tandem mortem notavit. *Conf. Cent. III. Obſ. 37.* An in talibus caſibus ſanguis feratur tantum per thecas apertas vaſorum umbilicalium, juxta SCHULZIUM in Differt. *de vaſis umbilicalibus recens natorum & adultorum*, §. X. XVI. XVII. ſequ. alio

lis, facie pallidus, ſtatura parvus, dextri hypochondrii juncta eſt durities non doloroſa, in abdomine incidunt ſpasmodicæ ſenſationes, calor intercurrit volaticus crebro, cum horripilationibus alternantibus, urget totius corporis languor; ſitis, ſomnus profundus, appetitus vagus, ventriculi gravitas ex dyſpeptis adſumtis; alvus plerumque debite exoneratur; tuſſis ægrum vexat periodica, magis vere atque autumno; pulſus celer eſt, pedes ſemper frigent. Præſcribo 1) Elix. viſcerale balſam. temper. Hoffmanni cum liqu. terr. fol. Tartari, Eſſ. Millefol. Caſcarill. aquoſ. Tinct. Vitriol. mart. Ludov. 2) infuſum theeforme ex millef. agrimon. hyper. Virg. aur. ſemine fœniculi; 3) frequentiorem pediluviorum atque enematum ſimplicium uſum; 4) diætam exactiſſimam regimenque temperatum. Nil faciunt eadem, (clysmata autem omiſere), quin laſſitudo increſcit. Diarrhœa cum doloribus infimi ventris accedit. Appetitus ciborum quandoque excedens eſt. Præbeo Apozema ex plantis aperientibus, pauco lacte caprillo remixtum. Suadeo ut aliquot hirudines inteſtino recto admoveantur, clysmate prævio. Commendo Selteranas pro ſolenni cura, junctis pediluviis domeſticis. Negligit mater conſilium. Fato relinquitur puer. Cum in præſenti annos habeat 24. tandem percipio certius, Pariſiis, ubi degit, ſilere fluxionem umbilicalem, neque etiam recrudu iſſe hæmorrhoidalem, iſtamque ætate creſcente ſucceſſive ſponte ceſſaſſe. En machinæ humanæ vim avtomaticam, mirificam ſane!

alio dicam tempore atque occaſione. Ex vena fieri obtinet HILDANUS *Cent. III. Obſ. 37.* COITERUS *Obſ. anatom. chirurg. p 117.* offendit in virgine 35. annorum venam umbilicalem ſanguinis copia turgidam atque extenſam. De hæmorrhagia ex umbilico porro conſulatur *Commerc. litterar. Nor. 1737. p. 43. & p. 99. not.*

OBSER-

# *OBSERVATIO LXXII.*

## DN. D. LUDOV. GODOFR. KLEIN

### *Fistula umbilici funesta, cum sectione cadaveris.*

Puer annorum XIII. constitutionis tenerioris, diætæ irregularis, parentibus procreatus hæmorrhoidariis a triennio conqueritur de dolore hypochondrii dextri, pressorio, pungente, tactu graviter exacerbato, ventre simul tumente, pathematibusque hecticæ febri familiaribus. Tandem in consilium accitus, vel hepar, vel mesenterium adfectum judico, vel utrumque (o). Ordino serum lactis dulce plantis deobstruentibus superfusum, pilulas Mortoni, laxantia rhabarbarina, pulveres salinos viscerales, pediluvia, Selteranas, motum corporis modicum, exactum vitæ regimen. Nil hisce fuit effectum. Magis magisque increscunt tumor dolorque (p). Inopinato ex medio umbilico (q), foramine angusto, effluit pus illaudabile, tumor dolorque minuuntur. Me absente Medicus veteranus e vicinia vocatur. Effluit quotidie stupenda dicti puris copia, magisque decrescit adhuc tumor mollescitque. Hectica febris infelicia capit

(o) HOFFMANNI Med. rat. system. cap. de Hepatitide Obs. I. SCHACHTII Exercitatio de Phthisi icteritia p. 38. FORESTUS Lib. XIX. Obs. 10. HEINRICI Diss. de abscessibus mesenterii. Primam sane originem dedit mesenterii inflammatio, vel hepatis, vel partium musculosarum & membranacearum circa hoc viscus.

(p) Ascitem purulentum dicere liceat. BOERHAAVE Aphor. 936. num. 5. Prax. §. 936. sq. & Aphor. idem. Prax. §. 12 23.

(q) De apostemate mesenterii per umbilicum viam inveniente vid. HILDANUS Cent. II. Obs. 58. Vermes simul excretos hac via notavit FORESTUS Lib. VII. Obs. 35. PLATERUS Obs. Lib. III. p. m. 831.

pit augmenta, nocturna tussi acriter urgente. Tandem ex itinere longinquo redux suadeo, ut apertura dilatetur incisione & injectiones non negligantur, utpote summe hic necessariæ. Negligunt parentes consilium. Commendo, ad arcendam ulteriorem corruptionem, ut simul adhibeantur fotus balsamici, ex plantis vino incoctis. Suadeo infusa herbacea cum brodio carnis facta. Temperantia leniter nitrosa laudo, vel Ror. mineral. Angel. Salæ. Inordinatissime cuncta in usum vocantur, vel plane negliguntur. Esculentorum portiones, v. g. petroselini, mororum, panis, nunc animadvertunt adstantes cum chylosa materia (*r*) a pastu, ex umbilici fistula ferri. Tumor, in hepatis regione ad umbilicum extensus, maximam partem evanescit; hectica inolescit. Cibi desiderium auctum. Emori mavult miser, quam medicamenta capere. Hæc sic per annum pergunt. Æquinoctio appropinquante verno anni subsequentis pedum œdema accedit, sputum fœtidissimum, inappetentia, ex umbilici medio materies effluit fœtoris mephitici, copiosa, totum conclave inficiens eminus (*s*), jungitur hydrocele. Vix de ullo queritur dolore. Vix credas vereque pro impossibili habeas, tantam, quæ in hunc diem effluxit, materiem inhabitare potuisse hocce corpusculum. Circa finem Aprilis & effluxus & sputa memorata fœdissima minuuntur. Sub tractionibus spasticis animam efflat, pelle ossibusque relictis.

(*r*) Coalitus hic subest læsarum partium ventriculi & intestinorum cum peritonæo & integumentis, maxime in junioribus, facilis. Vid, TEICHMEYER de Exomphalo. COITH de lumbricis intestino perforato &c. RIVERIUS Cent. I. Obs. 92. & Obs. communic. 2. & 3. p. m. 370. WENCKER de virgine ventriculum perforatum &c. HEISTER de Medico nimis timido §. XXIV. SCHULZE de Lumbricis effractoribus.

(*s*) FORESTUS Obs. Lib. XIX. Obs. 10. in Schol. p. m. 74.

## *Sectio cadaveris.*

Secto die ab obitu altera cadavere, (Parentes enim jam demum brevem permittebant apertionem,) quæ sequuntur detexi:

1. Corpus totum emaciatum erat, ut cutis ossibus saltim inhæreret.
2. Thorace aperto, pericardium apparebat pleuræ, costis, mediastino quam firmissime adcretum. Continebat idem ad minimum ℥viij. lymphæ fluidissimæ, non coloratæ.
3. Cor erat flaccidissimum, plane corrugatum. Reperiebatur in ejusdem ventriculo anteriore pondere ℥iß. concretio polyposa. In postico minus hærebat concrementum.
4. Cuncta cordis atque totius corporis vasa exinanita & collapsa erant.
5. Dexter pulmonum lobus admodum magnus erat & adhuc illæsus. Sinister exiguus conspiciebatur, pleuræ ac costis arctissime connexus, totusque pure corruptus (*t*).
6. In abdomine contenta cuncta quasi conglutinata membranis intermediis erant, ac si glomeres videas (*u*). Ventriculus jecori in fundo totus erat adhærens & parvus. Prope orificii sinistri finem in arcu superiori perforatus erat foramine crucigerum æquante. Epar miræ erat molis, pallidum, durum, adinstar frusti carnis bubulæ, apostematibus varie infectum, figuræ plane singularis. Nulla aderat vesicula fellis, naturalis conformatio

(*t*) BOERHAAVE Aphor. 936. n. 4. & Prax. in eundem.

(*u*) A. N. C. Vol. II. Obs. 65. Vol. III. Obs. 73. Ephem. N. C. Cent. II. p. 385. BLANCARDUS Anat. pract. Cent. I. Obs. 61. Cent. II. Obs. 84.

formationis, ſed locum illius occupabat ductus biliarius expanſus, bile fluida, aliquantulum flaveſcente, refertus.

7. Diaphragma hepati quam firmiſſime accretum erat.

8. Inteſtina corrugata conſpectui ſe offerebant ubivis concreta, exinanita, alba. Peritonæo, hic perforato, valde adhærebant, maxime circa umbilicum, in circulo quaſi, ex quo ſaccus (x) ſive cavitas formabatur, cum ventriculi perforatione (num. 5.) reſpondens, quaque via chylus & modo ſumta alimenta, parum vel nihil immutata, hucusque & olim ferebantur.

9. Ex umbilici apertura ſurſum, utroque in latere, ſinuoſa cavitas perforabat muſculos abdominales & peritonæum, penetrando usque ad hepar, viſcus, uti dictum, varie corruptum, atque peritonæo quam intime adnatum. Quo ſic itinere purulenta vehebatur materies; quæve in cavitate ab inteſtinis, peritonæo adglutinatis, formata & facta, (num. 8.) aggeſta vel retenta, ſine dubio ſtomachi perforationem, adgrediendo eundem atque vel abſceſſum formando poſthæc apertum, vel eroſionem produxit.

10. Lien duriſſimus erat, nigricans, apoſtematibus conſpurcatus.

11. Renes extra ordinem magni erant, ſed adhuc illæſi.

12. Veſica urinaria lotio tota repleta & diſtenta erat, inteſtinis & peritonæo nexu juncta vix diſſolubili.

13. Omentum evanuit omne.

14. Abdominis æque ac pectoris cavum pure fœdiſſimo, mephitico, repletum erat. Panniculus adipoſus, abdominales muſculi toti ſanie conſumti ac exeſi fere erant, ſola cute adhuc ſuperſtite.

(x) Commerc. litter. Nor. 1733. p. 290. & 1734. p. 50.

## *OBSERVATIO LXXIII.*

## DN. D. LUDOV. GODOFR. KLEIN

### *Cephalæa periodica, excretione polypi narium membranaceo-pituitoſi ſemper ſoluta, tandemque febre, diæta & medicamentis convenientibus penitus profligata.*

Vir annorum XL. habitus cachectici, ἀδδηφάγος, nullius diætæ, cereviſiæ adſuetus pravæ notæ, febribus, hinc & domicilii, inter aquas ſtagnantes ſiti, inſalubritate, pluribus per omnem vitam expoſitus, intempeſtivo Chinæ uſu ſemper ſuppreſſis, ab aliquot annis cephalæa periodica atroci excruciatur. Sed habe, quod a puero, maxime poſt ſuperatas nono ætatis anno variolas mali moris nares habuerit pluries tenaci pituita obſtructas, ſocio dolore vago capitis. Memorata cephalæa, ſæviens per intervalla, uti dixi modo, non prius cedit, donec polypus narium membranaceo-pituitoſus (y), magis minusve fœtens, ex obſtructione earundem prævia pridem noſcendus, excludatur. Anno 1738. febrem experitur quotidianam continuam, ex quo rarior inſtat cephalæa minusque frequens deſcripti concrementi polypoſi excretio. Poſthæc inculco exquiſitum vitæ victusque regimen; ordino quotannis ſolennem Svvalbacenſium aquarum, Wisbadenſibus interpoſitis, & Pilularum de Gummat. Sylvii uſum; commendo crebriorem corporis motum, medio tempore Sulph. aurat. Antimon. tert. præcipit. cum Scilla pluries exhibeo; meo ex ſuaſu lo-

co

(y) Sub ſpecie coryzæ parem deſcribit polypum BARTHOLINUS *Cent. VI. Hiſtor. 37.* & VATERUS Diſſ. qua polypus naſi ex faucibus feliciter extractus ſiſtitur.

co Theæ quotidie inſervit apozema ex incidentibus. In annos magis ſterileſcit polypi proventus, ſimulque cephalæa minus frequens evadit, ac tandem utraque hæc plane ceſſant, dimittunt ægrum, obeſum jam, corporeque vivacem ac floridum. Salanas cum frequentarem olim Muſas, ſimilis caſus in Jurium Studioſo obvenit, cui anima per nares fœtida multum hinc erat. Singulis XIV. diebus fœtum hujuscemodi enixus eſt, qualem proxime delineavi, cephalæa ſemper quoque comite. Cum emolumento is adhibuit Eſſ. ſalutis Teichmeyeri. Quî porro hujus valetudo iverit, me fugit. In utroque nulla inquinamenti venerei aderant criteria.

## *OBSERVATIO LXXIV.*

## DN. D. LUDOV. GODOFR. KLEIN

### *Mola inteſtinorum verminoſa.*

Puer biennis, pultibus ſpiſſis (z) plurimum enutritus, vorax, viſcidis ſcatet ſordibus tum primis in viis, tum in pectore cumulatis. Nuper enim aſthmate adfligebatur mucido ad ſuffocationis metum gravi; cauto emetici uſu ſervato puerulo. In præſenti alvi laborat obſtructione, cum ventris inflatione atque duritie notabili, quibus accedunt vomitus bilis flavæ, internus æſtus, tremor maxillæ inferioris atque artuum extremorum. Iniicit mater bis clyſterem ex decocto flor. Chamæmeli, oleo olivar. rec. large conditum. Reiiciuntur mox lotiones hæ, venter manet idem; tandem caprarum ſtercoribus ſimilia excluduntur, in fine



(z) In caſeoſo hinc ſuborto magmate facile progignuntur vermes foventurque. PLATERUS *Obſ. Lib. III. p. 844.* VALLERIOLA *Lib. I. Obſ. 9.*

prodibat globulus durus (a), in terra provolutus, aſcaridibus vere innumeris, poſtquam conterebatur, refertus. Aſcarides enim ſignum ſunt voracitatis. Hocce partu exantlato mox venter detumeſcit omnis, infansque fit alacris. Præſcribo laxans rhabarbarinum adiecto calomeli; pultibus interdico; ordino pulviſculum ex Sem. aniſi, abſorbentibus, rad. Ir. Florent. & exigua Scillæ portione, aliquoties in ſeptimana exhibendum. Optume porro valet.

*(Erbaco Halam miſſæ d. 20. Octobr. 1752.)*

(a) *Ephemer. N. C.* Dec. II. Ann. V. Obſ. 197. p. 398. VATERUS de calculis in locis inuſitatis, §. 3. *Ephem. N. C.* Dec. II. Ann. VI. Append. p. 7. HAMILTON de Prax. regul. p. m. 47. AMATUS LUSITANUS Cent. II. p. 122. GOHLIUS Comp. pract. Lib. VI. Cap. 18. §. 13.

## *OBSERVATIO LXXV.*

## DN. D. IOANN. BERNH. de FISCHER

### *De Singultu & vagitu uterinis.*

Homines naſcituros, ſeu embryones, a valetudine matrum bene vel male valere, extra omne dubium videri poſſet: idem enim utrosque nutriens ſanguis, pro qualitate ſua non poteſt non bonam vel malam utrisque impertiri valetudinem. Interim, licet hæc regula nulla contradictione temeranda videatur, nihilominus ſæpe in contrarium abit, videasque matres morbidas, vitioſo ſanguine repletas, infantes in lucem edere robuſtos & optime valentes; & e contrario matres robuſtas & optime valentes infantes morbidos debilesque parere. Ineſſe itaque infanticus peculiare quid, apparet ex connata ipſis primigenia bonſtitutione, tam quoad organorum conſtructionem, quam pro-

proprii fluidi constitutionem, quod propria energia, vel male vel bene habere infantes faciat, & temperamentum habitumque corporis constituat.

Embryonis vita & vivacitas ordinarie quidem ex motu ejus judicatur, sanitatis autem ejus non adeo manifesta sunt signa; imo sæpe excessus motus, inprimis in ultimis graviditatis mensibus, male habere embryonem indicat, utpote qui soporem naturalem, ipsi convenientem, incommodo quodam, ex sanguinis acrimonia vel fervore orto, frangit & tollit.

Singultu laborare embryones, in physiologicis nostris vel rarissime, vel nullibi docetur, licet sit res sæpissime occurrens, & tam a matribus absque manus impositione, quam ab aliis impositione manus, perfectissime observabilis. Hinc est, quod ejus ceu raritatis cujusdam mentio fiat in *Ephemerid. Nat. Cur. Dec. II. Ann. VI. Obs. 15.* fœtum nempe singultivisse cum multa gravidæ matris molestia; singultusque a nutrimento nimis acri, contractionem diaphragmatis violentam excitante, derivatur: nullatenus autem ad modum fiendi animus vertitur. Quos ego embryones singultientes novi, omnes sane absque incommodo gravidæ placideque singultivisse scio; licet notum sit, embryones sæpissime, ultimis mensibus, inquietudine & motu rudi gravidas fatigare.

Singultus est motus diaphragmatis, ab orificio ventriculi sinistro, communiter relaxato, interdum irritato dependens. Prius videtur sæpius in caussa esse apud embryones singultientes, quia non indesinenter singultiunt, sed per plurium horarum, imo etiam dierum intervalla; id quod non contingeret, si orificio irritans quoddam adhæreret. Præterea singultus illorum communiter tantum octavo nonove graviditatis mense observatur: in lucem postea editi bene valent, nisi quod etiam interdum singultiant, æque ut illi,

li, quos in utero non ſingultiviſſe obſervaveris. Cum jam ſingultus ſit motus diaphragmatis, & embryo non reſpirare dicatur, idque rationibus prægnantibus; diaphragma autem etiam ſit reſpirationis organon, quæritur, an diaphragma embryonis moveri poſſit, absque pulmonum, utpote principalis reſpirationis organi, nec non, absque thoracis aliquali dilatatione, quemadmodum illud complete in natis infantibus, ſub ſingultu, contingit? Fateor, conſtructionem pulmonum embryonis veſicularem adeo fortiter interdum in recens natis infantibus ſibi conglutinatam eſſe, ut pulmones aërem non admittant, niſi muſculi arteriæ aſperæ, repetita inflatione aëris per os, ad motum dilatatorium, & muſculi thoracis ſuctione mammillarum ad ejus dilatationem & diaphragmatis motum invitentur: nihilo minus, cum ſingultus embryonum revera exiſtat, non poſſum non concludere, in embryone ſingultiente, præter motum diaphragmatis, dilatari non ſolum quodammodo thoracem, ſed intrare etiam aërem, ſi non in unum vel alterum vel plane utrumque pulmonum lobum, tamen in arteriam aſperam & bronchiorum ſummitates, tantum, & tanta parcitate, quæ ad ſingultum embryonis efficiendum ſufficiat. Obiicietur equidem, embryonem ne tantillum aëris ullo modo inſpirare poſſe, non ſolum ob ejus valde complicatos pulmones, ſed quod etiam amnii liquor, cui innatat, aëri omnem præcludat ingreſſum. Verum enim vero, ſi conſideramus, quod liquor amnii non ſolum ſæpiſſime in minore adſit quantitate, ſed non raro plane deſit, facile largiemur, embryonem motu corporis talem poſſe acquirere ſitum, ut os, vel tantum nares ejus, a liquore amnii non alluantur, & tunc aërem in utero præſentem tantum irritare poſſe fauces & dicta organa reſpirationis, quantum ſub motu diaphragmatis ſinguituoſo ad ſingultum ſufficit.

Quodſi

Quodsi etiam concedam, in singultu embryonis convelli solum diaphragma, & commoveri incomplete thoracem, aërisque ne tantillum per os vel nares ad arteriam asperam pervenire, quomodo vagitum uterinum enodabimus? Ne dicas, fabulam anilesque opiniones non indigere enodatione, sed explodendas esse: dari enim vagitum uterinum, a multis retro seculis auditum & creditum est, & ne ab antiqua commentatione patrocinium poscere videar, innumeræ auctoritates pro existentia vagitus uterini, partim in *Ephem. Nat. Cur.* partim apud alios Autores medicos graves, non aniliter credulos, extant. Quicquid contradicitur, in rei impossibilitate, ob denegatam in totum embryoni respirationem, fundatur, & quicquid audiverint matres prægnantes, vel adstantes, sibilum intestinorum fuisse statuitur.

Si omnia in œconomia corporis animalis ad consuetas semper fierent regulas, juste rari tales eventus exploderentur; cum autem quotidie contrarium observamus, falsa declarare, vel interpretari phænomena non debemus, quæ raro & contra Naturæ consuetum ordinem fieri observantur.

Non ambigo credere, dari vagitum uterinum, idque tam ex facto, quam possibilitate. Dubia sit fides Autorum, mihi indubia manet fides feminæ cujusdam mihi propinquæ, plurium liberorum matris, animi non levis nec superstitiosi, sed prudentis & vere virilis, quæ nono graviditatis mense, binis vicibus, uno eodemque die, duplici vagitu, non absque animi consternatione, fœtum suum vagivisse audivit, idque die sequenti, durante adhuc animi ejus consternatione, mihi asseveravit. Quem enitebatur postea fœtum, femella erat, debilis per omnem vitam, nihilominus viro, anno ætatis XV. nupta, aliquot liberorum facta mater. Fidem facti habeo indubiam, nec insoliti licet & rarioris caussalitatem explicatu valde difficilem esse judico. Superstruo autem

ætiologiam vagitus uterini ſuper illam, quam de ſingultu uterino dedi; fieri enim potuit, ut ipſe prægreſſus ſingultus organa reſpiratoria ad aëris ingreſſum permittendum diſpoſuerit, cum os vel nares embryonis ab alluvio liquoris amnii liberæ fuere: unica tunc facta in ſuprema bronchia inſpiratio, & ſuccedens lentiſſima aëris exſpiratio ad vagitum formandum ſufficit, ut non opus ſit totam pulmonum expanſionem ad vagitum neceſſariam ſtatuere. Si autem forſan contigerit illa totalis expanſio, revera cum indubia ſuffocatione embryonis id fiat neceſſe eſt; quin probabilitas adparet, ſi infantes validos mortuos enixos videas, illos præmatura pulmonum expanſione ſuffocatos fuiſſe, & absque inſequente vagitu ſeceſſiſſe, id quod pulmonum examen facile demonſtraret; cum autem hoc examen aliis in caſibus non probatur, quam ubi de infanticidio ſuſpicio eſt, ita etiam res manet indeciſa. Perpendendum præterea eſt, quod Natura, uti ubique, ita etiam in hoc paſſu non adeo frequenter a ſuis regulis recedat, ſed communiter adſueta tritaque ſua incedat via, & quod hinc vagitus uterinus non ſit res quotidiana, ſed quod, dato aliquando vagitu, ſecundum modum fiendi poſſibilem, poſtea præcludatur anſa embryoni ſæpius talia tentandi, cum interitus periculo.

Dantur præterea multi embryonum, qui ad vagitum edendum plane inepti haberi poſſunt, nempe illi, quibus ſupra allegata veſicularum pulmonalium cohæſio tanta eſt, ut etiam difficulter admittant aërem jam in lucem editi, quoniam his etiam ipſa bronchia valde arcta erunt; porro illi, quibus funiculus umbilicalis collum circumdedit, nec non quos naſci videmus cum connatis catarrhis & pectoris oppletionibus, quemadmodum & illi, quibus tenax mucus nares obturavit, ſuctionem mammillarum impediens, aliique.

Re-

Recordor, dum hæc ſcribo, me, vel legiſſe, vel ipſum audiviſſe catellos in utero baubantes: recurro absque longa hæſitatione ad *Ephemerides* noſtras, & ecce! in earundem *Dec. II. Ann. IX. pag. 93.* non ſolum obſervationem de catellis in utero baubantibus reperio, ſed ſimul cum ſumma animi voluptate hæc a me ſubſcripta lego verba: *Idem audivi Amſtelodami in cane valde gravida.* Indicem Ephemeridum ulterius percurrendo edoceor in eadem *Dec. Ann. X. Obſ. 122.* muris minoris fœtus in utero ſibilaſſe. His ſubſidiis fulcitus vix opus fore judico pullos gallinaceos, teſtis ovorum fiſſis & non fiſſis pipientes, pro roboranda poſſibilitate vagitus uterini allegare, cum pipientes incluſi pulli absque omni periculo ſuffocationis id agere poſſint.

Rarus nihilominus manet vagitus uterinus, primario, quod natura raro a tramite ordinario aberret, ſecundario autem, quod, cum eveniat tale quid prægnantibus, hæ attonitæ talia non divulganda, prodigioſa eſſe judicent, ſed partim ob naturam rei inſolitæ ſuperſtitioſo ſilentio involvenda, partim, ne riſui vel malæ interpretationi ſe exponant: ne dicam, quod plurimæ ſine dubio, id, quod audiverunt, ſibilum vel flatum ventris fuiſſe interpretari malunt, quam prodigioſam rem & pro captu vulgi male ominoſam.

Interim regeres, ſi vagitum uterinum dari ſtatuitur, infanticidæ, quæ fœtum ſuum ſuffocarunt, illum in utero vagiviſſe dicent, & hinc eſſe, quod ejus pulmones in aqua ſupernatent: verum, cum ſupra dictum ſit, ad vagitum uterinum non requiri pulmonum expanſionem totalem, nedum incompletam, ſed ſufficere aëris ingreſſum ad ſumma bronchia, & ad hujus lentam exſpirationem, ſollicita inſpectio pulmonum, aliæque circumſtantiæ judicium formabunt. Naſcatur etiam difficultas caſum talem forenſem decidendi, aſt veritas rei nullo offendatur præjudicio.

(*Riga Halam miſſa d. 8. Decembr. 1752.*) Kk 2 OB-

## *OBSERVATIO LXXVI.*

# DN. D. OTTONIS FRIDER. WILHELMI FRENTZEL

*De*

## *Peculiari quadam febris malignæ catarrhalis exanthematicæ, purpuraceo-pustularis specie, vesicali-ulcerosa.*

Laicus quidam, S. Ordinis Seraphici Frater Capucinus Provinciæ Rhenanæ, pro vestimentis conficiendis, professionis suæ Lanificus, annorum XLIV. proceræ alias staturæ, & texturæ satis firmæ, hyeme anni proxime elapsi membrorum aliquam per octo dies lassitudinem, cum anorexia persentiscere cœpit; quam horripilationes, per dorsum crebrius sursum excurrentes, cum tensivo ac pressorio, circa scapulas æque ac superius os ventriculi, dolore, aliquali præcordiorum anxietate & angustia, nauseabunda oris adflictione ructibus sursum vergentibus, saporeque putrilaginoso excipiebant. Tertio & quarto die post hæc, in artuum extremitatibus, maxime superioribus, parvæ quædam maculæ rubræ, cum levi pruritu intercutaneo, extra cutim prominebant.

Virum, corporis athletici, ita affectum, talia mihi enarrata pro nihilo adhuc reputantem, in conclavi frigido inopinato reperio, cum pretiosis suis gemmis, uti ajebat, rubiniformibus jocantem; at auditis prioribus, hisque conspectis, anguem sub herba latitantem suspicans, suasi, ut, evitando aërem frigidum, in conclave calefactum secedens, futura ulteriora exspectaret.

Ma-

Mane ipſum viſitans, ſignis quibusdam, multas primarum viarum cruditates indicantibus deprehenſis, exhibui vomitorium antimoniale, ex ſyrupi emetici compoſit. meæ ℥iß. in tepido tenuis Theæ potu pro vehiculo: quo aſſumto quinque vomitus, & aliquot ſeceſſus, cum euphoria, inſecuti ſunt.

Interea cum motus febriles, ab initio, ſub cinere doloſo, gliſcentes, magis reſuſcitati, & in æſtum majorem, licet non adeo vehementem, eruperint, & exanthemata, in circumferentia paulo latiora reddita, in medio apicis, magis exaltati, puſtulas albas formaverint, cum pulſu leni & tardo, & urina coloris ſaturate aurantii, vix rubicundi, majorique increſcente membrorum laſſitudine, atque inde ſub tali cortice nodoſo hydram malignam, inſidias ſtruentem, ſuſpicari licuit; hinc præſcripſi potiunculam alexipharmacam: Rec. Aqu. lact. alexit. ℥vj. Scord. flor. Sambuc. ana ℥iß. Tinctur. bezoard. officinal. ſecund. Diſpenſator. Würtenbergic. Diascord. Fracaſtor. ſecund. Diſpenſ. Berolin. corrrect. ana ʒij. Syrup. de Contrayerv. ʒvj. M. De hac, quovis quadrihorio, duo cochlearia aſſumta ſunt, cum regimine imperato, temperate diapnoico, non vero coacto & nimis calido, quod in omni febris acutæ ſpecie, ob ſummum virium diſpendium, tanquam peſtem fugio.

Pro potu ordinario, decoctum C. C. cum hord. rad. ſcorzoner. citratum inſerviebat, hæcque iteratis vicibus porrigebantur. Sub illo tempore, quo cum hiſce continuabatur, puſtularum incrementum quoad elevationem & ambitum indies adeo auctum fuit, ut in medio ſecundi & principio tertii ſeptenarii, magnas jamdum veſicas, quales alias ab ambuſtione externa oriri ſolent, adæquarent, ſero varii coloris, flaveſcentis, atro-lividi, ſaturateque carnei, corrupto, turgidas, quæ ſphithamæ longitudine ſucceſſive, cum inſigni pellucidæ epidermidis extenſæ elevatione, in ſui craſſitie

tie vera farcimina inflata exhibentes, per universum corpus, maxime vero per extremitates artuum, superiorum æque ac inferiorum, per dorsum & nates, utrumque inguen & scrotum, quod una quasi vesica tali obductum apparebat, dispergebantur, sola præcordiorum regione in tantum libera existente, nisi quod hinc & inde parvæ quædam pustulæ pellucidæ prominebant, ex quibus singulis, partim sponte ruptis, partim incisis, magna seri diversimode tincti, male olentis, exstillabat quantitas. Caput adfligebatur doloribus obtusis pressoriis & terebrantibus, cum aliquali turgescentia, multis deliriis, noctibus insomnibus, pulsu nunc magis tenso & duro urinaque saturate rubicunda, non vero flammea. Manus erant, cum tendinum subsultibus, tremulæ tussisque, ab initio morbi jamdum sese exserens, sicca magis, quam humida, gravior reddebatur, cum aliqua tamen subinde phlegmatis cujusdam glutinosi exscreatione; hinc sequentia ordinabantur medicamenta: Rec. Tinctur. bezoard. Mich. camph. ℥ß. ol. bezoard. Wed. ʒiß. M. Rec. Pulv. bezoard. Angl. ʒj. Conch. citr. Bezoard. mineral. Succin. alb. ppt. Nitr. crystallisat. ana. ʒß. Cinnab. nat. ppt. ℈j. Camph. gr. ivß. Aq. lact. alexit. ℥ij. C. B. Ceras. nigr. flor. Til. ana ℥j. aqv. C. C. citr. IV. flor. cordial. ana ℥ß. Syrup. acetosit. Citr. Papav. alb. ana ʒiij. M. D. ad Vitr. Rec. Past. dialth. secund. Dispens. Würtenberg. descript. ℥vj. D. ad Chart. Rec. Ferment. acrior. Sapon. nigr. ana ʒij. sem. sinap. contus. herb. Rut. rec. incis. Mj. Cepar. contus. num. ij. Sal. commun. ℥ß. M. F. c. aceto vin. acerrim. massa epispastica.

De primo medicamento mane, præsente majore insultus febrilis tranquillitate, bis, intra quadrihorium, assumebantur XL. guttæ, & de altero a prandio singulo trihorio duo cochlearia, quibus tandem sudor, antea non bene cedens, acidum sulphureum fœtidum redolens, melius, cum

ali-

aliquali ægroti levamine, erumpere cœpit. His interponebantur, subinde in ore detinendæ & successive deglutiendæ Pastæ dialtheæ, Gallis alias *Pâte de Guimauve* dictæ, in Dispensatorio Würtenbergico descriptæ, hauriendo dein aliquot cyathos infusi Theeformis, ex speciebus pectoralibus, quibus humores glutinosi, magis mobiles redditi, in pulposamque consistentiam meabilem redacti, bono cum effectu facilius expectoratione rejiciebantur. Tandem epispasticum, utrisque pedum plantis calide applicatum, intra XXIV. horarum spatium reiterabatur.

Circa hoc tempus sitibunda major, quæ ab initio vix apparebat, oris siccitas notabatur, cum aliqua faucium inflammatione, linguæ excoriatione, & deglutiendi difficultate; hinc potui ordinario pauxillum addebatur nitri antimoniati, atque in usum vocabantur injectiones & gargarismata, sequenti modo parata: Rec. Specier. pro Gargarismat. ℥j. herb. Prunell. Pyrol. ana M℔. Fung. Samb. ℥ß. flor. Balaust. Chamomill. ana p. I. Caric. pingv. num. iij. Incis. coqu. in aqv. pluvial. q. s. Colat. adde Roob. diamor. Alb. græc. ana ℨiij. Nitr. crystallis. ℨß. D. in Fictili & per syringas fiat de die ter injectio tepida, haud impetuosa. Rec. Aqv. Prunell. Salv. ana ℥ij. Roob. diamor. ℥ß. dianuc. ℨij. mell. Rosac. ℥ß, alum. ust. ℈j. D. pro frequentiori oris gargarizando collutione.

Cum etiam alvus jam ultra 6. dies obstructa fuerit, pro ea referanda clysma emolliens injiciebatur: Rec. Decoct. specier. emollient. ℥x. ol. flor. Verbasc. ℥j. flor. chamomill. ℥ß. Vitell. ov. num. I. Nitr. depur. ℨß. M.

Oculi, in albugine rubicunde ferocientes, continuo ex ambobus angulis serum plorabant acerrimum, quod undiquaque, circa oculos & per genas, cutim erodebat & quasi sulcos formabat, manifesta causticæ acrimoniæ vestigia, ex quibus tandem crusta quædam atro-fusca sese elevabat

bat, oculos & aliqualem genarum superiorum partem circum circa obducens, adeo, ut intuitu hujus larvæ crustosæ, & magnarum illarum fere per totum corpus sparsarum vesicarum, aspectu horridam sub decubitu figuram, ruptisque vesicis, vix non alterum excoriatum verum repræsentaverit Bartholomæum, sed cum tam intolerabili fœtore, ut vix aliquis per dimidium quadrantem horæ, citra summe nauseabundam stomachi subversionem, in hypocausto, satis insuper angusto, commorari potuerit, quod & ipse ego, licet alias minus ad nauseam pronus, tunc præcipue expertus sum, cum, in absentia Chirurgi, vesicatoria applicata ipsemet minus caute aperuerim, unde dein, per os & nares largius attracto exspirante vapore fœtido, subsequente nocte, præcedentibus ventriculi torminibus, sursum & deorsum ultra duodecim secessus torminosi, cum penitus prostrato per aliquot dies appetitu, summaque circa omne ciborum genus nausea, insecuti fuerunt.

Interim status morbi appropinquans, valde pertinax, vix per octiduum in eodem tenore persistebat, ita ut, an in melius, vel pejus, morbi schema se versurum sit, anceps plane hæserim, inprimis cum æger hoc tempore, sensibus fere privatus, rigidæ instar columnæ decumberet, & saltem suspiriis gemebundis, crebrius ab imo pectore ductis, vitæ adhuc præsentiam manifestaret. Huc accedebat, quod xxvito die tussis, hucusque humida, rursus sicca evaderet, cum sputi suppressione, indeque nata pectoris oppressione & angustia, maxima virium jactura, pulsu intermittente & myuro, urina aquosa, tenui, turbida, ulceribusque colorem aliquomodo obscure lividum contrahentibus; unde etiam curam ejus habentes Confratres nunc actum conclamatumque esse, & mortem fores pulsare, judicarunt.

Cito ergo vocatus, absque mora comparens, funestaque hæc symptomata intuens, illico duo magna vesicatoria ad

suras

ſuras applicari curo, potiunculamque bezoardicam, cum Julapio cordiali, præſcribo: Rec. Pulv. bezoard. Angl. comp. ℈j. alb. Ludov. ℈iß. bezoard. mineral. Succin. alb. ppt. Nitr. perlat. ana ℈ß. aqu. lact. alexit. ℥iij. epidem. ℥ij. theriacal. camph. ℥j. Syrup. de contrayerv. ʒvj. M. D. ad Vitr. Rec. Aqu. ceras. nigr. Flor. Til. Violar. ana ℥j. Naph. iv. Flor. cord. cinnam. bugl. ana ℥ß. Confect. Alkerm. incompl. ʒj. Julap. perl. ʒiij. M. D. ad Vitr.

De his quolibet bihorio, alternatim, duo porrigebantur cochlearia, cum interpoſitis quandoque aliquot cyathis infuſi Theeformis, ex ſpeciebus alexipharmaco-pectoralibus parati, ſubjuncta ſimul mixtura pro frequentiori externa tepida applicatione, ad omnem gangrænæ & ſphaceloſæ corruptionis metum eximendum. Rec. Rad. Angelic. Imperat. Scabios. ana ℥ß. Irid. Florent. ʒij. herb. Scord. Scabios. Hed. terreſtr. Capill. vener. ana Mß. flor. Scabios. Sambuc. Papav. rh. ana pj. Paſſul. mai. exacinat. ℥j. cort. Citr. Semin. Aniſ. ſtell. ana ʒjß. conc. & cont. M. D. ad Chart. Rec. Aqu. Calc. viv. ℥iij. Spirit. vin. rectificatiſſ. camph. ℥ij. Spirit. matrical. ℥j. M. D. ad Vitr.

Sub veſperam rediens, veſicatoriis apertis, iterumque debito modo deligatis, peſſima illa ſymptomata nondum mitigata deprehendens, iuſſi, ut cum medicamentis per noctem legitime continuetur, quibus, licet ea minus tranquilla, maximeque inquieta fuerit, id efficiebatur, ut die xxvIImo mane urina excreta, ſaturate & craſſe rubicunda, poſt aliquam temporis moram ſedimentum copioſum, ab initio cineritio-fuſcum, quaſi aduſtum, poſtea lateritium ſaturatum, depoſuerit, & ſudores, jamdum poſt mediam noctem leni cum madore inchoantes, calidi, per totum corpus æqualiter prodeuntes, non aquoſi, ſed tenaces ac viſcidi, cum maxima euphoria critice inſecuti, naturam, morbi tanti tamque atrocis debellati, victricem indicaverint.

Pro reficiendis ergo & roborandis summe prostratis viribus, & malignitatis reliquiis penitus tollendis, per aliquod adhuc tempus cum his medicamentis pergebatur, majoribus tamen interpositis horarum spatiis. Oculis autem externe frequentius tepide adplicabatur sequens collyrium, crustis cum penna anserina illitum, hisque successive decidentibus, visum quoque feliciter recuperabat æger. Rec. Aqu. calcis temper. ℥iß. Euphras. flor. Cyan. Calcatripp. ana ℥ ?. Trochisc. ophthalmic. Rhas. ʒß. M. D. ad Vitr.

Tandem, ut ulcera, adhuc tenue aliquod serum acre plorantia, probe mundificarentur, detergerentur & ad legitimum denuo consolidationis statum perducerentur (præmaturum enim ad talia accessum, ne ulla, a peripheria ad centrum, malignitatis retrocessioni præberetur ansa, citius suscipiendum haud securum fore judicavi,) sequentia ordinabantur medicamenta: Rec. Pulv. plumb. ust. Lapid. Cancr. ppt. Antimon. diaphoret. Bol. Armen. rubr. ana ℈j. Myrrh. elect. Aloës, Vitriol. alb. ana gr. VI. Mastich. Oliban. Sarcocoll. sangu. Drac. ana ℈ß. M. F. Pulvis subtiliss. Rec. Empl. de spermat. ranar. camph. ʒij. D. ad chart.

Posteaquam ulcera cum mixtura supra descripta tepide probe elota fuerunt, pulvis iste inspergebatur, emplastrumque desuper imponebatur, ab initio intra XXIV. horas bis, postea semel reiterandum, sicque successive, breve intra temporis spatium, legitima consolidatio, absque deformatione cutis, inducta fuit.

## SCHOLION.

Delineatam morbi speciem haud aliud, nisi catarrhale malignum, idque coagulatorium magis, quam dissolutorium, ratione exanthematum, purpuraceo-pustulari-vesicale ulcero-

rosum (*b*) lusisse schema, facile, ut spero, quilibet prudentiorum Medicorum mihi largietur, qui singula, in principio & incremento occurrentia, morbum alias a symptomatibus, pro circumstantiarum ratione variantibus, exacte distinguentia signa diagnostica attentius pervestigaverit & consideraverit. Complures equidem, in morbis acutis æque ac chronicis, cum exanthematibus, variæ magnitudinis, figuræ & coloris, extra cutim protuberantibus, cum pustulis & vesiculis, in ulcera quandoque degenerantibus complicatos casus, recensuerunt passim Auctores veteres æque ac recentiores: ita enim venerandus senex noster HIPPOCRATES (*c*): *Ubi æstu detento ulcuscula in ambitu livida, imbecillo existenti, eruperint, moritur*; alioque in loco (*d*): *Permagnos*, inquit, *æstus affatim & continenter compluit, idque ab Austro magis &cet. deinde vero in pustulas phlyctaenides erumpebant, iisque affines, quæ in ambustis fieri solent.* De Tonsillarum ulceribus scribit ARETÆVS (*e*) *Crustam vero circumveniunt, rubor excellens & inflammatio, dolor quemadmodum in carbunculo, & exiguæ raræque pustulæ, quas Græci* ἐξανθήματα, *vocant, orientes, hisque aliæ supervenientes, in unum coalescunt, atque inde latum ulcus efficitur.*

Varia pustularum & papularum genera, stylo perquam claro & elegante, delineat Hippocrates alter Latinus, Ciceroque Medicus *Aurel. Cornel.* CELSVS (*f*) *ubi reliquas*

Ll 2 inter

(*b*) Vid. *van* SWIETEN Commentar. in Boerhaave Aphorism. Tom. II. §. 723. pag. 397.

(*c*) Libr. de Locis in homine, Sect. IV. pag. 90.

(*d*) De morb. vulgar. Lib. II. Sect. VII. Cap. I. p. 73. Edit. Foesii in Fol.

(*e*) De Caus. & sign. morbor. acut. Lib. I. C. 9. fol. 7. Boerhaave Edit. in fol. Lugd. Batav.

(*f*) De Medicina Lib. V. Cap. 28. §. 15. & 18. p. 336. & 340. Edit. 1735. ab Almeloveen, Basil. 1748. in 8vo.

inter, in specie de pustula φλ ξ κο græcis dicta, hæcce adducit: *Paulo durior pustula est, subalbida, acuta, ex qua ipsa, quod exprimitur, humidum est, ex pustulis vero nonnunquam, & cum ulcuscula fiant, aut aridiora, aut humidiora, & modo tantum cum purigine, modo etiam cum inflammatione ac dolore, exitque aut pus, aut sanies, aut utrumque.*

Sic Juvenis cujusdam, per novem jamdum dies ægrotantis, in pestilentiæ gravis principio, totum corpus ulceribus, quæ prius exanthemata fuerunt, fluxisse, annotavit GALENVS (*g*). Febrem pestilentialem maculas, pulicum morsibus alias similes, aliquando etiam majores, proferre, ut vibices, seu livores flagellis inductos, referant, tumque deteriores esse; aliquando vero amplissimas, & integras partes, magnamque corporis partem, brachia nimirum, crura & dorsum occupare, imo ex ejusmodi ebullitionibus cutem in variis partibus elevari, cum rubore quodam, & tumores varios in cute, molles & latos, efficere, observavit *Lazarus* RIVERIUS (*h*), qui itidem (*i*) de febre maligna observata talia habet. *Die decimo septimo,* inquiens, *exanthemata & papulæ multæ, per universum corpus sparsæ, singulæ magnitudinis fabæ, colore lividæ, quæ cum cutim extimam excederent, carnem subjectam depascendo ulcera cava reddebant, proinde ac si ferrum candens illa inussisset.*

Porro pustulas, seu vesiculas pestilentiales, pisum majus aut fabam minorem ad summum æquantes, humore intus seroso, utplurimum citrino, imo livido, ad suppurationem inepto, modo plures, modo pauciores, annotavit doctissimus ETTMüLLERUS (*k*).

Illu-

(*g*) Method. medend. Lib. V. Cap. 12.
(*h*) Prax. Medic. de febre pestilent. pag. 140.
(*i*) Observ. med. morbor. infrequent. Cent. IV. Obs. III. pag. 290.
(*k*) Oper. Med. Tom. II. Prax. Lib. I. Sect. XV. Cap. 12. p. 643. Edit. in fol. Genev. 1736.

Illuſtris b. m. *Frid.* HOFFMANNUS, dum de varii generis puſtuloſis cutis affectibus agit (*l*), caſum quendam exponit, ubi ex repentina corporis exæſtuantis refrigeratione, die altero univerſum corpus, leviter inflammatum, puſtulæ cum inſigni dolore obſidebant, quas excipiebant exanthemata, inſtar Lichenum, tumque puſtulæ, in majores ſenſim veſicas coëuntes, quæ ob inſignem punctorium dolorem apertæ, ſerum plorabant lividum. Sic etiam Perilluſtris *van* SWIETEN (*m*) deſcriptam a celeberr. SYDENHAMIO (*n*) puſtularum cum febricula, per univerſum fere corpus, eruptionem, urticarum puncturas referentem, & nonnunquam in veſiculas elevatam, aliquoties ſe vidiſſe, teſtatur. Itemque (*o*) in Galliæ quadam provincia ex purpura graſſante illis, qui gravem huncce morbum ſuperabant, exanthematibus, prius in ulcera mutatis, totam fere exeſam fuiſſe cutim. Similiter quoque clariſſ. *Joann. Frid.* FüRSTENAU, ſub titulo *febris acutæ veſiculoſo-eryſipelaceæ*, caſum communicat (*p*), ubi multæ veſiculæ in toto corpore, maxime circa extremitates, adparentes, forfice apertæ, purulentam tenuem fuderunt materiam, cuticula deinde ſquamularum more ſecedente.

Verum, quamvis inter reliquas, modo a celeberrimis Auctoribus enarratas, cutaneas puſtularum, in veſiculas & ulcera abeuntium eminentias, HIPPOCRATIS *Phlyctænides*, & RIVERII in febre maligna obſervata *exanthematum ulcera cava*, propius exanthematicis ſpeciei noſtræ efflorеſcentiis accedant, has tamen non in univerſum cum gran-

 dibus

(*l*) Med. ration. ſyſtem. Tom. IV. Cap. V. Obſ. I. p. 224.

(*m*) Comment. in BOERHAAVE Aphor. Tom. II. §. 723. p. 401.

(*n*) Sect. VI. Cap. 6. pag. 353.

(*o*) Comment. in BOERHAAVE Aphor. Tom. II. p. 405.

(*p*) Act. phyſ. med. Acad. Nat. Curioſ. Vol. IX. Obſ. XVIII. p. 57.

dibus noſtris puſtularibus veſicis, in ulcera converſis, convenire, quivis ingenii perſpicacioris facile ex præmiſſis cognoſcere poterit, quod eo magis mirandum, cum febris cujusdam malignæ catarrhalis producta ſint, cui alias non proprium eſt, neque de eſſentia competit, ut exanthematibus ſeu petechiis (unde & *petechizans* alias dicitur,) ſit ſtipata. Quare, etſi morbum delineatum, ob tam immenſam, ſpithamæ longitudine, duorum digitorum transverſorum latitudine & altitudine veſicarum extenſionem, pro nova plane ſpecie venditare haud cogitem, pro rara tamen minusque crebro obſervabili habendum illum judico, quamquam lubens ipſemet fatear, quod, etiamſi complures deſuper Auctores ſedula manu verſaverim, nullibi talem reperire mihi contigerit. Vomitoria & antimonialia quidem, teſtibus ETTMüLLERO (*q*) & BAGLIVIO (*r*), in febribus ejusmodi malignis, ſive a contagioſa quadam, vel externa, vel interna cauſa productis, ſalutaria judicata, ex præſentibus ſignis indicantibus in principio applicata, non ſolum neceſſaria, ſed quam maxime convenientia & utilia eſſe, imo præ omnibus purgantibus, periculoſa ſæpiſſime & ſuſpecta ſymptomata poſt ſe trahentibus, tutiores magisque laudabiles effectus exſerere, paſſim fere omnes magnæ exiſtimationis viri Medici unanimiter confirmant, eo quod illorum ope partim ſaburra, in primis viis hærens, uno quaſi actu ejicitur & removetur, partim lymphatica catarrhalis materia, a contagio vel externo, una cum aëre, ſub inſpiratione communicato, vel intra corpus genito, magis ſpiſſa, viſcida & acris reddita, glandulis profundius inhærens, ex imis pectoris latibulis extricatur, adeoque, ſublatis binis iſtis cauſſis, ſummas alias, in progreſſu morbi, circa præ-

(*q*) Opp. Med. Tom. II. Prax. Lib. I. Sect. XV. Cap. VI. de febr. malign. pag. 608.

(*r*) Prax. med. Cap. XIII. pag. 142.

præcordia, anxietates & inquietudines producentibus, paulo majori quadam tranquillitate ægrotantes fruuntur, succedente hinc liberiori & magis æquali saluberrima transpiratione.

Præmisso vomitorio bezoardica statim sunt subjungenda, ubi duplicem febris malignæ speciem, alteram dissolutoriam, coagulatoriam alteram, pro varietate suæ causæ, distinctam etiam, per diversa alexipharmaca, medendi methodum postulare, extra omne positum esse dubium existimo. Ipsam autem genuinam horum remediorum differentiam optime demonstrat doctiss. ETTMüLLERUS (*s*), duasque in classes ea dividit, alia, inquiens, sunt volatilia salina macra, alia volatilia oleosa aromatica; hæc pro coagulatoriis, illa pro dissolutoriis febrium speciebus, destinata.

Hinc, cum nostra pro causa coagulatos potius humores, quam dissolutos, in sinu suo foverit, uti id ex symptomatibus, æstu scilicet non adeo intenso, siti minus urgente, mitiore capitis dolore, pulsu leni & tardo &c. colligere licuit, ad volatilia oleosa aromatica, ut humores viscidos & spissos denuo fluxiles redderent, sicque hi ita correcti ad motus vitales exercendos iterum apti evaderent, in principio & incremento utique confugiendum fuit, quibus, dum secundum clariss. ETTMüLLERUM (*t*) camphora, potentissimum utpote acidi subtilissimi corrigens, & Opium, subtilium particularum acidarum acrimoniæ, varias alias inquietudines & anxietates convulsivas inducentis, optimum temperans, conjungebantur, tanto facilius & felicius salutaris sic impetrari potuit scopus sanationis.

Ad statum vero properante morbo, sepositis volatilibus oleoso-aromaticis, viribus non amplius ea tolerantibus, cum solis fixis bezoardicis, interpositis analepticis, curatio perfi-

(*s*) Oper. med. Locis iisdem omnibus citatis, pag. 612.

(*t*) Lib. cit. loc. iisdem, pag. 609. & 610.

perficienda fuit; at, quod probe notandum, pro diversa circumstantiarum ratione. Cum enim descriptæ speciei status tam pertinax extiterit, ut, sub graviori, rigidæ instar columnæ, ægrotantis decubitu, (qualem in malignis febribus coagulatoriis, in Mosellæ tractu sæpius obviis, frequentissime observavi,) per octiduum in eodem tenore perseverante, in quartum usque septenarium sese extenderit, in quo Natura fere succubuisset, uti ex superioribus patet, ob alternativas gravium repente supervenientium symptomatum vicissitudines; utique hinc necesse fuit, ut, ad erigendos motus, ob vim ac diuturnitatem morbi & malignitatis vehementiam jam admodum labascentes, viresque hinc deficientes aliqua saltem ratione reparandas & excitandas, bezoardicis fixis pauxillum oleosi aromatici, cum analepticis tamen interpositis, jungeretur, quod etiam cum felici adeo successu factum est, ut, postquam nox proxime prægressa valde inquieta fuit, (juxta illud COI (u): *Quibus judicatio contingit, illis nox ante exacerbationem gravis est; quæ vero subsequitur, plerumque levior esse solet;*) die dein vigesimo septimo, (quem ipse HIPPOCRATES (x) reliquos inter, si in eo excretio quædam morbo conveniens contigerit, salutarem deprædicat, his verbis: *Sudores febricitantibus si inceperint, boni sunt tertio die, & quinto, & septimo, - - - & vigesimo primo, & vigesimo septimo, - - Hi enim sudores morbos iudicant. Qui vero non ita fiunt, laborem significant, & morbi longitudinem, & recidivas,*) perfecta crisis subsequeretur, per urinam & sudorem calidum, universalem, tenacem ac viscidum, sub pulsus exploratione cuti sensibiliter adhærentem, quem in plurimis morbis tanquam signum

(u) Aphorism. 13. Sect. II.

(x) Aphorism. 36. Sect. IV.

ſignum principaliſſimum felicis morbi ſolutionis, cum clariſſ. *Joh. Gerh.* WAGNERO, Medico Lubecenſi celeberrimo, habeo, qui (*y*) *raro enim certe*, inquit, *vel nnquam nos fefellit, ſi ſub hoc ſudoris charactere, & quando ille manum explorantem & per ſuperficiem corporis pergentem, visciditate ſua quaſi moratur*, - - - *bene agi cum ægrotis pronuntiavimus. Hæc etenim uti externe ſpasmum cutis, in compluribus morbis vigentem, ſolvi, Naturamque victricem craſſiores & morboſas ſanguinis & lymphæ particulas foras protrudere produnt; ita eo ipſo internarum maxime ſenſibilium partium præternaturales tenſiones, ſeu fibram nimis tenſam, ad juſtum tonum redire, indicant.*

Quomodo tandem ex febrilibus hiſce exanthematibus puſtularibus tam grandes veſicæ, vix non per totum corpus diſſeminatæ, coaluerint, omnium optime, explicat, Perilluſtr. *van* SWIETEN (z) hisceverbis: *Cum ergo in cute externa appareant exanthemata, patet in vaſis cutaneis illa hærere; adeoque utplurimum pro materia ſua habere aliquid, quod hæc vaſa tranſire nequit, ſed illa obſtruit. Poterit jam hoc fieri vel inſpiſſatis fluidis, vel conſtrictis vaſculis, vel per errorem loci, craſſioribus moleculis ingreſſis minorum vaſculorum dilatata orificia, per quorum fines tranſire nequeunt.*

Hiſce addo, quod illæ moleculæ, quæ ſtagnando, pro diverſo malignitatis gradu, tantam acrimoniam contrahunt, ut vaſcula ſubcutanea & fibrillas nerveas, mediantibus quibus cuticula, ſive epidermis, cuti ſubſtratæ affixa hæret, diſſolvant, vel, gutta guttam a tergo premente, ultra debitum elaſticitatis gradum vehementiori facta preſſione, indeque enata diſtenſione expanſiva, disrumpant, & poſtea, pro diverſa ſua intrinſeca craſi varie colorato impuro ſangui-

 nis

(*y*) Act. Nat. Cur. Vol. VII. Append. pag. 190. in not.

(*z*) Comment. in BOERHAAVE Aphor. Tom. II. §. 723. p. 397.

nis sero, ex glandulis subcutaneis exstillanti, locum tandem & spatium concedant, separatam a cute epidermidem in altum elevando, grandioribus hinc oborientibus vesiculis, quæ tandem, facta ruptura, in cutis ulcera abire debent, eadem ratione, sicuti in ambustionibus partium externarum fieri solet; quod eo minus in ejusmodi opificii hominibus mirandum est, cum toto die nil nisi crassos & fœtidos vapores oleosos, a lanis variis, hyemali tempore super fornacem calefactis, magis expansos, inspiratione, per os & nares attrahant, indeque accedente simul dispositione ad spissitudinem humorum, ob vitæ genus sedentarium, massam sanguineam variis modis adeo inquinent, ut gravissimi tales affectus maligni tandem inde oriri debeant, sicut in ejusmodi generis hominibus, ante aliquot annos, ulcus aliquod malignum fere cancrosum, in superiore oris labio obortum, itemque dysenteriam quandam particularem, in sex familiis grassantem, circa finem Augusti observavi, cujus historiam suo tempore communicabo.

(*Augusta Trevirorum Norimbergam missa, d. 17. Decembr. 1752.*)

## *OBSERVATIO LXXVII.*

## DN. D. JOANN. HERMANNI FÜRSTENAU

### *Febris biliosa acuta tertio demum mense funesta.*

Vir 50. fere annorum, habitus corporis plenioris, temperamenti cholerico-sanguinei, elapso vere hæmoptysin expertus, eadem cessante media æstate acidulas Pyrmontanas usurpavit, hinc prævia vehementi animi commotione nundinas Brunsuicenses petiit; ibi autem febre acuta continua correptus, per plures ex ordine septimanas

lecto

ecto affixus, præter V.Snem varia assumsit ipsi præscripta remedia alexipharmaca, cum regimine sudorifero, domumque tandem reversus plures capsulas, pulvere rhabarbari plenas, secum attulit, sed non æque frequenter degustavit, quin alia subinde medicamenta, aliunde commendata, neque prorsus incongrua, adhibuit, inter quæ blandum emeticum, a vicino Pharmacopœo oblatum, notabile ipsi levamen præstitit. Tametsi enim æger, domum ὀρθοςάδιος reversus, sibi in totum restitutus videretur, ciborum tamen fastidium perpetuum, nausea, inquietudo, vigiliæ & mentis inprimis alienatio ac memoriæ defectus, monstri quid alere ægroti propinquis sunt visa. Vocatus in ipso æquinoctii autumnalis die e vicinia Medicus, ægrum quidem sellæ insidentem, sermocinantem, frequenter sputantem, lectum reformidantem, inquietum, & dictorum factorumque brevi immemorem cum pulsu debili, deprehendit, indeque animi & corporis quietem non commendavit tantum, sed & media quævis, utrique conciliandæ paria, suasit & suggessit, pediluvia nimirum, potum sufficientem, maturum in lectum introitum, silentium, pulverem temperantem & emulsionem papaverinam. Sed omnibus licet curate satis observatis, nox tamen inquieta secuta est. Mane insequente V.Snem in pede, aliquamdiu reluctatus, tandem admisit, quam levis quidem lipothymia, hanc vero somnus placidus, quem aliquot retro diebus non vidit, excepit, a quo evigilans, belle valere & recte ratiocinari visus est. In ipso vero prandio, jusculo vix degustato, ciborum omnium fastidium sensit, uxoris tamen suasu vix una alteraque carnis assatæ buccella assumta, & modico vini hausto, mox ingenti inquietudine & præcordiali anxietate corripi & manifesto iterum delirare cœpit. Hinc abituriens Medicus ob oris quidem siccitatem, & nauseam simul perpetuam, alvique siccitatem, tincturam papaveris, bellidis, rosarum, & similia

ſubacida, pulveres nitroſos, abſorbentes & diapnoicos, potionem catharticam, ex tamarindis, manna, foliis ſennæ & rhabarbaro conſtantem, ipſumque rhabarbarum & eiusdem tincturam, ſal Sedlicenſe & ſimilia, ſuo quodlibet tempore & ordine adhibenda, ſuaſit, ſed malo indies aucto, neque ullo conſtanti levamine a medicamentis ſingulis, ſollicite adhibitis, apparente, urina licet per totum morbi decurſum cocta & cum copioſo & laudabili ſedimento oſtenſa, accedente tandem ſopore & delirio perpetuo, medio Octobri menſe vir integerrimus vitam cum morte commutavit.

## OBSERVATIO LXXVIII.

## DN. D. JOANN. HERMANNI FÜRSTENAU

### *Phimoſis ſectione curata.*

Quid Phimoſis denotet, nemini non conſtat, qui in evolvendis libellis & compendiis practicis & chirurgicis vel levem unquam operam impendit. Vno enim ore ab omnibus traditur eſſe nimia conſtrictio præputii, qua glandis denudatio impeditur. Aſt ubi cauſarum ſcrutinium inſtituendum & univerſa morbi hiſtoria juſto ordine recenſenda venit, ita frigide & perfunctorie id a multis fieri conſtat, juſta ut adſit ſuſpicio, a pleriſque affectum, minus viſum, ex aliena forſan relatione deſcribi. Quid mihi haud ita pridem acciderit, fideliter enarrabo.

Juvenis XVIII. annorum, data occaſione, & urgente neceſſitate a propinquis juſſus, pubem oſtendit vix lanugine tectam, mentulam autem tumidam & præputio glandi inducto arcte conſtrictam, & urethræ vix exitum relinquentem, una cum tuberculis in præputio & glande copioſe propullulantibus, ſimulque refert, liquamen ſeroſum & glutinoſum, modo albicans, modo fuſcum & ſubflavum aut

ſub-

subviride, ex urethra subinde extillare. Hæc uti originem mali clare indigitant, ita nihil factum est reliqui, quo eidem per interna & externa remedia quantocyus obviam iretur; Tinctura antimonii & succini, una cum infuso theeformi, pulvere temperante cum ossibus sepiæ & æthiope minerali indesinenter, pilulis vero mercurialibus singulis septimanis interne usurpatis; exterius vero aqua calcis vivæ cum spiritu theriacali camphorato, & saccharo saturni permisto, hinc & unguento nutrito, pompholyge, alumine usto, quin & mercurio præcipitato albo & rubro diligenter, & suo quælibet loco & tempore applicatis, non omissis sacculis & fotibus emollientibus & resolventibus, itemque ligaturis tuberculis circumvolutis. Sed licet nonnulla ex iis officium facere & exspectationi satisfactura viderentur, ægerque a gonorrhœa brevi liberatus satis belle degeret; malum tamen pertinax eisdem cedere constanter renuit, quin post bene longam temporis moram ad sectionem, quam æger una cum propinquis & adstantibus de die in diem distulit, deveniendum fuerit, qua demum facta, præputio nempe leviter & secundum longitudinem inciso, tuberculis autem minoribus æque ac majoribus, sub præputio in glande delitescentibus & accessionem medicamentis topicis supra descriptis denegantibus, forfice abscissis, & lapide infernali hinc per vices applicato radicitus extirpatis, hæmorrhagia vero modica utrobique succedente congruis remediis cohibita, ægrotus pristinæ valetudini in totum restitutus est. Ex quo elucet, phimosin, nisi conformatio quædam præternaturalis a prima forsan nativitate adfuerit, unice a seminio & contagio venereo originem ducere, & non nisi remediis antivenereis & mercurialibus, licet non salivandi scopo, per intervalla simul usurpatis cedere, eandemque, nisi malum forte recens valde fuerit, absque sectione vix ac ne vix quidem penitus auferri.

## *OBSERVATIO LXXIX.*

## DN. D. JOANN. HERMANNI FÜRSTENAU

### *Casus ab alto tertio die lethalis.*

Tragicum hunc casum, his ipsis diebus h. l. qui accidit, propterea enarrare juvabit, quod non minimum, ad pathologiam & praxin chirurgicam rite instituendam, inde emolumentum obtinere liceat. Juvenis xx. fere annorum ex summa ædium contignatione in pavimentum præcipiti casu lapsus, attonitus & motu omni sensuque destitutus tollitur, inde vero in hypocaustum delatus & lecto impositus, stertore & ejulatu, mactandorum suum, quem edere solent, fremitum exacte æmulante, per aliquot horas magnum adstantibus quibuslibet horrorem incutit, nullo ceteroquin vel vocis, vel sensus, vel motus cujuscunque, si tremulos et convulsivos artuum motus excipias, indicio, pulsu etiam neque in carpis, neque in temporibus superstite. Examinatis probe & lustratis omnibus, in capite tandem raso, prope os temporis sinistrum, manifesta sugillationis indicia apparuere; integumentis igitur cruciatim incisis & pericranio deraso, diu, sed frustra, læsus proprie locus quæsitus, indeque nullum constans levamen neque a V. Sne aut medicamentis internis ex arte exhibitis, laxantibus, cephalicis, temperantibus, antifebrilibus, neque ab externis fotibus, cataplasmatibus, emplastris & similibus, indesinenter applicatis, affulsit; licet enim æger per intervalla mitius malis suis affligi videretur, pulsusque, ab initio plane intermittens, interdum iterum micare in carpo, temporibus & in jugulo videretur, alvusque & urina inter jectigationes tandem, multis frustra applicatis, resferarentur, brevi tamen omnia rursus deteriora facta sunt, & motus inprimis convulsivi in latere sinistro adparuerunt, maxime vero rhonchi & stertores tertio a casu die iterum sunt aucti, ut,

extre-

extremis imminentibus, deligationem vix adornare ausus fuerit Chirurgus, donec, animo reassumto, sollicite omnia in cranio denudato perquirens, in osse temporali sinistro tria minuta foraminula, sanguinem, etiam spongia detersa, minimis licet guttulis transsudantia, & quasi in triangulo collocata, offenderet, indeque de trepanatione, sequenti mane in osse vicino administranda, consilium cum Medico iniret. Sed eadem vespera circa horam decimam, tertio a casu infelici die, juvenis antea robustus, vigens valensque, mundo valedixit.

(*Rintelio Halam missæ, d. 27. Januar. 1753.*)

## *OBSERVATIO LXXX.*

## DN. D. GOTTLIEB HENR. KANNEGIESSERI

### *De Spina ventosa.*

Humana machina, si vel solam structuræ elegantiam consideremus, licet reliquis corporibus naturalibus omnibus longe excellentior sit æstimanda, innumeris tamen fortunæ vicibus, variisque ægritudinum myriadibus illam deprehendimus obrutam. Nec enim plures humani corporis partes supputantur, quot illi modis morborum cohortes insultant, ut rectius atque ita melius inter Athenienses sagacissimi quondam legumlatoris, SOLONIS verba: πᾶν ἐςιν ἀνθρώποις συμφορὰ, toto suo genere calamitosam hominis conditionem effinxerint. Inter innumera ista mala, quibus mortalium genus a capite ad plantas solet discruciari, *spina* sic dicta *ventosa* tanta doloris acerbitate corripit membra, ut nulli etiam medicamini, nulli artificis infatigabilis labori & industriæ cedat, neque etiam amputato, in quo primam figebat sedem, ipso membro, profligetur & exstirpetur, sed acerrimum ejus venenum ad

venas ſerpat omnes, atque ſanguinem maligno miaſmate inquinando, totum corpus macie conſumat, ac partes vicinas eodem infeſtet modo, donec univerſa œconomia turbata & deſtructa corruat. Antequam vero ad affectus hujus conſiderationem nos propius accingamus, illud juxta Stoici Philoſophi, EPICTETI, monitum: ἀρχὴ παιδεύσεως τῶν ὀνομάτων ἐπίσκεψις, quum nominis perceptio ad ipſius rei cognitionem viam nobis faciliorem pandat, reali definitioni nominalem deſcriptionem jure meritoque præmittendam eſſe arbitramur. Ex divi enim PLATONIS ſententia, *nomina eſſentiarum vehicula, & veræ rei declarationes ſunt dijudicanda.* SCALIGER, *de cauſis latin. linguæ. Cap. IV. p. 7. I. Bellon.* THOLOSATVS *de argum. LL. Cap. 1.* Atque ita ad vocis hujus homonymiam quod attinet, ἄκανθος græcis omnem ſpinæ & cardui ſignificat ſpeciem. Veterum Romanorum *acanthus, cræpulam,* & *mamolariam* connotat. *Topiariæ,* etiam *herbæ,* quam latini *acanthum* nominare conſueuerant, ἄκανθου vel ἀκανθηςόπιας tribuunt nomen. THEOPHRASTVS ἀκάνθην Αἰγυπτίαν, arborem in Ægypto ſpinoſam indigitat; in ſenſu metaphorico ἄκανθαι, *piſcium aculeos, moleſtias,* & *ſceleratam carnis voluptatem* interdum ſignificant.

Diverſa hæc vocis ſignificatio noſtrum haud ferit ſcopum, quum de morbi ſpecie potius, dolorem acutiſſimum, ſpinæ punctioni non diſſimilem, comitem habente, in præſentiarum ſimus locuturi. Quemadmodum vero veteribus τὸ ὁμώνυμον πάχτος καὶ τοῦ ἀκάνθου *dolorem* ſive *moleſtias,* ventus autem *turgeſcentiam,* vel etiam ὑπερέκβασιν ὕδατος *humoris evagationem* ſæpe denotat; Ita moleſtiſſimi etiam morbi hujus denominationem a doloris & tumoris conſortio deſumtam eſſe cenſemus. Morbi hujus naturam per definitionem πραγματικὴν perveſtigaturi, ſpinam ventoſam, notabilem carnis inflationem, a nulla cauſa externa, ſed a ſola humorum prava conſtitutione enatam, & cum oſſium corruptione atque acutiſſimo

tissimo doloris sensu conjunctam esse, deprehendimus. *Paulus* AMMANNVS, spinam ventosam designans, asserit, quod sit abscessus corruptorius, aut sphacelismus ossium, non tantum circa articulos, verum etiam circa omnes alias ossium partes, eorumdem substantiam prius, quam periostium affligens, adultis pariter atque pueris familiaris, ab inflammatione ortum habens, interdum obtuso dolore, colore ossis mutato, nunc cum duritie, nunc cum mollitie ossium, & semper cum sanie tenuiore ac liquida apparens. *Acta Erud. Lips. Ann. 1706. p. 58. Acta Med. Berolin. Dec. 1. Vol. V. p. 60. 87.* Hic adfectus noster ossium quidem destructionem habet conjunctam; minime tamen cum carie proprie sic dicta erit confundendus. Etenim caries ossium utplurimum a causa violenta externa, periostium atque ipsam ossis substantiam graviter lædente, e. g. a contusione & medicamentis acribus rodentibus, &c. capit primordium: vel si a prava humorum, versus periostium congestorum, qualitate sumserit originem, dolorem quidem, tumorem atque inflammationem habebit sociam; ossis tamen corruptio non ab interioribus consurgit, sed a superficie externa lamellatim ad medullam usque procedit.

Atque ita differentia, inter ventosam spinam & cariem intercedens, in eo præcipue fundata est, quod illa a medulla & membranula, os intus circumvestiente, ducat initium, ac sensim sensimque per universam ossis substantiam ad externum periostium; hæc vero, nimirum caries, ab exterioribus ad interiora serpat. Rei hujus veritatem singula fere symptomata, adfectum nostrum concomitantia, declarant, atque certis indubitatisque signis confirmant. Etenim ante morbi ingressum, exterior corporis habitus plane in præternaturalem mutatur; sanguinis vero depravatione increscente, languor sæpius membra premit, atque molesta etiam debilitas corpus extenuat. Deinde membrorum juxta arti-

culationes, ossa intra carpi & metacarpi, vel tarsi & metatarsi, obscura, hebetata interdum, ( vid. BLEGNY *Zod. Med. Gall. 1681.* WEPFER *Obs. p. 921. 954. 958. Acta Erud. Lips. Anno 1705. 1706. p. 58. 59.*) & ad tactum non aucta doloris sensatio consurgit, quam, ætate non obstante, ægrotantes recte distinguere, vel sedem ejus indicare minime valent; & hæc doloris perceptio, in morbi principio magis occulta & per vices iterum remittens, inducias ita fallaces exhibet, ut lue hac infectos periculi imminentis sæpe imperterritos faciat.

Intra morbi illud stadium, periostium internum, cujus distractio & erosio dolorem istum obtusum efficiebat, jam perforatum deprehenditur. Non renitente tamen hoc, sensatio tristis ad tactum augeri minime poterat, integumentis quippe illæsis adhuc existentibus, impetus exterior ad periostium internum haud quaquam valet pertingere. Quemadmodum vero doloris acerbitas, a periostii erosione pendens, non perpetim continuat, sed per novos impetus afficit: Ita etiam crebriores ejus recursus, pro diversa humorum acredine, eorundemque velociori ad partem adfectam appulsu, plane dissimiles deprehenduntur. Quo igitur magis humores ab acrimonia recedunt, & eorundem circuitus languescit, eo mitiores quoque doloris cruciatus evadunt, majoremque requiem defatigatis largiuntur. Durante hac doloris vicissitudine, qua videlicet intestini cruciatus penitus transeunt, atque iterum revertuntur, humores acres, perforando, & quasi calcinando, ossa contaminata, una cum partibus vicinis, destruunt atque penitus evertunt. Hinc solamen illud, a doloris remissione speratum, cito transit, atque morbus nunc aperto prodit ore, novamque ludit tragœdiam. Tunc vero temporis in scenam prodit, ubi acris atque causticæ indolis materia ad periostium pervenit externum; qua recepta, tenuissimæ hujus mem-

bra-

branulæ vaſcula ultra gradum extenduntur, vellicantur & diſtrahuntur; unde cruciatus oriuntur atrociſſimi, atque carnoſæ etiam partes intumeſcunt, inflantur, & ab aëre quaſi diſtentæ apparent. Hanc partis adfectæ intumeſcentiam non in partibus tantummodo mollioribus carnoſis, ſed in ipſa quoque oſſis ſubſtantia collocandam eſſe, ſibi habent perſuaſum *M. A.* SEVERIN. *Pædarthrocac. Cap. IV. Petrus de* MARCHETTIS *Obſ. chirurg. edit. Batav. p. 168. Dominicus de* MARCHETTIS *Annot. p. 239.* Oſſa vero diſtenſionem in trinam iſtam dimenſionem recuſare, & conſequenter inflammationi neutiquam eſſe obnoxia, teſtatur SERAPIO, Medicus ſuo tempore inter Arabes celebri fama laudatiſſimus, *Breviar. l. XX.* Enim vero inflatio, ſive in parte molli, ſive oſſea contingat, non unam ſemper, eandemque ſervat faciem; ſed in uno ſubjecto mollis atque ſpongioſa apparet, in altero vero ſcirrhoſam duritiem ſæpe habet conjunctam; nunc magis revoluta deprehenditur, nunc vero ſerpit in latum; mox œdematis, atque iterum phlegmonis induit formam. *Georg. Abrah.* MERKLINUS *p. 288. Ephem. N. C. Anno VII. p. 142.* Dolor autem, in principio morbi non admodum vehemens & inſtabilis notandus, in progreſſu tales concipit furias, ut miſeris neque diu, neque noctu requiem permittat deſideratam; a ſua quoque vehementia non deſiſtit, donec in parte læſa perioſtium a corruptione pleniter conſumtum fuerit. Itaque peracta in quadam corporis regione perioſtii corroſione, latius ſeſe diffundit malum, atque putris materia, ex oſſe promanans, in mollioribus partibus inflammationem, & poſt brevem temporis intercapedinem ulcus excitat apertum, materiam fundens magis ichoroſam, graviter olentem, quam purulentam & bene coctam.

Talem in modum atrociſſimum illud malum ſuum capit primordium, progreditur & tandem ad ſtatum pervenit. Equidem pravam hancce oſſium conſtitutio-

nem, vel solis pueris, vel extremis ossium epiphysibus, ubi quippe ossa semper teneriora & molliora deprehenduntur, plerumque accidere, asserunt *M. A.* SEVERINUS, *in Pædarthroc. Cap. IV.* & *Petr. de* MARCHETTIS *Obs. chirurg. p. 168.* quia nimirum mollissimi & maxime succulenti sunt fines ossium longiorum, quæ cum aliis coarticulantur, raraque & accomodata est horum structura, ut succos advenientes pro nutrimento accipiant. Attamen morbi atrocissimi illud genus non solis articulis vindicandum esse, exempla prostant innumera. Sic ita spinam ventosam femoris relatam legimus, in *Act. Nat. Cur. Vol. I. Obs. 148. p. 318.* Ossium cranii, nasi, atque oculi orbitæ, palati & costarum ventosam spinam observavit WEPFERUS, *Obs. p. 119. 824. 953. 955. 183.* Claviculæ, tibiæ, dorsi vertebris, & superiori maxillæ supervenientis spinæ ventosæ exempla, passim & in diversis locis ab auctoribus notatu recensentur dignissima. *Ephem. N. C. Dec. II. Ann. III. Obs. 131. Acta Med. Berol. Dec. I. Vol. V. p. 54. Acta Erud. Lips. Anno 1699. M. Februar. p. 54. Ephemer. N. C. Dec. II. Ann. VI. Obs. 233. Nicolaus* FONTANUS, celeberrimus quondam Batavinus Medicus, patellam, & BENIVENIUS de *abdit. cap. 79.* ipsum coxendicis os, a ventosa spina exesum sese annotasse confirmant. Etiamsi ista locorum disparitas in medendo haud parum difficultatis adstruere, & sæpe, propter denegatum accessum, salutis spem despondere poterit omnem; juxta tamen diversum illud morbi stadium, ejus eventus inprimis erit discernendus. Primum enim stadium, ubi dolor obtusus tantummodo & occultus percipitur, facilius; secundum, quo integumenta jam tumefacta apparent, ægrius admittit sanationem; tertium, quo singulæ partes exulceratæ & destructæ deprehenduntur, medelam prorsus respuit omnem.

Ad causæ considerationem devoluti, primam eamque proximam tanti mali originem in humore pituitoso stagnante, acriter rodente, medullam, periostium internum, atque reliquas in profundo latitantes partes corrodente, easque in pessimi moris ulcus convertente, quærendam esse arguimus. Equidem humorum stasis & acrimonia non eandem semper efficaciam ad corpora exerit omnia; sed homines etiam temperie humorum prava scatentes, cachectici, scorbutici & rhachitici ab ossium corruptione omni haud raro immunes degunt. Propterea peculiare quoddam aliud acrimoniæ genus, magis in ossa, quam in reliquas corporis partes, sævitiam mordacitatis suæ acerbam exercens, subesse opinamur. Ossa nutriri, augeri, atque oleo tenui medulloso in decente flexilitate conservari, nemo ibit inficias; exinde vasculis nutrientibus, exilissimis licet, atque numeri indefiniti cellulis, illa exstructa esse requiritur; id quod non ratio solum evincit, sed inprimis etiam experimentum illud cum animalibus vivis tentatum, ossa quorum radicis Rub. tinct. comestione, colore rubro perfusa & eleganter tincta inveniuntur, suadet satiusque confirmat. Præter ossa, nullam reliquam corporis partem, radicis hujus esu tincturam suscipere, taciti quidem demiramur; rei vero hujus caussam in succo nutritio, per vasculosam ossis substantiam distribuendo, quærendam esse, nobis consurgit opinio. Etenim humidum nutritium, antequam minutissima ossium vascula ingreditur, ita est subigendum & distrahendum, ut cum suo receptionis subjecto proportionem nanciscatur debitam. Quo vero magis dilutus deprehenditur succus nutritius, eo potentius quoque in tinctoriæ radicis particulas secum direptas agere, illasque intimius potest dissolvere. Perinde accidere poterit, quod particulæ acres, viscedine adhuc obvolutæ, absque ulla corporis noxa intra sanguinis massam queant latitare; quam primum vero illæ ad vasculosam ossium

ſium ſubſtantiam apponendæ ſecedunt, atque partes inſuper viſcoſas in compedibus non tenent, vaſculis tenerioribus ſuam inferunt violentiam, hujusque mali prima evadunt origo.

Præ reliquis tamen ventoſæ ſpinæ obnoxios eſſe judicamus, quorum ſyſtema vaſorum validum, decentique robore non deprehenditur deſtitutum. Etenim vaſa quo valentiora exiſtunt, eo quoque majori efficacitate acredinem pituitæ inhærentem propellere, circumducere, minimisque vaſculis valent impingere; hinc ad ea etiam loca, in quibus ſegnior ſuccedit humorum progreſſus, ad oſſa nimirum, facilius pertingit. Ubi itaque in ſubjectis debilioribus, quibus rhachitide laborantes potiſſimum ſunt adnumerandi, teſtibus MAYOVIO & CHARLETONIO de *Rhachit.* vaſorum contenta haud fortius impelluntur, pituita neque diſſolvitur, neque etiam per univerſum corporis ambitum diſtribuitur; ſed primis utplurimum latebris ſeſe occultat. Equidem ſaburra viſcoſa primis impacta viis, corporis robore deficiente, ad vaſculoſam oſſium ſubſtantiam pervenire nequit; verum ad digeſtionem turbandam, humores gignendos pravos, cachexiam, variasque viſcerum obſeſſiones provehendas pollet efficacitate. Rhachitis, morbus Angliæ colonis frequentiſſimus, (conf. *Jacob* PRIMEROSIUS & SCHULTZBERGERUS, *it. Acta Erud. Lipſ. Ann. 1712. M. Sept. p. 417.*) oſſa præ reliquis corporis partibus afficit, eaque graviter deformat. At enim prava hæc ſolidarum partium conformatio, deſtructionem & corruptionem haud quaquam trahit in conſortium; ſed a deficiente & inæquali partium alibilium appoſitione, & hinc inde robore muſculorum prævalente, oſſa duntaxat incurvantur & deformantur.

Cauſſas inter præexiſtentes naturales, temperamentum calidum & ſiccum, humores viſcoſos impactos fortius impellendo, fomitem huic malo largiter ſubminiſtrare in propatulo

tulo est. Sequiorem sexum a sontico hocce malo, propter uteri atque mensium incommoda, non immunem prorsus esse, per experientiam constat. *Vid. Acta Med. Berol. Dec. I. Volum. V. p. 37.* Ob validiorem vero corporis habitum, fervidioremque sanguinis temperaturam, sexum nobiliorem huic morbo magis esse obnoxium, perinde habemus compertum. Ætas infantilis qua vasorum atque ossium textura semper tenuior est reperiunda, illud malum difficilius auget & admittit; & quamvis exempla prostent innumera, quibus spinam ventosam etiam bis pueros infestasse satius poterit comprobari (*a*); tamen præter *Paulum* AMMANNVM, *Marcus Aurelius* SEVERINVS, fomitem materialem a paterni seminis & menstrui sanguinis inquinamentis non repurgatis derivatum habens, soli ætati teneriori huncce morbum vindicare non dubitat, in *Pædarthroc. descript. cap. IV.* Ex causarum non-naturalium numero potulenta & alimenta, non debita quantitate & qualitate, vel injusto tempore adsumta, suppetias important repentinas. Præsertim vero potus acidus, vinosus ac spirituosus, cibique fumo indurati, sale conditi, vel aromatibus largiter conspersi, aut sanguinis massam condensando, aut ad orgasticum motum eundem concitando, multum omnino damni inferent. Aër vel nimis calidus, vel frigidus; motus excedens vel deficiens; somnus & vigiliæ, animique pathemata, sanguinis massam vel nimis fluxilem reddendo & fortiter impellendo, vel coagulando, suum etiam conferunt symbolum. Præter caussas istas naturales & non-naturales, etiam præter naturam obvenientes ad spinæ ventosæ γένεσιν haud parum contribuunt. Sic cachexia, lues venerea (*b*), scorbutus (*c*) im-

(*a*) *Vid. Ephem. Nat. Cur. Dec. II. Ann. IV. pag. 157. sq. Paulus* NEUCRANTZIUS *de Purpura pag. 532. Jo. Maur.* HOFFMANNUS *in Dissert. de Carie ossium.*

(*b*) WEPFERUS, *Obs. pag. 954. 955.* & *Act. Nat. Cur. Decur. II. Ann. V.*

(*c*) *Petrus* FORESTUS *Obs. chirurg. Lib. I. Obs. 14.*

immo etiam præpostera mercurialium applicatio (*d*), & in sexu sequiori fluxus mensium imminutus (*e*), intricato huic malo sæpe ansam præbuerunt. Quis denique mali exitus sit futurus, ex præcedentibus hactenus dictis haud obscure patebit. Etenim indomitum illud malum sponte sua, atque autocratia naturæ sola nunquam extirpare licebit. Neque etiam tantam acrimoniam demulcere, tam impactam & difficulter alterabilem pituitam dissolvere, & ex ossium vasculis, in quibus minimus & maxime tardus humorum circuitus succedit, eandem materiam eruere, non tantæ molis opus esse videtur; & quod maximum, servato vel amputato etiam membro uno, malum illud denuo iterum erumpit in altero. Quo igitur recentius deprehenditur, eo etiam mitius & sanatione facilius æstimandum.

Præter exactam mali hujus notitiam, certæ etiam quædam indicationes auxiliorum inventionem sæpe præbent facillimam. Ne labor igitur omnis studio vanescat inani, morbus quonam in gradu sit constituendus, inprimis erit expendendum. Etenim veram spinam ventosam sese diffundere, atque, uno osse corrupto, alterum quoque infestare, experientia confirmat quotidiana. Idcirco, morbo bene cognito atque plenius perspecto, membrum contaminatum, ne malum ulterius serpere queat, a parte sana removere, æque utile ac necessarium esse judicamus. Conf. *Petr.* HARDVINVS *de nova artuum amputandi ratione.* Quoniam vero atrocissimo isto malo discruciati, non raro vitæ jacturam libentius facere, quam diram ejusmodi medicationem admittere cupiunt, ea propter miseros, sanationis spe destitutos, non derelinquere, sed pharmaceuticis remediis, si iisdem morbum non radicitus extirpare valemus, tamen

(*d*) *Gabriel* FALLOPIUS, de *morbo gallico cap.* 76.

(*e*) *Act. Medic. Berol. Dec.* I. *Vol. V. pag.* 37.

tamen allevare & mitigare, manumque sic auxiliatricem porrigere debemus.

Quæ igitur præsidia e fonte pharmacevtico desumuntur, ad scopum triplicem sint directa; nimirum ut humores viscosi, intra primas latebras hospitantes, vel ad sanguinis massam translati, subigantur & extra corporis limites trajiciantur; deinde ut acrimonia infensa mitigetur & obtemperetur; viæ denique obsessæ reserentur, atque ossis corruptio invertatur & corrigatur. Primæ indicationi, decocta lignorum, quæ viscidum attenuando, obstructiones auferre, atque transpirationem insensibilem promovendo, sanguinis massam depurare valent, optime satisfaciunt. Conf. SCVLTETVS *in Armament. chirurg. Lib. II. obs. 83. Dan.* SENNERTVS *in Instit. med. p. 1319.* Neque etiam primarum viarum quisquilias leniter evacuantia, sociatis simul mercurialibus, utpote utrique correctorio & evacuatorio scopo inservientibus, sunt prætermittenda. Interim tamen haud raro solet accidere, ut atrocissimum malum remediis istis, summa licet cum prudentia adhibitis, cedere recuset; adeoque tunc, si ægrotus membri amputationem reformidaverit, pro reserandis viis obstructis, atque corruptione ulteriori avertenda, mercurialia, dosi paulo majori adhibenda erunt, donec viscidum acre per fontes salivales penitus fuerit excretum. Quemadmodum autem mercurialia, decenti tempore & ordine adhibita, in malo hocce intricato sæpius divinæ instar manus sese habent; ita perversa etiam eorundem applicatio proximam pandere solet viam ad superos. Proinde Infantes raro admodum ad salivationem sunt disponendi, tenellaque illorum corpora suscipiendo ponderoso hydrargyro & sustinendæ heroicæ tali evacuationi non semper idonea deprehenduntur. Præterea etiam, licet in provectioris ætatis subjectis salivatio longe facilius excitari queat, metuendum tamen est, ne particulæ mercuriales cum ipsa humorum a-

credine connubium ſubeant, & ad damnum inferendum potentiores evadant. Conf. *M.* DONATVS *lib. II. Cap. 12. Ephemer. N. C. Dec. III. Ann. V. Obſ. 172.* ALBERTI *Prax. extemp. Caſ. XVI.* Itaque magis opportuna æſtimatur iſta medendi methodus, quæ ſudore, quotidie per aliquot horarum ſpatium excitato, perficitur. Hæc medicationis ſpecies, ob teneriorem corporis texturam, & humorum defectum, licet in infantibus cum euphoria non ſemper adhiberi poſſit, in ætate tamen magis conſiſtente humores viſcidos egregie attenuat, ſique eodem tempore decocta lignorum frequentius & largiori in copia ſimul conjunxerimus, tunc utique, humores viſcido-acres attenuatos per hanc viam extra corporis limites ducendo, tutiſſimi ibimus. Neque etiam quæ foris ſolent applicari remedia prorſus intermittenda ſunt; proinde ſi non ipſum malum penitus auferri poterit, ad minimum, ut ſymptomatum vehementia mitigetur, quovis modo allaborandum erit. Hunc in finem varia cataplaſmata, ex lini farina, croco & ſapone Veneto, cum lacte dulci parata, item emplaſtrum de ranis cum mercurio, hujuſque generis alia, tumorem reſolvendi & dolorem mitigandi virtute inſtructa, in ſubſidium ſunt vocanda. Dicta hæc auxilia, ſi motibus effrenibus, relicta quamvis eorum cauſa, compeſcendis minus ſuffecerint, tunc ad potentiora, oſſis videlicet abraſionem, perforationem, & cauterii actualis applicationem erit confugiendum. Ubi vero etiam horum vis eluditur, tunc vel in membri exciſione, vel amputatione, ultima ſalutis ſpes erit collocanda. Conf. *Joann. van* HORNE *Microt. p. 139. & Aurel. Corn.* CELSVS *de re med. lib. VIII.*

*OBSER-*

## *OBSERVATIO LXXXI.*

## DN. D. GOTTLIEB HENR. KANNEGIESSERI

### *De Ulcere Telephio.*

Si in vocum natalitia paulo curatius inquirimus, tam abstrusæ quædam sæpius deprehenduntur, atque cœcis sese occultant latebris, ut ad illarum originem pervenire, si non plane impossibile, summæ tamen difficultatis plena res sit. Quemadmodum vero artium reliquarum magistri ferme omnes multis rebus nomina, harum naturam & proprietatem quadantenus designantia, interdum solent imponere; sic in Medicorum etiam scholis, morborum quorumdam denominationem ab aliis analogis & consimilibus rebus desumere, receptus & usitatus mos est. Atque ita *Epilepsia*, a *cadendo*, quia nimirum isto morbo correpti subito & improviso ad terram volvuntur, *caducus*; atque *Icterus, abictero,* ejusdem coloris ave, vel ab *auro*, metallorum rege, dicitur *regius*, variique rebelles & chronici morbi, ab Herculis fortitudine quasi prævalida & inexpugnabili, *Herculei* nuncupantur. Pariterque rem omnem immedicabilem & conclamatam, *Telephii*, vel *Chironii ulceris* nomine, ab Auctoribus practicis insigniri, habemus compertum. Unde vero & a quo consimili, vetus & decantatum illud adagium, originem desumserit, adhuc sub judice lis est. Juxta CELSI, Medicorum Ciceronis, effatum, *Lib. V. Cap. XXVIII. artic. ult.* ulcus omne magnum, oras duras, callosas & tumentes habens, ex quo non multa, sed tenuis exit sanies, *Chironium* vel *Telephium* nuncupatur; *odor malus, neque in ulcere, neque in ejus tumore ulla est inflammatio, dolor modicus est. Nihil serpit, ideoque nullum periculum adfert, sed non facile sanescit. Interdum te-*

*nuis cicatrix inducitur, deinde iterum rumpitur, ulcusque renovatur. Fit maxime in pedibus & cruribus.*

PLATO, Philosophorum Homerus, in *Axiocho*, rem qualemcunque arduam & innumeris difficultatibus plenam, *ulceris* nomine generatim his designat verbis: αλλη γεωργια γλυκης θηλον, αλλ᾽ ουχ ολον ως φασιν ελκος, αι ει λυπης προφασιν ευρισκομενον. Specialius vero ελκος χειρωνειον, *ulcus malignum ac sanatu difficillimum* indigitat. Quemadmodum etiam vocabulum τηλε, cum apostropho τῆλ᾽, *procul, longe*, & φαινομαι, *appareo, in conspectum venio*, dicitur; unde fortassis τηλεφον ελκος, ulcus, cujus sanatio procul vel longe abest, desumitur.

ARISTOPHANES, in *Acharnensibus*, de homine, præter nomen adscititium, egregio & præclaro, iniqua tamen fortuna divexato, hac utitur voce: καί τόι πρότερον γέπτωγενες Τήλεφος εἶναι φάσκον ἔν πηρίδιοις. Ita juxta Horatianum illud: *Telephus & Peleus quum pauper & exul uterque*, nostrum proverbium ad TELEPHUM, Mysorum regem, maxime quadrare videtur, de quo commemoratum legimus, quod Græcos, regionem suam pervadentes, aggressus, ab ACHILLE in femore fuerit sauciatus, quo vulnere post hæc sanari non potuisset, nisi eadem hasta, per quam ipse vulneratus, erat: egregie de hac re differens conf. *Paulus* ÆGINETA *Cent. XIV. Prov. 68.* TELEPHUM, *Herculis* filium, ex *Auge* Nympha progenitum, & a cerva nutritum esse traditur ideo veritati maxime videtur consentaneum, quod TELEPHUS, seu Τηλεφος, a voce ελαφος, *cerva* & θηλασαι, *lactare*, suam sortitus sit denominationem. Conf. APOLLODORUS *Lib. II. Cap. 7. §. 8.* HYGINUS *Fab. 99.* Vocabulum τηλεφον de herba vulneraria, αειζωον αγριον, *Portulaca agrestis* dicta, sæpius etiam usurpatur. CHIRONEM CENTAURUM, *Phyliræ* & *Saturni* filium, ab *Hercule* sagitta, Hydræ Lernææ cruore venenata, fuisse vulneratum, sibique

hoc ec

hocce ictu vulnus acerbum & immedicabile accersivisse, asserit PLINIUS *Histor. natural. Lib. XXV. Cap. 6.*

CRATINO & ACUSILAO perhibentibus, CHIRON, a parentibus quippe immortalibus progenitus, mori quidem nescius fuit, gravissimam vero doloris acerbitatem pertæsus a Jove efflagitavit & obtinuit, ut morti obnoxius redderetur. CHIRONEM ex continua corporis statione erecta, ulcus pedum insanabile contraxisse, asserit SUIDAS, *Cent. 14. Prov. 68.* Quibus tamen omnibus GALENUS *Pergamenus* vix ac ne vix adstipulatur, sed originem hujus parœmiæ, a CHIRONIS singulari in arte chirurgica dexteritate vult deducere, *de med. method. Lib. II. Cap. 2.* unde etiam κατα χειρα γενναιος, CHIRON est vocatus, quod iste solus & primus videlicet, inveterata, maligna & insanabilia ulcera sanare sciverit.

*(Kilonio Halam missæ d. 10. Februar. 1753.)*

## *OBSERVATIO LXXXII.*

## DN. D. FERDINANDI JACOBI BAJERI

## *Medicamenta fœtum pellentia vere confortativa.*

Monstra dari in medicina, & τȣ θεȣ admiranda vestigia in morbis sæpenumero acutis, quos casus ab alto inferre solet, conquassando vehementer partes non minus fluidas ac solidas, præsertim quando gravidæ lapsu præcipiti ruunt, & læsionem violentam, abortus periculo junctam, patiuntur, compertum habemus. Apparenter tale subiit uxor viri cujusdam honesti, vitæ stationem ordinate servans, muneris & negotii diligens, quæ ædes circa lucis & noctis confinium intravit, in quarum limine cellæ janua adaperta erat, ita, ut primo statim passu improvide pro-

funda petere cogeretur, ſcalis e regione diſpoſitis. Reſpectu abyſſi, ſaxis arenoſis ſtrati, ad minimum viginti pedum altitudinem emenſi, terrorisque immoderati, ſimul & ſemel fatis cedere potuiſſet; aſt, divina favente protectione ſurrexit, & ſollicite comitata domum rediit. Indeterminata hactenus latebat detrimenti calamitas, externa ſalva apparebant, præter hypochondrium dextrum dolorifice contuſum, ubi ſanguinis extravaſati veſtigia conſpiciebantur, lentique embryonis motus, ad ſextum usque menſem geſtati, percipiebantur. Tali rerum ſtatu nimium ſecura mulier ſola quiete & fotibus cum vino paratis, quos medicina domeſtica ſuppeditaverat, per triduum degebat, cum ſubitanea urinæ ſuppreſſio ac uteri ſubſidentia verſus os pubis præternaturale quidpiam portenderent. Ego accerſitus, adhibitis ſtatim variis aliis contra caſum comprobatis remediis, ne contraindicantia obtingant, venam ſalvatellam in manu ſiniſtra ſecare, dein pro ſublevanda iſchuria catheterem urethræ applicare jubeo, ex qua miculæ ſanguinis congrumati, maximo cum ægrotæ levamine, prodierunt. Poſtridie nulli plane motus & pulſus fœtui ſolemnes aderant, crebriorque mejendi ſtimulus & lipothymiæ matris rem conclamatam ſignificabant. Quare in gratiam prægnantis, quo citius onere morti proximo liberaretur, die XII. Septembris a. p. partum promoventia præſcripſi ſubſidia, cataplasma nimirum vinoſum e rad. dictamni albi, meu, leviſtici, herb. matricariæ, artemiſiæ, pulegii, ſabinæ, flor. liliorum alborum, calendulæ, & pulverem pro duplici præbio, quem hepatis anguillæ ppt. teſticulorum equi præpar. boracis Venetæ ℈ß. extr. croci gr. j. olei meliſſæ gt. j. conſtituebant. Nec defuit vehiculum congruum, aquæ flor. lilior. alb. artemiſiæ, pulegii, meliſſæ ſ. vino, addita, pro re nata, confectione Alkermes incompleta; aſt nulli parturiendi conatus ſubſequebantur, unde per noctem exhiben-

dam

dam suasi sequentem potiunculam: Rec. Aquæ flor. cheiri s. vino, artemisiæ ana ℥iß. hystericæ Augustanor. ℥j. Ægagropilæ subtil. pulverisatæ, succini albi præpar. trochiscor. de myrrha, nitri regenerati, ana ℈j. Syr. de cinnamomo ℥ij. Misceatur, deturque cochleatim. Sequenti die nihil versum atque mutatum fuit, nisi, quod ægra de borborygmis & alvi obstructione conquereretur, rogitans, ut symptomati urgenti occurrerem. Annui votis & ordinavi Massæ pilular. fœtid. Mesuæ gr. XII. salis volat. succini gr. ij. Extr. levist. gr. j. M. c. Ess. sabinæ F. pilulæ num. XIII. asperg. elæosacch. melissæ pro una dosi. Nulla exinde purgatio versus vesperam suboriebatur, quapropter stimuli causa inserviebat haustus, ex infusi laxativi Mannagettæ ℥iß. aquæ carminat. Schroed. ℥ß. Syr. de manna ℥ij. qui post bihorium scybala duriora, cum insigni flatuum copia, dejecit, ac iterata vice tantam attulit euphoriam, ut signa fœtus adhuc viventis manifesto patefierent, utero nonnihil versus superiora retrocedente. In maximam igitur spem, &, quemadmodum eventus docuit, verissimam adductus sum, ad justum usque partus terminum infantem fore superstitem, siquidem analeptica e fontibus pharmaceuticis & diæteticis petita præsidia optime profuerunt, donec sub finem Decembris ejusdem anni filiola sana beneque conformata lucem aspexerit, quæ adhuc vita & communi spiritu fruitur in dulce parentum solatium.

## SCHOLION.

Præclara veritatique maxime consona legitur sententia τȣ͂ πάνυ WEDELII Parentis, in Tractatu *de medicamentorum facultatibus cognoscendis & applicandis* Lib. II. Sect. II. Cap. VIII. pag. 193: *Quæ fœtum promovent, vel confortant naturam, vel stimulant & motum citatiorem reddunt,*

*vel*

*vel mitigant & nervosum genus solantur.* Accedit alvi pertinax adstrictio, cui remoram potissimum induxit sanguis congrumatus, ab impetuoso saltu supra descripto in intestinis passim collectus, qui tanquam reagens uteri molem nimia expansione versus inferiora propulit & motus foetui proprios sufflaminavit. Exturbata autem sic saburra tenaci & viscida, ac restaurato pristino uteri situ, foetus liberiorem movendi energiam obtinuit.

*(Norimberga Halam missa d. 23. Martii 1753.)*

## OBSERVATIO LXXXIII.

## DN. D. GOTTLOB CAROLI SPRINGSFELD

*De*

### *Rariore quodam Empyemate pectoris, sub quo materia saniosa per singularem canalem, serpendo versus dorsi spinam formatum, ad femoris usque musculos descenderat.*

Arcessebar, ut pueri cujusdam corpus dissecarem, quem, uti ex sermonibus adstantium percepi, febris lenta phthisica consumserat. Non interfueram consiliis, neque curationibus hujus demortui, adeoque nihil certi de ejus morbo & morte adducere valeo. Idcirco etiam, quod caussa, unde scilicet primus morbus ortum duxerit, mihi non satis fuerit perspecta atque cognita, malui nullam, quam imperfectam morbi historiam praemittere, contentus eorum commemoratione, quae in cadavere hac occasione detexi. Erat autem puer decem circiter annorum, animi, dum viveret, alacris atque vividi, corporis vero ema-

emaciati, exſiccati, paullumque diſtorti. Habebat enim ſpinam ſinuoſam, thoracemque ſiniſtrum alia ex parte eminentiorem dextro. Spinæ vertebræ, quæ lumbos formant, præcipue illarum decima tertia, (nam ſeptem illas, quæ cervicem conſtituunt, omittimus,) decima quarta & decima quinta naturali modo non conſtitutæ, ſed de locis ſuis ita emotæ reperiebantur, ut earundem poſteriores proceſſus, quos *ſpinoſos* Anatomici dicunt, non declives, ut ſolent, vergerent atque reclinarentur, ſed longe extantiores, & ad dorſi ſpinam magis recti eſſent, tuberque quoddam, quod *gibbum* ajunt, formarent, quamvis inferiores vertebræ magis efferri viderentur. Hoc vitium Græci λόρδωσιν nominant.

Dum manum eminentiori thoraci, ſiniſtro nempe, externe admoverem, in ejus cavo fluctuationem quandam ſentiebam, adeo quidem manifeſtam, ut pectoris empyema non ſolum animo præſagirem, ſed etiam adſtantibus, licet contradicentibus nonnullis, prædicerem. Infimus enim venter, propter inflationem & tumorem, quem præ ſe ferebat, fluidum peregrinum magis continere videbatur, vel potius mentiebatur, quam pectus. Diſſecta nunc cute, & ſeparatis rite muſculis, thoracem ambientibus, muſculi intercoſtales a fluido incluſo ita foras premebantur, tendebanturque ultra coſtas, ut parum abeſſet, quin rumperentur.

Facta dein, ancipiti ſcalpello, levi plaga, perforatiſque ſimul muſculis & pleura, intra nonam & decimam coſtam, eo loco, quo chirurgi pectus pertundere ſolent, dum pus ex ejus cavo educere volunt, erumpebat cum impetu materia multa, ſanioſa, modice craſſa, livida, mali odoris, colore & ſpiſſitudine vini fecibus ſimilis. Præcidi atque reclinavi ſternum, omneque ſiniſtri pectoris cavum repletum erat ejuſmodi materia feculenta, putri, quæ, priori effuſæ addita, quatuor fere libras pondo habebat.

Exempta hac ſanie, toti interno cavo pectoris, præſertim ſepto transverſo, adhærebat materia fuſca, fœtida, glutinoſa, priori multo craſſior atque tenacior, quæ Græcis μελίκηρα nominatur, & propterea ab altera ſaniei ſpecie, *ichore* ſcilicet, a CELSO (*f*) diſtinguitur.

Materia hæc ſanioſa ſaccum, vel potius canalem, ſibi fecerat, qui juxta ſpinam, ad corporum vertebrarum anteriorem ſiniſterioremque partem, & illo loco, ubi ſeptum tranſverſum cum vertebris cohæret, lumbos verſus deſcenderat, ſeparaveratque ita ſeptum a ſpina, ut extra peritonæum, ſuper muſculos, quadratum lumbarem, pſoam majorem & iliacum, ſub vaſis emulgentibus renis ſiniſtri, in opere illo peritonæi celluloſo, quod *duplicaturam* vulgo nominant, ſerperet; & deinde ad illud foramen, quo arteriæ & venæ iliacæ, mox femorales (*g*) dicendæ, una cum tendinibus muſculi pſoæ & iliaci ex abdomine egrediuntur, ſub illo arcu, qui ex tendine muſculi oblique externi, cui fibræ ex faſcia lata accedunt, fit, & ab inventoribus *ligamentum* FALLOPII vel POUPARTII appellatur, exiret. Proſerpſerat autem canalis ſemper in illo contextu celluloſo, quo vaſa modo memorata majora, tendineſque dictorum muſculorum comprehenduntur atque velantur, quippe quem ſibi ab eo, qui ſub peritonæo eſt, adſciſcunt. Hunc ideo WINSLOVIUS *alterum peritonæi proceſſum* dixit, quum illum, qui funiculum ſpermaticum comitatur, *primum* nominavit.

Verum nec hic terminus nec finis canalis hujus erat ulceroſi: progreſſus enim erat uſque ad muſculos femur veſtientes, præſertim ad originem muſculi cruralis, ubi ſaccum paullo ampliorem ſibi effecerat. Hic canalis a principio

(*f*) Libr. VI. c. 26. 12. 20.

(*g*) Illuſtr. *de* HALLER *Icon. Anatomic. Faſcic. V. crurales* primus merito *femorales* adpellavit. p. 16.

plo tres fere digitos erat latus: quo magis autem descenderat, eo propius ad se accesserat. Formaverat tamen circa decimam septimam octavamque vertebram, intra musculum Psoam majorem, & quadratum lumborum, diverticulum quoddam satis amplum, quod sanie illa crassiore ita repletum erat, ut etiam in regione lumbari, paullo infra costas spurias, foras promineret, atque externe videri ac tangi posset. Omnis autem canalis a materia saniosa, ibi collecta, fere ubique turgescebat.

Sed revertimur ad cavum thoracis, ubi id miratu dignum reperimus, quod omnis pulmo sinister tabe consumtus & peresus esset, ut pulmonis ne reliquiæ quidem extarent. Supererant autem principia bronchiorum, nec non vasorum majorum sanguiferorum, arteriæ scilicet & venæ pulmonalis, quæ, vix credibile est dictu! ceu rami detruncati, in summitate rursus constrictæ, denuoque clausæ, apicum digitorum instar, prominebant. Quæritur tantummodo, quid vasa illa majora sanguifera, sanie exesa, adstrinxerit, atque rursus consolidaverit, quum materia saniosa, qua ea immergebantur, tam acris esset, ut ejus acor etiam nares feriret? Quemadmodum incomprehensibile quoque est, quid fluxum sanguinis irruentis, & a vicino corde impulsi, impediverit? Simile spectaculum, & quidem patulis adhuc vasorum finibus, vidit Illustris *de* HALLER (*b*): *Morbum pulmonis,* inquit, *gravissimum vidi in homine, cui post lapsum & diuturnum languorem, pulmo sinister* (notes, sinistrum quoque pulmonem fuisse,) *totus evanuerat. Ejus loco multum viscidæ aquæ, subfœtidæ, concrescibilis, ad speciem albuminis, in pectore fuit. Aspera arteria, quod mihi ipsi, qui vidi, credo, alteri non nisi ægrius crederem, & vasa majora ar-*



(*b*) Programmate de morbis pulmonum. Gœttingæ 1749. §. VI.

*teriosa & venosa quasi resecta, patulo fine in pectoris caveam hiaverunt, ut sanguinis effluxum, quid moraretur, ægerrime invenires.* Num structura pulmonum spongiosa, qua irretita sunt vasa, ad ejusmodi remoram aliquid conferat? dicere non audeo.

Præterea omnis fere pleura, quæ costas & musculos tegit, erat derasa atque exesa: musculus intercostalis VERHEYENII, quem *costarum depressorem proprium* COWPERUS nominat, consumtus, & plurimæ costæ perioftio erant denudatæ atque carie infestatæ.

Alterum thoracis cavum perfecte erat sanum, neque in pleura inflammatio, neque in pulmone scirrhus observabatur. De materia etiam illa saniosa ne quicquam quidem in abdominis transierat cavum. In hoc enim nihil deprehendebatur, quod præter naturam erat, nisi quod coli intestini quædam pars, spithamæ longitudinem æquans, constricta atque solito angustior reperiretur.

Exenterato abdomine accuratius examinabam dorsi spinam, & sequentia animadvertebam. Exciderant processus obliqui articulares duodecimae (septem enim superiores cervicis uti jam monuimus, non numeramus,) vertebræ ita sedibus suis, ut processus, qui ex inferiori decima tertia vertebra consurgunt, posteriora versus moti, & super processus deorsum spectantes superioris duodecimæ elati conspicerentur. Quare & corpus vertebræ superioris ad tres fere lineas corpus inferioris transgrediebatur. Et, licet reliqua quatuor lumborum vertebrarum corpora intus solito inter se cohærebant modo; tamen eorum processus spinosi, quia cum superioribus consueto atque naturali non progrediebantur ordine, extus prominere videbantur.

Ulterius autem inquirere & spinam dividere mihi non licebat, quamvis multis precibus id efflagitarem. Quæritur, utrum luxatio, quæ quinque abhinc annos facta & male cura-

ta

ta creditur, hujus empyematis fuerit causa? an potius abscessus, seu empyema, ab alia plane diversa, cum tuberculo non connexa, ratione originem duxerit? an prima causa morbi non vertebris, sed pulmonibus tantum inhæserit? an contrarium obtigerit?

Minime incognitus esse potest Aphorismus HIPPOCRATIS (i) Ὁκόσοι ὕβοι ἐξ ἄσθματος, ἢ βηχὸς γίνονται πρὸ τῆς ἥβης, ἀπόλλυνται. *Qui gibbi ex asthmate aut tussi fiunt ante pubertatem, moriuntur.* Multum desudarunt eruditi in explicanda sententia hujus Aphorismi. GALENUS, optimus certe HIPPOCRATIS interpres, plurima gibbera ex tuberculis, vertebris ejusque ligamentis insidentibus, non solum oriri credidit, sed etiam, accedente inflammatione & verso pure in saniem, hanc denique in pectus & ipsum pulmonem ex metastasi destillare, tussim & asthma ciere, pulmones exedere, & tabem tandem, quæ hominem tollit, inducere ostendit. Quamvis adversus hanc interpretationem pugnent *Hieronymus* MERCURIALIS aliique, qui non vertebras, sed pulmones & diaphragma, tumores primum occupare, & dein, respiratione impedita, hominem incurvari, spinæ vertebras concuti, distrahi, emoveri & sic gibbera nasci contendunt: tamen celeberrimus quondam PLATNERUS, Præceptor meus fidelissimus, cujus manes adhuc veneror, GALENI sententiam ex *Marci Aurelii* SEVERINI, *Desiderii* JACOTII, *Jacobi* HOLLERII consensu, & propriis observationibus, cum in Dissertatione *de Thoracibus* (k), tum etiam in lectissima *commentatione, de iis, qui ex tuberculis gibberosi fiunt* (l), pro more suo, doctissime scilicet, defendit, & experientiis celeberrimorum virorum confirmavit.



(i) *Libr. VI. Aphor. 46.*

(k) §. XXIII. In *Opuscul. Tom. I. p. 139.*

(l) Opuscul. Tom. II. p. 208.

Certe, si quid ego in re tam ardua sentio, memoratum juvenis gibberosi, qui tabidus & ἔμπυος factus est, exemplum opinionem GALENI firmare, & susceptam PLATNERI defensionem probare videtur: quippe, quod praecessit, tuberculum, caussa, &, quae hoc consecuta est, tabes, effectus dici meretur.

Sed celebratur his quoque observationibus auctoritas atque fides Senis nostri Coi, qui certam mortem praedixit illis juvenibus, qui gibbi ex asthmate aut tussi ante pubertatem fiunt. Minime his vult dicere, asthma & tussim esse causam gibbi; sed gibbos, cum asthmate & tussi conjunctos, plerumque lethales esse. Indicatur enim his, materiam ad pulmones vel esse jam delatam, vel adhuc destillare; inde periculum & mortis metus.

Praeterea hoc exemplo non solum docemur, omnino fieri posse, ut materia purulenta, vel saniosa, in ejusmodi empyicis descendat ad inguina & femora, ibique suppurationes, abscessus, ulcera atque fistulas efficiat: sed cognoscimus etiam viam, qua materia fertur. Simile fere exemplum vel nuper mihi videre licuit in juvene, tuberculum in lumbis habente, cujus parentibus, HIPPOCRATIS auctoritati atque effato fidens, sinistrum praedixi exitum, qui etiam, ut per literas accepi, aliquot post mensibus secutus est. Scribit enim HIPPOCRATES (m): *Quibus infra septum transversum gibbus existit, nonnullis abscessus ad suppurationem tendentes circa laterum mollitudines & inguina diuturni ac curatu difficiles superveniunt, quorum neutri gibbum solvunt.* Eruditam &, ni fallor, justam hujus difficilis atque dubiae curationis rationem addit HOLLERIUS, in *Commentario* ad supra memoratum Aphorismum *46. Libr. VI. Solvuntur,* inquit, *gibbi in lumbis, aut per metastasin, aut*

(m) Libro *de Articul. Sect. XXXVIII. p. 794.* ed. Lind.

*aut per sympathiam. Per metastasin, si materia, quae gibbum faciebat, transferatur in partes ignobiles, vera erit solutio. Per sympathiam, ut si pus e lumbis demittitur in ilia, inguina, femur, crus, & illic efficiat novam suppurationem. Et hoc non est sanare, neque solvere, sed agere morbum.*

Trahuntur enim in consortium & afficiuntur praeter locum jam tentatum, adhuc aliae partes, id quod *per sympathiam* indicare voluit. His ita se habentibus, valde dubito, an in priori casu unquam cum fructu abscessus in femore se formasset atque aperuisset, quod alii, qui exitum materiae per hanc viam parari putabant, credere videbantur? Quare etiam dubito, an Chirurgia, qua pectus vulnere perforatur, & sanies, quae intus confluxit, effunditur, cum spe longioris vitae institui potuisset? Quaeritur solummodo, unde tanta materiae saniosae copia venerit, atque originem suam duxerit? certe a sanguine, ex vasis pulmonalibus sanguiferis exesis paullatim destillante.

(*Weissenfelsa Halam missa d. 17. April. 1753.*)

## *OBSERVATIO LXXXIV.*

## DN. D. JOANN. SEBAST. ALBRECHT

### *Pulveris scillitici compositi effectus singularis.*

Ab eo tempore, quo Scillae marinae crudae usus in praxi medica apud Germanos denuo frequentior esse cepit, circiter circa annum trigesimum hujus seculi (*n*) plures legimus observationes de salutari ejus effectu in asthmate, tam convul-

(*n*) Vid. D. *Henr.* SCHULZII Praelect. ad Dispensat. Reg. Brandenb. p. 264.

vulſivo, quam humoroſo, pituitoſo (*o*), mea quoque praxi qualicunque confirmatas. Quoniam vero ſuperiori anno ſingulare aliquid circa ejus effectum, in ſubjecto nobilioris ſexus, cachectico, obſervatum fuit, operæ pretium eſſe putavi, illud cum publico communicare. Erat vir annorum ultra ſexaginta, rationibus ſubducendis a juventute addictus, ideoque vitæ ſedentariæ adſuetus, mediocris ſtaturæ, habitus corporis magis carnoſi, quam pinguis. Proxime antecedente anno 1751. confligandum illi fuit cum ſcorbuto, qui non ſolum gingivas exeſerat adeo, ut omnes dentes vacillarent, & plura ulcera, aphtharum forma, in ore apparerent, ſed tandem etiam diutius perſeverantem paralyticam linguæ debilitatem & ex hac difficultatem loquelæ reliquerat. His malis devictis, anno ſequente 1752. ſucceſſive cachecticus & œdematoſus tumor, ſub initium veris, pedes occupavit, cum urinæ excretione parciori, qui ulteriori progreſſu ultra genua & femora in hydropem tympaniticum, cum maxima ſpirandi difficultate, increvit. Hæmorrhoidalem fluxum vel nunquam, vel inſcius expertus eſt, motus autem hæmorrhoidales jam ante plures annos, ſed tranſitorios ſaltem, in hoc ſubjecto obſervavi. In hoc rerum ancipiti ſtatu ſalia digeſtiva, infuſa aperientia & pituitam reſolventia, gummoſa, interpoſitis tonicis, carminativis externis & internis, nec non diuretica, nihil proficiebant. Sudoriferorum uſus, ob ſpirandi difficultatem & inde ortam erecte ſedendi neceſſitatem, non poterat urgeri. Ipſo quoque auro fulminante fruſtraneo conatu exhibito, inter tot calamitates commode in mentem mihi venit pulveris crudi ſcillitici compoſiti uſus, in *Diſpenſatorio Reg. & Elect. Boruſſ. Brandenb. a Fagino 1734. edito p. 160.* deſcriptus & a celeb. SCHUL-

(*o*) Commerc. litt. Noric. 1737. p. 105. 114. ſeq & pluribus aliis. it. laudati celeberr. quondam SCHULZII Diſſ. ſiſtens Scillæ marinæ examen chemicum. Halæ 1739.

SCHULZIO aliisque commendatus, nec non propria experientia confirmatus. Sed in fegniori hoc fubjecto fperatum eventum non licebat obfervare ; itaque aufus fum, (nihil enim in hiftoria morbi diffimulandum eft,) fequentem pulverem exhibere, cum fubjuncto potu copiofiore juris carnis macilenti: Rec. Pulv. rad. Scill. crud. gr. vij. Vincetox. Pimpinell. alb. Bryon. ana gr. iv. Nitri puriff. gr. v. M. F. Pulv. pro una dofi. Terrore obftupui, cum poft paucarum horarum intervallum invenirem ægrotum, comitante vomitu, vehementi febri correptum, turbatis fimul mentis operationibus. Sed oblata fubinde potiuncula, ex Conch. Citr. Lap. Cancror. nec non Pulvere epilept. March. cum aquis analepticis & diapnoicis parata, fpe citius terror evanuit. Nam æger a meridie, alvo foluta largius, fomnum tranquillum diuturniorem experiebatur, poft quem febris non folum penitus ceffavit & mens rediit, fed tanta urinæ copia profluxit, ut intra XXIV. horas non folum omnis in toto corpore tumor difparuerit, fed, quod mirandum magis, æger viribus, reftituto nunc appetitu, poft paucos dies auctioribus, munera demandata & confueta denuo fubire & equo vectus, inter illa, agrorum fructibus pro copia menfe Julii decimandis intereffe potuerit.

Humidam, ob largiores continuas pluvias, hujus æftatis apud nos non folum, fed etiam in aliis Provinciis, temperiem, crebrioribus exundationibus noxiam, nemo non recenti recolit memoria, ob triftes effectus, quos reliquit. Hæc humida aëris conftitutio & ægri indulgentia palati intempeftiva, nec non prægreffus affectus fcorbuticus paralytodes, forfan primariæ fuerunt caufæ, quod relaxatus nimium fibrarum tonus non æque potuerit reftitui, quin potius æger nofter menfe Septembri coactus fuerit, trifti fato, priora mala omnia denuo experiri. Ægrotus, effectus hujus pulveris falutaris adhuc memor, ipfe auctor erat, ut

ejus usum revocarem, non metuens symptomata, quæ terrorem incusserant. Accedebam votis, exhibito pulvere eadem omnia sequebantur, tam terribilioris, quam salubrioris effectus phænomena, ea tamen differentia, quod vires non omnino, sed parcius & lente redierint, quoad reliqua autem ita valente ægro, ut munere fungi potuerit mandato, usque ad mensis Novembris initium, quo pedum tumor denuo ortus successive augmenta tanta capiebat, ut alvo obstructa & urina parcius fluente, tympaniticus abdominis tumor in priorem molem incresceret & asthmatis magnitudo omnem decubitum in lecto denegaret. Viribus sic magis magisque fractis, consultum non erat tertia vice periculum hujus pulveris heroici facere, sed potius redeundum erat ad mitiora. Ut tamen desiderio ægroti annuerem, dimidiam pulveris superius communicati partem per aliquot dies adsumendam quidem dedi, sed sine omni effectu. Clysteres carminativi, leniter stimulantes, vix quidquam levaminis afferebant. Auri fulminantis secundæ præcipitationis tria grana alvum quidem aperiebant, sed abdominis tumor non imminuebatur. Ne denique quid facile accideret, quod calumniandi occasionem malevolis posset præbere, Pilularum gummosar. balsamicar. usu, interpositis pulveribus digestivis salinis, cum lumbricis & millepedibus mixtis, decocto baccar. Juniperi tostarum, non neglectis carminativis, res agebatur usque ad finem. Quibus subsidiis levamen quidem malorum concessum misere ægrotanti, sed nulla medela, donec mors placida tot malorum fecit finem die XI. Mensis Martii, tot noctibus ardentissimis precibus ab ægroto efflagitatum.

(*Coburgo Halam missa d. 21. Junii 1753.*)

# *OBSERVATIO LXXXV.*

## DN. D. SALENTINI ERNESTI EUGENII COHAUSEN

### *Atrophia Luem veneream excipiens, fonte Selterano, lacti nupto, curata.*

Maximo quidem Hiſpaniæ commodo incognitas illas Americæ plagas detexit & ingentes theſauros in Europam traduxit immortali nomine dignus *Chriſtophorus* COLUMBUS, ſed ut nulla felicitas perfecta eſſe ſolet, nec roſa ſine ſpinis, nec mel ſine aculeo: ita ejuſdem itineris ſocios ſimul infeſtiſſimum corporis humani hoſtem, contagium ſcilicet fœtidiſſimum, maligniſſimæ & deteſtabilis antea in Europa incognitæ Luis ſic dictæ venereæ, ſecum detuliſſe ex Hiſtoria conſtat. Lues hæc ex Hiſpaniola ad Hiſpanias devecta ante annum 1495. a militibus Hiſpanis, qui ſub *Gonſalvo Fernando* meruere, in Italiam ad Gallos & Neapolitanos Venere vulgivaga ita ſenſim traducta fuit, ut nunc fere nulla Natio ab hoc contagio libera eſſe videatur. Confer. ASTRUC *de morbis venereis Lib. I. cap. X. p. 61.* Celeberr. *Roſinus* LENTILIUS, ejuſmodi Laſtaurorum & olidiſſimorum Hircorum infenſiſſimus hoſtis, quondam luem veneream magis ſaltem familiarem clarioris & lautioris ſortis hominibus, *pour les hommes de condition,* hodie vero Cerdones & Bajulos frondibus illis coronatos incedere indignabundè conqueritur in *Eteodromo med. pract. pag. 898.* quod etiam veriſſimum eſſe quotidiana eheu! Clinicos nimis frequenter docet experientia: Similis enim inter plebem, quemadmodum inter majores, eſt petulantiſſima laſcivia, ut quaſi ſine lege, ſine metu paſſim luxurietur, hac ex ratione tot morboſos lumbifraga Venere enervatos, emaciatos,

imberbes (*p*) ac præmature impotentes redditos, in sterili matrimonio viventes, videre licet, imo & ipsa licentiosa juventus, vix ad Venerem potens, ea didicit, & proh dolor! frequenter exercet, *ad quæ charta rubet, quæ scribere penna recusat.* Quot eheu! ex his peregre profecti, reduces pro doctrina reportant venereum virus, pro conditis moribus turpissimam & spurcissimam gonorrhœam, dolorosissimis symptomatibus stipatam, cumque in justo matrimonio licita Venus prolem procreare deberet, effœtum & miasmate venereo coinquinatum semen in feracem quidem uteri agrum effundunt, sed aut nullam, aut imbecillem & morbosam progeniem uxor innocens haud infrequenter concipit, aut rebellem fluorem album, genitalium excoriationem, dolorem urentem & ardentem, quin morbum ipsum gravissimum, vix potentissimis remediis domabilem, ex matrimoniali concubitu reportat, & gravissime pruritus sui poenam luit, ut hoc observans Vir quidam prudentissimus, aliquot filiarum pater, non per jocum, sed serium omnino ceperit consilium, se filiam suam nulli in matrimonium collocare velle, nisi prius viderit procum potenti & non interrupto tractu ad murum copiose & celeriter mingere; talis enim mictio tum potentiam priapi, tum sphincteris & ipsius vesicæ, tum nullum in urethra impedimentum latitare, aperte & solide testari, indeque concludi posse opinabatur, saltem moralem certitudinem nullius absconditi mali adesse: ii enim, qui tardius mingunt, cum ingenti sæpius conatu, lotiumque tenuissimo fluxu, instar fili, emittunt, ac virgam manu premendo illud exprimere coguntur, plerumque a contagio venereo gonorrhœam contraxerunt, quæ caruncelas quasdam, urinæ effluxum præpedientes, utplurimum relinquere solet, & fere infallibile testimo-

(*p*) Vid. *Eustachius* RUDIUS *de morbis occultis venenatis, Libr. V. Cap. 8. p. 168.*

monium perhibet latitantis vitii, ſuccubæ mulieri ſemper ſuſpecti & periculoſi.

Hos iner referendus etiam erat juvenis quidam vir, aliquot ultra triginta annorum, qui vaga & illicita Venere cum ſpurciſſimis proſtibulis enormiter debachatus fuerat, indeque ſæpius gonorrhœam contraxerat, quam repetita catharſi, & reiterato coitu cum puella imaginarie non infecta (nam in Medicina facienda haud raro in tales laborantes incidimus, qui a mulieribus fuerunt infecti & male habiti, quas ab hoc morbo alieniſſimas imo Penelopes eſſe putabant, ) mitigare ac remediis ſtypticis ſedare allaboraverat. Hic ante paucos annos iter in Bataviam ſuſceperat, ibique vehementer admodum & unice quaſi Veneri litaverat, unde non ſolum gonorrhœam perquam malignam, bubonibus ceteroque comitatu ſtipatam, acquiſiverat, ſed quoque venereum ſubtile virus, ad maſſam ſanguineam copioſius delatum, omnes humores adeo inquinaverat, ut morbus ipſe graviſſimus, cum ingenti multorum ſymptomatum ſyndrome miſerum hunc diu noctuque torqueret. Variis equidem uſus fuit remediis, a chirurgis, imo tonſoribus & agyrtis (pudet enim tales revelare Medico, quod committere non horruerunt,) ſubinde præſcriptis, nec prætermiſſa fuit ſalivatio per Draconem mitigatum ſuſcitata, quibus etiam graviora & urgentiora ſymptomata mitigata fuiſſe credebantur; ſed remanſerunt graviſſimæ reliquiæ, & inter has inprimis continuo torquens, omnem quietem tam de die, quam de nocte tollens ſenſuſque ſingulos inſigniter debilitans cephalaea. Incaſſum hinc tentatis pluribus remediis, modo cum, modo ſine ratione exhibitis, meam tandem ægrotus hic quæſivit familiaritatem, & poſtquam alio ſub prætextu aliquoties timide me inviſiſſet, tandem de capitis ſui continuo dolore oſteocopò intolerabili querelas movebat amariſſimas, caliđiſſimis lacrymis comitatas, addens ſimul, ſe poſt ingentes

 fru-

frustra impensos sumptus ad obeunda sua ulterius officia & commercia plane fere incapacem redditum esse, ac insuper denique justam, quam causæ habeat, suspicionem, scilicet vagæ Veneris abusum, ac inde contractum morbum gallicum, nunc tamen, ut opinabatur curatum, revelans. Enarratam ergo historiæ & symptomatum seriem excutiens & mecum ruminans, Venerei miasmatis reliquias multas adhuc in corpore latere, nec sufficienter expurgatum vel correctum illud esse, ex compluribus circumstantiis deprehendebam; hinc primariam indicationem eo dirigendam esse adserebam, ut illud virus corrigatur ac penitus removeatur, quo obtento singula molesta symptomata, tanquam malæ radicis producta, per se cessatura audacter pollicebar. Placuit ægroto, qualecunque tantum solamen anxie flagitanti & speranti, hocce ratiocinium, atque idcirco consilium etiam urgebat therapevticum. Cum autem habitus satis carnosi, simulque plethoricus & robustus esset, largam in pede venæ sectionem institui jubeo, quam excipiebat catharcticum lene hydragogum, quibus peractis ad virulenti istius miasmatis, undiquaque adhuc per corpus diffusi, correctionem & remotionem me accingebam. Bene autem perspiciens, quod per ptyalismum mercurialem, ab aliis jam tentatum & per plures dies continuatum, hic finis obtineri non potuerit, aliam viam ingrediendam esse judicabam, idque magis, cum virus hoc summe activum & admodum multiplicativum in oleosis ac gelatinosis humorum partibus præcipue delitescere & obhærere vel exinde maxime persuasus sim, dum harum resolutione & colliquatione majori optime pestifera illa venerea lues tollitur, testantibus id vel ipsis Americæ incolis, quibus, referene THUANO *Histor. sui temporis Lib. 71.* endemia & maxime familiaris illa est, quique tali inprimis ratione ab ea liberantur, dum a decima hora diei usque ad secundam pomeridianam ardentissimo Soli ægri se exponunt, ac ita depravatum & inquinatum habitum desiccan-

ſiccando exhauriunt; cui methodo pariter hinc inſiſtit celebris quondam Batavorum Æſculapius, BOERHAAVIUS, (*q*) imo ante illum eandem jam obſervavit clariſſ. HUTTENIUS, dum acri decocto ligni Gvajaci fere ſolitarie adhibito miaſma illud ex humoribus optime tandem extricari & e toto corpore proſcribi poſſe demonſtravit.

Exhibui itaque ægrotanti meo, ſub diaphoretico regimine, cum tenuiſſima diæta ( circa quam omnia pinguia & quæ copioſum nutrimentum ſuppeditant, exulare juſſi, ) ſaturatum ligni Guaiaci & radicis Sarſæparillæ decoctum, in quo ante prandium & cœnam convenientem Tincturæ metallorum doſin quotidie adſumſit; decoctum autem ſecundarium pro potu ordinario conceſſi, utque ſudorem exinde prodeuntem in lecto probe obſervet, ſerio injunxi, ac tandem ad ſubducendam alvum (quæ ſegnior ſub tali regimine eſſe ſolet,) ſubinde pulpam caſſiæ cum mercurio dulci exhibui, aliquoties etiam enema injici curavi. Valetudinis ſuæ cupidus ceterumque prudens ægrotus his omnibus ad amuſſim ſe præſtabat obſequioſum, ſtrictiſſimamque per aliquot hebdomadas non tantum obſervabat diætam, ſed quoque præſcriptum decoctum cum Tinctura horis medicis adſumebat, & pro tollenda ſiti ſecundarium, fiducia plenus, avide bibebat. Elapſis aliquot, ſub tali regimine, diebus, floridior faciei color palleſcere imo albeſcere incipiebat, rubini in facie efflореſcentes desquamabantur, frontis corona exanthematica& naſi rubor diſparebat, carnoſa corporis conſtitutio flacceſcebat, compages extenſior marceſcebat, æger, ceteroquin robuſtus & vegetus, debilis evadebat; hæc quidem omnia in principio ex eo parum curabantur, quoniam ſymptomata, ad quæ tollenda omnis Therapiæ intentio collimabat, indies mitiora reddebantur, inprimis autem vehemens illa

(*q*) Vid. Ejusd. Præfat. ad Aphrodiſiacum.

illa cephalalgia ſenſim tolerabilior fiebat, tandemque plenarie ceſſabat. Sub hiſce autem circumſtantiis licet appetitus adhuc conſtaret, carnoſa tamen & muſculoſa corporis ſubſtantia indies magis magisque diſparebat, calor in membris, in ore ſiccitas perſentiſcebatur, ſudores inſuper nocturni colliquativi, urina rubra, pulſus quaſi febrilis & juſto celerior, ſitis continua, cum deficiente nutritione, notabantur, ut qui eum conſpiciebant, omnes fere de præſente vera hectica ſuſpicionem moverent, quam ipſe etiam æger ſubeſſe & mortem hinc certiſſimam adpropinquare verebatur, ac idcirco auxilium medicum ulterius ſollicite implorabat. Modo enarrata ergo ſymptomata & circumſtantias omnes attente conſiderans & ponderans, has ulterius formabam indicationes: humorum æſtum contemperandum, acrimoniam eorum corrigendam, lympham deficientem laudabilem in ſanguinis maſſa reſtituendam, partiumque ariditatem & rigiditatem emolliendam & relaxandam eſſe. Hiſce ergo intentionibus compendioſe ſatisfacturus, aquam Selteranam, lacti nuptam, optime profuturam & certo ſatisfacturam eſſe arguebam; licet enim, teſte Illuſtri Hallenſium Machaone, *Frid.* HOFFMANNO, *in dem Bericht vom Selter-Brunnen, Cap. I.* §. *15. p. m. 21.* omnes aquæ ſoteriæ, ſive calidæ, ſive frigidæ, tam ob immixtam terram calcariam, quam conjunctum principium ſalinum ſpirituoſo-minerale, venerea Lue vel gonorrhœa laborantibus noxiæ eſſe deprehendantur, aquam tamen Selteranam, præcipue lacti commixtam, tuto & commode talibus exhiberi poſſe ipſe concedit, ejusque veritatem uſus me docuit. Intrepide igitur jubebam, ut aquæ Selteranæ partes duas, cum una lactis caprilli parte remixtas, mane in lecto a dimidia menſura usque ad unam & dimidiam ſenſim aſcendendo, per ſex ſeptimanas potaret; ad ſubjugandum prædominans in primis viis acidum, æſtumque præternaturalem, nocturno tempore inprimis affligentem, magis

tem-

temperandum, circa noctem pulvifculum abforbentem ex nitro, lapid. Cancr. matre perlar. & magnefia alba porrigebam; ad reftaurandum ftomachi vigorem & promovendam chylificationem, ante prandium & cœnam de Elixirii ftomachici temperati (quod in Difpenfatorio Viennenfi p. 79. defcriptum extat,) cum anatica portione animæ rhabarbari convenientem dofin exhibebam. Hoc igitur medicationis genus cum non ingratum deprehenderet, juxta præfcriptam methodum diligenter & accurate obfervavit, elapfoque vix primo octiduo ingens ftatim percepit levamen; fenfim enim illa oris & linguæ ficcitas, molefta fitis, æftus internus fudorque colliquativus evanuerunt, floridus in facie rediit color, tranquillior fucceffit fomnus, aridus corporis habitus mollior redditus fuit, membrorum omnium facilitabatur motus, augebantur indies vires, ac poft accuratam per fesquimenftruum fpatium horum remediorum continuationem in integrum per Dei gratiam reftitutus comparebat, congratulantibus ipfi & applaudentibus de eo cognatis & amicis, qui brevi ante pro mortis candidato eundem habuerant. Ne autem fortaffis (nam fubdolo hofti nunquam fidendum effe monent Politici & circumfpecti notant Medici,) quidpiam de miasmate venereo in intimis penetralibus occultatum remaneret, quod forte poftea refufcitari ac revivifcere, novasque truculentas turbas excitare poffet, intactum remaneat, pro ulteriore correctione KUNCKELII morfulos, quos in *Laboratorii chymici Part. III. Cap. 32. p. 434.* atque ex eo *Difpenfator. Boruffo-Brandeburgicum p. 123.* defcribit ac fpecialiter commendat, per aliquot menfes cum infigni euphoria fumere juffi, quibus, depulfo hecticæ contabefcentiæ metu, æger omnimode ac ex integro reconvalefcens priorem recuperavit torofum & fucculentum habitum.

Idem fere fatum, dispari tamen modo, prior nempe propria, hæc vero aliena culpa, sustinuit triginta sex annorum, castissima mulier, quæ viro militari (qui vaga & effreni Venere contraxerat Gallicæ Luis contagium,) nupta eidemque accumbens, elapsis paucis diebus pallere incipiebat, succedente per genitalia materiæ acrioris, partes erodentis, copiosa & saniosa excretione, lassitudine & gravitate omnium membrorum, doloribus artuum osteocopis, nocturno tempore sese exacerbantibus, rodentibus & terebrantibus, scabiosis hinc & inde efflorescentiis siccis, urentibus, &c. quibus miserrime excruciata hæc neogama, nil mali suspicans, solius tantum scorbuti producta & symptomata ea esse tanto confidentius opinabatur, cum ipsius Medicus ordinarius morbum ad hanc classem quoque retulerat, a quo vero cum se inutiliter circumduci cerneret, nec ullum ex ejus medendi methodo levamen sentiret, celebrem æque ac doctum eminentioris aulæ cujusdam Archiatrum accedit, huiusque sententiam de morbi sui conditione rogat, qui sine omni fuco declarat, quod Lue gallica, & quidem maximo gradu, infecta laboret, ad quæ verba non aliter stupuit, quam quæ Jovis ignibus icta; recollectis tamen animi viribus attonita ægrota, quid in tam sontico, turpi & doloroso malo supersit solaminis, qualisque curationis modus tentandus? suspiriose sciscitabatur. Medicus non nisi a salivatione, per mercurium suscitata, lenimen & sanationem sperandam esse subjungebat; ad durum hoc medicationis genus trepidans exhorruit; ut tamen generose id perferret mali gravissimi exigebat atrocitas, atque Medici expertissimi inque curandis istiusmodi casibus (qui in aulis haud infrequentes esse solent, licet & hac tempestate in Tuguriis observentur) versatissimi facundia & auctoritas jubebat. Confestim itaque ad hanc methodum, sub directione ipsius Medici, sese accingebat; succedebat etiam ad votum ptyalismus, quo

omne venenum partim correctum, partim expulſum ac evacuatum eſſe credebatur. Remittente autem ſalivatione ægra adeo vehementi & doloroſa corripiebatur cardialgia, ut vel de convulſionibus univerſalibus brevi ſuperventuris, vel de ſuffocatione metuerent adſtantes. Exhibebantur anodyna & antiſpasmodica; applicabantur epithemata; injiciebantur clyſteres, ſed absque effectu; prior tandem advolabat Medicus, qui omnia absque ullo levamine adhibita fuiſſe videns, oleum amygdalarum dulcium recenter expreſſum in largiſſima doſi, ad uncias quatuor, cum juſculo conquaſſatum, porrigit, tam laudabili cum effectu, ut dolor illico remitteret. Cum vero per paroxysmos ſubinde novos moliri videretur recurſus, quotidie ſimilem doſin eo usque repeti juſſit, donec omnis recidivæ metus penitus evanuerit. Aſt nec dum malorum finis erat; cum enim ægrotam in ſanitatis vado conſtitutam ſperabant, ex Charybdi in Scyllam incidiſſe eandem adſtantes ex ulterioribus novis ingruentibus ſymptomatibus non ſuſpicabantur tantum, ſed certo omnino concludebant. Accedebat enim ingens virium proſtratio, univerſalis corporis macies & contabeſcentia, cui jungebatur febricula lenta, ſitis, continua oris ſiccitas, urina rubra, interdum pinguedine oleoſa tecta, redibant ſcabioſæ quædam in corpore efflorescentiæ, ſudores matutini colliquativi, corpus per ſe jam admodum debile magis exſiccantes atque vires depaſcentes; quibus omnibus ſuccedebat lugubris caſus, dum Medicus prælaudatus, in quem omnem ſpem poſuerat ægra, morte præmatura occubuit, unde illa prorſus deſolata ſibi videbatur. In auxilium quidem alii vocabantur, qui nihil prætermittebant, quod ad reſtituendam oppreſſam valetudinem neceſſarium & profuturum autumabant. Præſcribebantur hinc innumera remedia, ex omni pharmaciæ angulo conquiſita, aſt exiguum ſaltem, ſæpiusque nullum ab iisdem notabatur levamen;

& licet adhuc diurno tempore per aliquot horas orthostadia maneret, multos tamen dolorosos cruciatus in artubus diu noctuque persentiscebat, magisque subinde invalescens corporis contabescentia infelicem minabatur exitum. Quamquam enim appetitus modice adhuc constaret, nullum tamen inde augmentum corporis, nulla particularum nutritiarum appositio, nulla virium restitutio exinde notabatur. Alium igitur cuneum durissimo huic nodo admovendum esse judicabant adstantes; hinc & ego in consilium vocatus, consideratis omnibus circumstantiis, cum sub rite continuato remediorum hactenus præscriptorum usu nihil fere immutatum, nihilque ex pharmacevticis auxiliis intentatum relictum esse deprehenderem, aliud medicationis genus, excusso quorundam timore intempestivo, proponebam, aquæ nempe Selteranæ, cum lacte mixtæ, usum per aliquot hebdomadas continuandum. Non displicuit agnatis, admodumque arrisit ægrotæ hoc consilium, utpote quæ medicamentorum copiosorum & variorum, hactenus, spe obtinendæ sanitatis & prolongandæ vitæ, adsumtorum summe pertæsa erat. Felici itaque auspicio sequentem medicationis modum confidenter inchoat, sumendo nempe duas aquæ Selteranæ partes & unam lactis caprilli, (quod in vas calefactum emulgere, hocque dein aquæ fervidæ imponere jussi, admixto simul modico sacchari, ad præpediendum coagulum,) hujusque mixturæ, palato non ingratæ, primo dimidiam capiebat mensuram, hancque dosin in dies successive unico vitro augendo, ad sesqui mensuram usque adscendebat, pauxillum subinde corticum aurantiorum conditorum, inter potandum simul masticando, & ita per decem hebdomadas optato cum successu pergebat, interponendo simul, ad conservandum stomachi tonum, modo dosin pulveris stomachici Birckmanni, modo Elixir. balsam. HOFFMANNI; ad subjugandum prædominans & per ructus se mani-

manifeſtans in ventriculo acidum/, aliquot guttas liquoris nitri fixi; ad alvum ſegniorem reſerandam, vel rhabarbari pulverem, vel enema emolliens, prout circumſtantiæ id poſtulabant, quibus tandem effectum eſt, ut ardores interni remiſerint, oris ſiccitas & ſitis præternaturalis evanuerint, urina rubra naturalem colorem & conſiſtentiam acquiſiverit, ægraque talem vigorem receperit, ut extra lectum & domum eſſe, ſuaque munia obire potuerit. Quoniam vero teſte BAGLIVIO, per experientiam edocto, luis venereæ ſemel in corpus receptae character difficulter deleri ſolet, & ab adhibitis remediis quidem miteſcit, ſed poſt longam temporis moram ejusdem producta ſæpius reviviſcunt; pariter quoque ab hac lege minime exempta manſit mulier iſta, quin potius circa æquinoctium vernum doloroſa & pruriginoſa varia ſymptomata, cum imminentis contabeſcentiæ prodromis, reſuſcitari obſervavit. Tunc autem absque ulteriori Medici conſilio, juxta methodum jam cognitam, priorem iterum ſuſcepit curationem, bonoque exinde obſervato effectu, eandem annuatim per trimeſtre ſpatium continuando bene huc usque valet.

(*Confluentia Halam miſſa, d. 12. Jul. 1753.*)

## *OBSERVATIO LXXXVI.*

## DN. D. IOANN. CHRISTOPH. REINMANN

### *Par calculorum felleorum ſingularium, morbi gravioris complicati, tandemque funeſti, cauſam primariam conſtituens.*

Morbi, qui per longum temporis ſpatium hominum corpora premunt, (ob eam rem chronici & perniciales dicti,) tandemque penitus opprimunt, ita ſæpius ſunt comparati, ut

Medici, expertæ alioquin artis & fidei, caussas eorum veras, ob nævos alios nævo velut insperſos, ſæpius indagare nequeant, illorum curationem hinc non perficiant & ita oleum atque operam perdant. Quamvis enim anatomicæ ſectionis beneficio ſtructuram corporis humani exactius didicerint, quamvis cuncta norint viſcerum confinia, nexaque nervis vincula: talia tamen ſub uno ſæpe malo latent abdita & recondita mala alia, quæ nemo cognitione adſequi, & non niſi poſt obitum, ſi anatomico cultro ſubjiciantur corpora, detegere valet.

Sectione ſola, vel ſtructura hujus illiuſve partis a naturali ordine recedens, varioſque pariens morbos, vel viſcerum mutatio & univerſus ſitus, vel res præternaturales aliæ, ut concrementa lapidoſa & carnoſa, in hoc vel illo viſcere, aut etiam vaſis ſanguiferis hærentia, vel tumores, ſcirrhi, ulcera variæ indolis, deteguntur, quæ ſanitatem non ſolum turbant, ſed etiam, quia ſæpiſſime neque medicamentis, neque inſtrumentis acceſſus, pro iiſdem tollendis, conceditur, nullam plane medelam admittunt. Hinc vir Illuſtris famaque celeberrimus, *Fridericus* HOFFMANNUS, quem alterum velut Herophilum & Medicinæ vatem jure meritoque dixeris, quique in perſcrutandis morborum cauſſis ſummè fuit induſtrius, corpora defunctorum diverſiſſima ſtudioſius diſſecuit, viſcerum conſtitutionem ſollicita cura obſervavit notavitque, illis ſolidam morborum hiſtoriam ſuperſtruxit, & hac inveſtigandi via illi medicinæ parti, quæ practica vocatur, lucem accendit fulgidiſſimam. Similem quoque operam Medicis induſtriis & de reparanda ægrotantium ſanitate ſerio ſollicitis jam dudum præſtiterunt eximia illa Illuſtris Academiæ Cæſareæ Naturæ Curioſorum Acta, complures perquam raros exponendo caſus morborum intricatorum, quorum cauſæ, antea abſconditæ, apertis demum patuerunt cadaveribus, viamque ſic monſtrando vel ad faciliorem cognitionem, vel ad feliciorem cura-

curationem aliorum illis analogorum pariterque admodum obſcurorum affectuum morboſorum. Eadem ergo hac intentione caſum quendam memoratu haud indignum, nuperrime mihi obvium, in præſentiarum delineatum ſiſtere haud dubitavi.

Concernit autem is fœminam quandam honeſtam, quæ vivendo annos tres & quinquaginta explevit, atque in flore juventutis, ob temperamentum ſanguineo-cholericum, largiorem ſubinde menſium fluxum experta, ac poſtea, in conjugio læto ac fortunato, liberos quatuor felici partu enixa fuit. Florebat hæc proſperitate valetudinis; nullæ curæ, nullæ ærumnæ, quæ morbis triſtioribus occaſionem præbere ſolent, urgebant; ex voto ſuccedebant omnia, imo vota ſuperabant ſæpius. Lætiſſima autem iſta proſperorum continuatio, ſpem præter & opinionem, per obitum filiæ unicæ perquam dilectæ conturbabatur. Contriſtabat hic animum maximopere & incolumitatem ejus pariter ac corporis ſic immutabat, ut in gravem quandam melancholiam incideret, ſub qua menſium huc uſque large fluentium excretio fuit imminuta, ſupervenientibus ſimul crebrioribus hæmorrhoidalibus moliminibus.

Huic malo felici cum ſucceſſu congrua opponebantur medicamenta, ita ut, prodeunte tandem hæmorrhoidali fluxu & regulariter ſuccedente menſtrua excretione, ſopito ſucceſſive animi mœrore, non ſanitas ſolum reviviſcere, ſed florere quoque cœperit, Medicis de meliori ſtatu bene ſperantibus, nihilque amplius timentibus. Aſt, inopinato plura denuo alia æque gravia ſupervenerunt mala. Mariti, ſingulari amore dilecti, mors animum vulnerabat ſummopere; incendii vis non ſolum domum devaſtabat, ſed plurimam quoque bonorum partem abſumebat; aër, ventos & frigora ſpirans, corpori erat infeſtus; diæta craſſior & minus adſueta accedebat, quibus optimus ſanitatis ſtatus brevi temporis intervallo in peſ-

pessimum convertebatur. Nova domus erat exstruenda, nova suppellex comparanda; novæ curæ, novæ ærumnæ, quibus se ira subinde miscebat; menstrua excretio interdum plane subsistebat, interdum parcius fluebat, interdum tanto erumpebat impetu, ut sanguinis quantitas mensuram unam, imo duas æquaret. Recurrebant insuper quoque hæmorrhoides cœcæ, turgentes, variasque novas creabant molestias.

Per duos annos alvus ad segnitiem & obstructionem maxime erat proclivis, ac licet stimulos crebriores ad illam exonerandam sentiret, admodum tamen difficulter ab eo tempore, nec unquam debita in quantitate & qualitate successit summe necessaria ista excretio, siquidem excrementa, gallinarum excrementis fere æqualia, in minima quantitate, sine fœtore & colore consueto, creberrime dejiciebantur & sponte tandem, sub somno, ex ano elabebantur. Interea tamen statum hunc satis molestum patienter ferens, muneribus domesticis, quibus curandis semper intenta fuit, consueto more fungebatur; donec inopinato, eoque vehementissimo infimi ventris dolore corriperetur, quem hæmorrhagia gravis & copiosissima, corpus quasi inundans, brevi post excepit. Ab eo tempore urinæ quoque reddendæ difficultas accessit, ut non nisi guttatim & cum ardore ac vehementioribus spasticis cruciatibus illa prodiret: rediit quoque post sex hebdomadum intervallum uteri hæmorrhagia, cum summo dolorum augmento, ut animum plane abjiceret & sacræ cœnæ usu ad placidam analysin sese præpararet.

Lecto ergo tunc fuit adfixa, & brevi post non hæmorrhagia solum vehemens rediit, sed per alvum etiam materia purulenta & fœtida prodiit, quod antequam fieret, tantos dolorum cruciatus infimo in ventre persensit, ut furibundæ similis in hypocausto discurreret, clamoribusque non solum domum, sed plateas quoque repleret. Hujus materiæ placide fluentis excretio per aliquot hebdomades duravit: deinde vero

ro magna quantitas uno impetu paribusque sub doloribus effusa, odorem cadaverosum & vix tolerabilem reliquit. Hæc molestissima excretio tandem cessavit, alvusque fuit clausa, tumores pedum œdematosi successerunt, qui abdomen quoque occuparunt. Infimi ventris moles mirifice augebatur, nulloque clysterum usu alvus solvi poterat. Adpetitus valde debilitatus erat: juscula & panis butyro illitus sufficiebant. Defectus excretionis alvinæ per integros sex hebdomades durabat, eaque nec medicamentis, nec clysteribus adplicatis moveri potuit. Infimi ventris moles & peripheria de die in diem augebatur majoraque sumebat incrementa, cum artus decrescerent & plane exsiccati viderentur; tandem abdomen eam in magnitudinem extendebatur, ut tympani speciem præberet, digitisque pulsum sonum ederet. Ex his tympanitis, Hydrops & Hydrocardia adparebant, quæ mala conjunctim se sistebant, & incredibiles anxietates creabant, quibus exagitata decumbere non poterat, sed sedere tantum cogebatur. Anxietates immensum auctæ omnem patientiæ vim, quam malis gravioribus sæpe opponere possumus, superabant. Hinc efflagitabat sæpius ut abdomen cultro aperiretur, illudque pro misericordiæ documento petebat: omnis cautio adhibenda erat, ne vel manus violentas sibi inferret, vel se præcipitaret ex alto: is tandem erat miseriæ apex, ut de salute æterna desperaret, pro impossibili reputans, Deum adeo misericordem in se credentes tantis tormentis cruciare posse.

Cum omnia denique instantem mortem præsagirent, illaque proxime imminere videretur, atrocissimi dolores, qui tantam in corpus & animum ægrotæ vim intulerunt, penitus remiserunt, ut tranquillata mente cogitationes ad Deum dirigere, seque ad beatum e vita hac excessum componere posset. Ante vero quam decederet, rogabat, ut corpus post obitum sectione aperiretur, sicque tantorum malorum fons

& origo appareret omnibus & patesceret. Voluit scilicet illa morte sua salutaris etiam esse illis, qui in vita pari calamitate possent torqueri.

Sic victo malo omni placide exspiravit, corpusque secandum reliquit, quod ego negotium, qui dextram obligandæ fidei dederam, suscepi, excussisque singulis jam ea, quæ observatu digna deprehensa sunt, cum lectoribus curiosis communicabo.

Morbi vis pectus atque artus plane consumserat: abdomen vero sic erat expansum, ut ejus peripheria triplo, immo quadruplo major comparuerit, quam naturaliter esse solet. Dissectis integumentis communibus abdominis & peritonæo, aër, qui inclusus erat, cum sibilo & summe adverso foetore erumpebat, quo facto abdomen ad dimidium ulnæ, in diametro, collapsum conspiciebatur. Omentum fere penitus erat consumtum, & parvulæ tantummodo ejus cerni poterant partes, quæ dorso ventriculi atque intestino duodeno adhærebant. Intestina, tam tenuia, quam crassa, undecunque erant inflammata; tenuia inprimis, una cum mesenterio, gangræna & sphacelo plane erant corrupta, ita quidem, ut sub levissimo attactu statim dilacerarentur. Crassa intestina mirum in modum a flatibus atque fecibus infarcta & expansa erant, atque inter ea cœcum & coli principium tantæ erant magnitudinis, ut stomachi capacitatem quadruplo superarent. Intestinum quoque colon situm suum naturalem mutaverat, dum a spina dextra ossis ilei, (ubi in statu naturali adscendit & iterum descendit, sub hepate progreditur, transversim abdomen transit, intestinum duodenum & stomachum tegit, & prope spinam sinistram ossis ilei flectitur, curvatur ac descendit.) (*r*) usque ad medium abdominis secedebat & supra in-

(*r*) Vid. GARENGEOT Splanchnologia, p. m. 176. §. 34. usque 37.

inteſtina tenuia & ſtomachum ſerpentis inſtar adſcendebat atque in latere ſiniſtro deſcendebat. Repletio atque expanſio hujus inteſtini prope ſpinam oſſis ilei ſiniſtram, ubi inſtar litteræ S curvari ſolet, erat maxima, & intra hujus inteſtini tunicas muſculoſas magna erat cavitas, materia purulenta tenui repleta, quæ tunicis, cum moveretur, ruptis, profluebat, & pondus circiter librarum duarum æquabat. Inteſtinum rectum minimi digiti craſſitiem habebat, plane quoque ſcirrhoſum & adeo coarctatum erat, ut ne minimum quidem ſtylum admitteret; in eo vero diſſecto multæ calloſæ eminentiæ conſpiciebantur.

Viſcera reliqua abdominis cum perluſtrarentur, hepar magnum & admodum tumidum comparebat, cujus vaſa ſanguine copioſo repleta deprehendebantur: color non adeo rubens & vividus, ut in ſtatu naturali, ſed magis obſcurus & fuſcus erat, nulli autem ſcirrhi, aut inflammationes, aut ulcera in eo occurrebant. Dextro hepatis lobo adhærens veſicula fellea corrugata & verſus hepar retracta erat, atque in illa ne guttula quidem bilis aut liquoris cujuſdam conſpiciebatur, ſed *par calculorum*, tam in ipſa ejus cavitate, quam immediate ſupra illam offendebatur, qui accuratiorem quandam, ob ſingulares aliquas circumſtantias, omnino merentur deſcriptionem.

Differebant autem manifeſto inter ſe, tam figura, quam conſiſtentia, colore & duritie. Inferior, in fundo cyſtidis hærens, magnitudine nucem moſchatam æquabat, colorem ſubfuſcum viridiuſculum & nigricantem monſtrabat, in ſuperficie undiquaque æqualis & lævigatus, minuſque durus, ſed admodum friabilis erat, ſicque cum iis calculis felleis conveniebat, quos alias ſub ſectionibus corporum anatomicis inveni, atque in Theatro anatomico Jenenſi majori in copia vidi, qui etiam Illuſtri TEICHMEYERO b. m. anſam præbuerunt, ut ann. 1742. peculiarem de *Calculis bilariis*

conſcripſerit Diſſertationem inauguralem. Alter ſuper hunc viſendus paulloque major calculus, albi coloris, firmæ duritiei, ſuperficiei inæqualis & eminentiis aſperis oblongis, quaſi criſtallinis, cinctus erat, in principio ductus hepatici, ubi hic in cyſticum tranſit, ſedem ſuam fixerat, ejuſque eminentiæ aſperæ & cryſtallinæ membranis hujus ductus & hepatis ſubjacenti ſubſtantiæ adeo arcte erant innexæ, ut cultro anatomico illum inde ſeparare fuerim coactus. Atque hic obicem ibi poſuit, quo minus vel ulla bilis guttula per hunc ductum in cyſtidem tranſire potuerit, unde illa plane ſicca, corrugata, & circa calculos & hepar arctiſſime concreta adparuit. Delineationem accuratam hujus calculi ſiſtit *Tab. V. Fig.* 5.

Stomachus perexiguus & maxime contractus nihil continebat de iis, quæ alias ingeri ſolent. Pancreas, eidem ſubjacens, ſimilis erat figuræ, induratum præterea, ſcirrhoſum atque in extremitate dextra corruptum. Lienis ſuperficies externa rugoſa conſpiciebatur cinerei coloris; tota autem ſubſtantia craſſa multoque ſanguine referta erat. Renis ſiniſtri ſubſtantia, inprimis tubuloſa interna, plane exulcerata erat, & præter ejus tunicas pelvimque nihil fere amplius reſtitabat. Hujus renis ureter a pelvi uſque ad inſertionem in veſicam adeo expanſus & dilatatus erat, ut, cum alias minimum ſaltim ſtylum admittat, ibi facile viri robuſti pollicem capere potuerit, hæcque præternaturalis cavitas materia purulenta flava repleta erat, quæ poſt aperturam effluebat. Veſica urinaria nihil, quod præter naturam eſſet, in ſe continebat, nihilque in eam materiæ purulentæ, in uretere repertæ, penetraverat: collum veſicæ ab utero ſubjacente ſcirrhoſo oſſi pubis erat adpreſſum. Vterus totus, tam quoad fundum, quam cervicem atque orificium, ſubſtantiæ erat ſcirrhoſæ; ſic quoque comparata erant ovaria, dextrum inprimis; ſingulæ hæ partes præterea inflammatæ adparebant, quod ex

co-

colore rubente,quem tam uterus,quam ovaria monſtrabant, cognoſci poterat. Ceterum in abdominis cavitate magna copia lymphæ extravaſatæ, rutilantis, ſubfuſcæ, reperiebatur.

Pectoris cavitate aperta,pulmones integri & illæſi deprehendebantur, & ſaltim lobus ſiniſter pleuræ uſque ad thoracis vertebras firmiter adhærebat. Pericardium magnam lymphæ copiam in ſe continebat, quæ poſt ſectionem effluebat. In cordis ventriculis ejuſque auriculis nihil ſanguinis grumoſi, nec quidquam polypo ſimile animadvertebatur. Quis ergo quæſo talia, quæ ordini naturæ adverſiſſima ſunt, quæque plurimis in viſceribus conſpectiora ſolito erant? quis tantam corruptionem illorum? quis inprimis concrementum lapideum hepati arctiſſime connexum, mente ſibi concipere, vel ulla ratione hariolari potuiſſet? ipſum credo Æſculapium hic cœcutiviſſe. Id quidem Solis veluti cum lumine in oculos incurrebat, ex ceſſatione menſtruorum, ex hæmorrhoidum inordinato fluxu valetudinem adverſam ortum traxiſſe; id certum omnino fuit, hepar ſe minus recte habere, vaſaque venoſa, quæ venam portæ conſtituunt, infarcta eſſe; id extra omnem dubitationis aleam poſitum erat, excretionem copioſam materiæ ſanguineæ, purulentæ, fœtidæ, a ſtaſi & corruptione ſanguinis hæmorrhoidalis, intra inteſtinorum tunicas collecti atque hærentis, originem duxiſſe; ſed nemo ratiocinando potuiſſet adſequi, ductum hepaticum adeo arctiſſime calculo eſſe occluſum, ut ne guttula quidem bilis in cyſtidem felleam tranſire potuerit, qui tranſitus impeditus morbum graviorem reddidit, & funeſtum eventum eo magis acceleravit, cum, ſi bilis ad inteſtina pervenire & hinc liberior alvinæ excretionis ſucceſſus obtineri potuiſſet, fortaſſis ægrotæ medicamentis aptis majus omnino levamen, ſi non plenarium auxilium, conciliatum fuiſſet.

Bilem, ſi rite in hepate ſecernitur, ſi in vaſis propriis, bilariis dictis, vehitur, ſi in cyſtide fellea adſervatur, & juſto tem-

 po-

pore chymo, ex ventriculo exeunti, in inteſtino duodeno per ductum choldochum communem commiſcetur, ſal quaſi, condimentum & balſamum vitæ eſſe, omnes, qui artis ſalutaris periti ſatis ſunt, merito concedunt. Qui vero bilem copioſius in veſicula ſua repertam pro veneno habent, illique ſubitaneæ mortis cauſſam adſignant, næ illi ignorant, magnum diſcrimen inter bilem, quæ in ſuis vaſis, & eam, quæ extra ſua vaſa fertur, atque in locis minus convenientibus dominatur, intercedere. In ventriculum enim atque inteſtina ſi copioſe tranſit, frequentes vomitus, colicam, diarrhœam, inflammationes, etc. gignit, mortemque accelerat. Aſt ubi in locis naturalibus naturalem ſuam exſerit efficaciam, non ſolum chymi partes oleoſas ſaponis inſtar ſolvit, cum aqueis commiſcet, & ad bonam chyli ſecretionem præparat; ſed etiam ſalibus ſuis, quæ craſſiori chyli parti, ad tranſitum per vaſa lactea & glandulas meſeraicas minus aptæ & ſub fecum nomine per inteſtina prodeunti, adhærent, membranaceos hos canales ad contractionem ſtimulat, motum eorum periſtalticum intendit, atque excretionem fecum promovet & faciliorem reddit, quæ in illis, qui ictero laborant, ob bilis ſtimulum deficientem, difficillima & graviſſimis cum moleſtiis conjuncta eſſe ſolet.

Quantas autem utilitates liquor bilis balſamicus ſalinoſulphureus, ejuſque ſecretio & ulterior commixtio, ſi debita ratione & naturali ordine ſuo ſuccedit, corpori humano præſtat; tanta ex adverſo damna infert, ſi partes bilioſæ ſanguini commixtæ manent, atque non in vaſis ſuis legitimis ſecretoriis a maſſa ſanguinea ſeparantur. Sanguis enim ejuſque craſis & conſtitutio naturalis vitiatur, indeque obſtructiones viſcerum, icterus, hydrops, aliaque naſcuntur mala, chylificatio impeditur, motus inteſtinorum periſtalticus turbatur atque excretio fecum alvinarum ſupprimitur, ſubſequentibus dein pluribus aliis ſonticis pathematibus morboſis, quæ

fœ-

fœminæ nostræ, cujus historiam recensuimus, corpus vehementissime excruciarunt & morti tandem tradiderunt.

(*Rudolstadio Halam missa d. 8. Septembr. 1753.*)

## *OBSERVATIO LXXXVII.*

## DN. D. SEVERINI HEE

*De*

### *Cicuta solo lacte curata, deque ejus pariter natura, effectu atque antidotis meditatio.*

Occasionem de Cicuta speciatim cogitandi dedit casus sequens ante triennium sub vere in praxi mihi obvius. Puella duodecim annorum, mendicissimæ viduæ filia, radices Cicutæ majoris, quas extra hortum projecerat vicinus, avide loco radicum Pastinacæ colligit, collectas ignitis cineribus subjicit, ut tostis hisce dapibus inemptis famem sisteret. Præparatam ita radicem devorabat impune, dimidiam vero alterius cum comedisset, cardialgia & anxietate insigni corripiebatur, moxque dein currendo & impingendo in obvia quævis gestibusque aliis amentiam unice præsenti fratri facile indicavit, qui vocem comperiens intersistere, faciem livescere, contremiscere membra languida & enervata, gelidumque per hæc decurrere sudorem consilii inops aquam, quæ ad manus erat, afflictæ propinat, cumque constrictæ fauces transitum ab initio denegarent omni fluido, obtrudere illud pergit, donec sensim relaxatis gulæ spasmis haustum frigidæ infundit. Redux inter hæc mater, de causa mali certior facta, radices residuas apportat, & anhela voce lacrymisque obortis morbum filiæ mihi indicat harum esum insequentem, petitque consilium. Intelligens radices

ces eſſe Cicutæ majoris vulgaris, ſuaſi ſine mora lac tepidum aut aquam tepidam cum oleo quodam recente aut butyro largiter & ad vomitum uſque filiæ porrigere, ſicque inſiſtere, donec ejiceretur in totum ingeſta radix, ſique vomitus ex voto minus ſuccederet, mox iterum de eventu me informare. Hiſce perceptis ad gurguſtium ſuum properat, amore in natam pedibus addente alas; ſed dum nec rediit, nec hoſpitium ejus mihi conſtitit, vixi de eventu dubius, donec præterlapſo octiduo ſe iterum ſiſtit & una filiam ſoſpitem & incolumem, cui poſt lac ſæpius hauſtum, ſine ullo omnino additamento, (nihil enim pingue aderat,) & ſubſecutos complures vomitus, ſomnus contigit profundus, quem excepit, continuato ejus uſu, mens ſana in corpore ſano.

Paucis hoc caſu incitatus, de notiſſimo hocce veneno vegetabili acturus, non operoſus ero in recenſendis; obſervationibus medicis de diris ejus effectibus; fecere quippe nobis heic otium WEPFERUS in *Hiſtor. Cicut. aquat.* S. ADROYNUS Tract. *de Venenis, Simon* PAULI Tract. *de febr. malign.* STENZELIUS in *Toxicolog.* FRITSCHIUS in *Act. Theolog. Jurid. Med. Phyſ.* pluresque alii Medici & Botanici bene multi; at breviſſime ſaltem conſiderabo principium ejus nocivum, ſymptomata, quæ excitat, antidota, quibus oppugnatur, & rationes, cur a nonnullis deglutiatur impune, cum aliis adeo ſit infenſum, imo lethale.

In determinando Cicutæ veneno admodum diſſentiunt Medici: DIOSCORIDES accuſat qualitatem frigidam hiſce verbis: Ἐϛὶ δὲ κ᾽ὸ ἐν ὀθαϛτικὸν κατὰ ψύξιν ἀναιρεῖν. MATTHIOLVS in *comment. in Dioſcor. Lib. VI. cap. XI.* taxat e contrario qualitatem frigidam. Dirimit vero optime hanc litem Illuſtr. *van* SWIETEN, *Commentar. in Aphor. Boerh. de cognoſc. & curand. morb. Tom. I. p. 665.* prudenter monens, quod actu calida, corpori ſano applicata, frigida eſſe poſſint potentia, circulationis velocitatem & robur minuendo

vel

vel plane tollendo & vitam suffocando. Ipsam Cicutam ut exemplum proponit, qua epota SOCRATES sensit frigescere crura, & hoc frigore supra pubem ascendente placide exspiravit. *Simon* PAULI culpam virulentiæ hærere autumat in sulphure fumoso valde volatili & sale fixo; WEPFERUS in sale volatili oleo involuto; WEDELIUS in sulphure impuro mucilaginoso, nervis inimico, agente vaporositate peregrina; vid. ejus *Amœnitat. mater. med. p. 315.* NEUMANNUS considerat virulentum ut halitum penetrantem subtilissimum & fere incorporeum, ad instar illius, qui observatur in accensis carbonibus, ubi incarceratur, aut in effluviis ascendentibus ex vino & cerevisia, sub fermentatione, aut denique ex croco in magna quantitate congesto & incluso, quæ citissime hominibus gravissima symptomata, imo mortem, incredibili celeritate concitant; vid. ejusd. *Prælect. chem. Part. III. Regn. vegetab. Cap. XIII.* de *Apio venenat. p. 570. sq.* item *Tract. de Opio p. 113.* BOERHAAVIUS *in Institut. med.* §. *1138.* deleteriam Cicutæ vim quærit in acrimonia violenta & simul viscosa, hancque iterum in *Element. Chem. Part. I. de veget. p. 24.* ponit in spiritu rectore, cui vim peculiarem plantæ cujusvis, tam medicatæ, quam venenatæ, attribuunt Alchemici, quemque mole adeo exiguum esse volunt, ut avolare possit absque ulla fere ponderis jactura, & licet summe volatilis sit, detineri tamen in oleo tenaci, ut hujus lentore inescatus haud temere aufugiat, de quo & egit in dictis *Element. Chemiæ* passim magnus BOERHAAVIUS, & potissimum in ejus *parte altera de artis theor. p. 74. sq.* Ex hisce, ut, abjectis putaminibus, retineantur nuclei, sequentia liquido constant: 1) quod virulentum characteristicum in Cicuta (uti & Solano, Datura, Opio, Hyoscyamo, Strammoneo, etc.) propter insignem subtilitatem per se inseparabile omnino sit & indemonstrabile, 2) quod volatile quidem sit, docente id exsiccatione in loco aprico, qua perit ex maxima

parte virus; 3) non ita tamen volatile, ut calore aut igne quovis aufugiat; decoctioni enim & tostioni subjici potest ad macerationem usque, sine jactura virtutis; 4) quod vis ejus nec pendeat ab aqua, sale, oleo, aut sulphure, sed hisce tamen omnibus reddatur actuosior, atque ita, ut cum antiquis loquar, tota agat substantia. De reliquo ad indolem accedit alcalinam, dum edomatur acidis.

Ex observatione NEUMANNI in *Oper. chem. loc. cit.* virus in radice magis vigere videtur, quam herba; Canis enim, cui succum radicis propinaverat, horrendis convulsionibus, cum vomitu obortis, post novem minuta expiravit, dum alter, qui sorpserat succum viridem, post vomitum & motus convulsivos mortem evasit. Ipse in volucrum genere vires Cicutæ exploraturus, infudi columbæ, præeunte BORRICHIO, qui columbas impendit pro examinando opio; vid. ejusd. *Dissert. de Opio p. 30.* expressi ex herba succi drachmam, quæ sibi relicta iterum vacillavit quidem ab initio quasi temulenta, at paulo post solito iterum incedit passu, edit, bibit, nihil aliud, ut videbatur, passa, ita ut suspicarer, columbas pertinere ad aves Cicutam bene ferentes, quales sunt Sturni, juxta GALENUM *Lib. 3. de simplic. medic. facult. Cap. XV.* & Otides, juxta RAJUM in *Catal. plantar. Cantabr. p. 34.* sed visa convaluisse sequenti mane inventa est exanimis. Ingessi dein & alteri columbæ drachmam succi ex radice, quæ pendulis mox alis & demisso capite consedit immota, & ante horæ unius spatium vivere desiit. In sectione par hocce ostendebat plane eadem: Tunica interior ventriculi primi membranacei, sive ingluviei, maculis nigris videbatur consperſa & ex parte erosa; in altero ventriculo musculoso firmissima illa interior tunica constricta admodum erat & corrugata, croceoque colore undique tincta, pulmones obsidebant tophi, & sanguis ubique in vasis spissus deprehendebatur & congelatus. Ex hisce experimentis discimus, in

qui-

quibusdam animantibus succum herbæ fortius, in aliis ignavius agere succo radicis, sed tum tarditatem parili gravitate compensare, cum tamen herbam homines enecando radice haud esse inferiorem multæ testentur observationes; vid. CARDANUS in *Tract. de Venenis, Lib. I. cap. 2.* SCALIGER *Exercitat. 152. ad Subtil. Cardani* & *Simon* PAULI *Tract. cit. §. 2.* Confirmant pariter observata in sectione columbarum, quæ conveniunt cum ante notatis ex hominum anatome, quos Cicuta e medio sustulit, quod hæc operetur arrodendo solida, inferendo iisdem spasmos, & coagulando fluida. Symptomata, ingestam Cicutam excipientia, ut uno fasce strictim carptimque observationes de iisdem complectar, sunt nausea, cardialgia, vomitus, cephalalgia, vertigo, oblivio, somnus profundus, visus imminutio, plenaria cœcitas, surditas totalis, singultus vehemens, dyspnœa, constrictio faucium, spasmus cynicus, frigus extremorum, virium lapsus repentinus, lipothymia, pruritus in cute acerbus, quam interdum conspurcarunt maculæ ex rubro subnigræ, subasperæ & scabræ, tumida corporis inflatio, & in tota ejus superficie color ex cœruleo lividus, sitis intensa, ardor & dolor ventriculi, dysenteria, deliria, in quibus hoc notabile, quod jam ridendo Democritos se gesserint, jam flendo Heraclitos, jam volucres se esse rati ascenderint in sublime, quasi volitaturi, aut in aquam se dederint præcipites, jam sibi visi sint alii & feles & canes videre, jam nudi obvios ad libidinem sollicitaverint, jam denique sibi aliisque violentas intulerint manus. Nonnulli per totam vitam reportarunt maniam, aliique decubuerunt misere convulsi. Sæpius invasit epilepsia, apoplexia, imo mors subita & inopinata, de quibus evolvi merentur, præter citatos supra Auctores, *Acta Nat. Cur. Volum. I. Obs. 52. Commerc. litter. Norimb. Ann. 1731. Specim. 23. p. 178. Thom.* BARTHOLINUS *Histor. Anat. Cent. IV. Hist. 46. Stalpart van der* WIEL *Observat. rar. Obs. 43.* etc. Inter symptomata

vero rariora, in casu a nobis allato referenda, est spastica faucium contractio. Licet enim Cicuta operetur, uti jam dictum, inducendo solidis spasmos, non memini tamen inter tot de hoc vegetabili observationes notatum esse gulae spasmum, si exceperim unicam observationem BAUHINI a SCHENKIO *select. Obs. Lib. VII. tit. de plant. Obs. 4. p. 849.* allegatam, ubi radix Cicutae commestae matri & filiae deglutitionem intercepisse legitur, forte, quia acrimonia Cicutae venenata, viscido inv·uta, sub celeriori illo per fauces transitu afficere easdem non valet, nisi tenerior & sensibilis occurrat corporis constitutio; viscoso vero involucro orbata fauces necessario permeando constringet, cum illa omnibus corporis nostri partibus insit facultas, ut ab acribus constringantur, id quod duobus sequentibus experimentis probavit laudatus *van* SWIETEN *loc. cit. p. 636.* Si guttula aceti oculo inspergatur, sic contrahuntur palpebrae, ut nulla fere vi diduci possint. Dum vivi canis nudo intestino olei vitrioli guttulam penicillo applicavit, vidit illud statim sic contrahi, ac si laqueo injecto constrictum fuisset. Spasmum vero pharyngis peculiariter prae omnibus venenis vegetantibus & semper inducit Solanum furiosum, de quo fuse egit PELARGUS in *Observ. clinicis, Mens. Octobr. Ann. 1722. p. 479. sq.*, quemadmodum inter mineralia maxime omnium tyrannidem hanc exercet mercurius sublimatus, cujus exemplum legere licet apud FORESTUM *Lib. XV. Obs. 30. in Schol. p. 150.* Sontica jam supra enumerata mala satis indicant Cicutam pertinere ad acutissima venena vegetabilia, vixque plantam agnoscere operandi & nocendi celeritate se superiorem, si exceperim Oenanthen succo viroso croceo, quae ex citata observatione Dn. *de* WIEL notatu dignissima par hominum exanimavit vix degustata.

*Antidota* praecipua, quae Cicutae aliisque ejusdem indolis vegetabilibus opponuntur, sunt *lac tepefactum, aqua*

*tepida, oleum, acetum* & *vinum.* De *lacte* post WEPFERUM aliosque speciatim egit *D. Georg.* WILL, in Dissert. *de usu lactis antidoto.* *Aqua* insigni lenitate sua diluit acrimoniam & dolores obtundit; tanta enim prædita est blanditie, ut ne membranæ quidem oculi corneæ molestiam creet, sed & in cancro exulcerato, si nervi nudati & semiambesi illa calida foventur, doloris acerbitatem, ex observatione BOERHAAVII, mitiget, ubi alia quæcunque imposita dolorem exasperant. Ipsum vitrioli oleum concentratissimum, quod ignis instar partes corporis, quibus applicatur, uno momento destruit, copia sufficiente aquæ affusa sic enervari potest, ut tuto deglutiatur, id quod de omnibus valet venenis, quæ cum aqua misceri possunt. Hinc inter anodyna & paregorica medicamenta habetur princeps, & ab antiquissimis Medicorum ut antidotum universale extollitur. *Oleum* dolores & ardores mitigare, rigidas fibras emollire, relaxare spasmos, erosas partes oblinire & ab ulteriori erosione defendere notissimum est. *Acetum* commendat summa ejus penetrabilitas, virtus refrigerandi, nervos roborandi, resistendi putredini, resolvendi coagulata & sudorem movendi plane egregia. *Vinum* laudatur ab his, culpatur ab illis. Qui Cicutam frigidam esse volunt, vinum commendant utpote calefaciens; qui calidam illam esse statuunt, vinum exulare merito jubent, ne igni addatur oleum. Paucis: Medentis intentionem eo dirigi debere constat, ut 1) venenum citissime ejiciatur; 2) sanguis, si inquinatus fuerit, per diaphoresin repurgetur, & 3) partes labefactatæ debite roborentur. Primæ indicationi inservit aqua aut lac, cum vel sine oleo. Quodnam vero horum fluidorum eligitur, aut primo ad manus est, tepidum affatim & illico propinandum & assidue repetendum, ut quam citissime & sufficienter evomatur venenum. Si segnior ad vomitum natura hisce non obtemperet, adjecto sti-

ſtimulo ex tartaro emetico, Ipecacoanha aut vitriolo albo, quod ſpeciatim commendat experientia doctiſſimi HALLERI in *Not. ad Prælect. Boerhaavii Tom. VI. p. 388.* cum largo vehiculo ſollicitanda; imo in tali caſu oleum per ſe reliquis ſi palmam non præripit, facit certe ambiguam; eſt enim nauſeoſum magis quam lac vel aqua cum pinguibus, & pariter ab acrimonia hic omnino ſuſpecta alienum. Hoc ſolo *Sim.* PAULI tribus pauperculis, poſt eſum radicum Hyoſcyami graviſſime correptis, vomitum excitavit, eoque eosdem, ſequentibus alexipharmacis, integre reſtituit; vid. ejusd. *Quadrip. Botan. p. 347.* Oleum vero huic ſcopo inſerviturum recens ſit neceſſe eſt; rancidum enim in corpore operatur ad inſtar veneni, unde & illud merito venenis alcalinis annumerat celeberr. HEISTERUS in *Enchir. med. pract. p. 537.* Facta debita evacuatione ἄνω, ſi venenum ad inteſtina penetraverit, enematibus ex lacte vel decocto emolliente cum oleo aut laxante congruo ſuccurrendum. Secundæ indicationi, ſive corrigendæ ſanguinis dyscraſiæ, me quidem judice, ob datas ſupra rationes omnium optime impenditur acetum, quod & uſum mox habebit, ſi conſtrictio faucium aliis remediis tranſitum denegat. Nullus dubitaſſem hoc porrigere, ſi de ſpasmo pharyngis in commemorato ſubjecto mihi conſtitiſſet. Legimus enim, *Joh. Bapt.* PORTAM *Mag. natur. Lib. XIV. c. 17.* tam certum fuiſſe de aceti efficacia in hoc affectu, ut methodum proponat, joci cauſa (at illiciti) paraſitos eludendi, propinando ſcilicet ante epulas hauſtum vini, in quo drachma radicis Solani furioſi per duodecim horas macerata eſt, quem tanta excipiet faucium occluſio, ut ne minimo quidem bolo aut guttula deſiderio ſuo ſatisfacere poſſint, niſi hauſtu aceti, ſubito hoc incommodum profligante, ſubleventur. HOECHSTETTERUS pariter (ſi recte memini) gulæ conſtrictionem ex vino malvatico, radice Conſolidæ permixto, obortam, acidis

dis debellavit. Cum itaque acetum parabile sit facile medicamen & ordinario ad manus, porrigi mox debet, præcipue si desideratur (uti procul dubio sæpius fit) canalis flexilis metallicus, quem supra linguam ad membranam, quæ vertebras anterior succingit, hinc in ventriculum detrudere jubet Jllustr. HALLERUS, ut per eum medicamenta injiciantur. Idem antidotum naribus admovendum, si Cicuta halitu suo per hanc viam cerebrum occupaverit, uti NEUMANNO *loc. cit.* post effluvia radicis naribus excepta contigit, & facile contingere potuit, dum nusquam in corpore humano nervos tam molles & nudos deprehendi constat, quam in naribus, ideoque heic loci nudum cerebrum facillime affici noto est notius. Locum pariter meretur acetum, si ab ingesto ejusmodi veneno multum temporis præterlapsum fuerit ante adventum medentis. Ante annum circiter rusticus ostendit mihi filium, septimum agentem annum, qui venenum quoddam vegetabile, utrique ignotum, devoraverat, insequentibus summis anxietatibus, deliriis aliisque molestis symptomatibus, a quibus quidem post vomitus enormes spontaneos reconvaluit, sed insignem abdominis tumorem, ob interceptum procul dubio in contractis a veneno & clausis intestinis aërem elasticum, retinuit. Hunc interne posca & externe aceto, linteis pannis tepide abdomini admoto, unice restitui. Quoad delectum aceti diversos diversa juvant. WEDELIUS *loc. cit. p. 342.* commendat acetum vini aut destillatum. Acetum antimonii extollitur in *Commerc. litterar. Norimb. Ann. 1733. p. 253.* Aceto bezoardico baccarum Solani furiosi virulentiam infregit feliciter PELARGUS *loc. supr. cit.* Acetum Lavendulæ proficuum observavit *Jo. Matth.* FABER; vid. ejus *Strychnomania*, aliisque placuerunt alia. At quid multis? Acetum simplex huic scopo sufficiet. Hujus enim unico haustu fœminam, quæ radicem Cicutæ comederat, se pristinæ restituisse sanita-

anitati commemorat TRAGUS in *Histor. Stirp. Lib. I. Cap. 159.* Hoc etiam tumorem abdominis jam memoratum edomavi. Operæ pariter pretium facient ſucci vegetabiles acidi & ſpiritus acidi minerales. Tertiæ indicationi, ſive roborandis partibus ſolidis, ſedato jam morbo, optime ſatisfacit & ſuccurrit vinum; ad ipſum vero virus ſubjugandum & compeſcendum nulla ſolida ratione, nulla fida ſe commendat experientia. Eſt autem prudentis Medici, imo Chriſtiani, in applicatione remediorum ejusmodi ſuſpectorum potius cum ratione timide progredi, quam cum ſuo & ægri periculo animoſe.

Ratio, cur nonnulli ſine diſpendio vitæ, imo ulla ſanitatis jactura, Cicutam & conſimiles herbas comederint, cujus exempla occurrunt apud GALENUM *Lib. II. de ſimpl. medicam. facultat. Cap. XV.* MEAD *Tract. de Venen. p. 144. Commerc. litterar. Norimb. Ann. 1731. Specim. 47.* & STENZELIUM *Tract. de Venen. Lib. I. p. 12.* partim quærenda eſt in idioſyncraſia individuali ad vomitum prona & facili, dum perpetua conſtat experientia, mortem evadere illos, qui venenum bene evomunt; partim in diuturniori ejuſmodi vegetabilium decoctione, utpote qua tolli poteſt vis omnis plantæ medicata & venenata; partim denique in conſtitutione ventriculi & inteſtinorum, ſi cruditates adſunt aut acidum inibi dominatur. Quando enim deglutitum venenum magnam viſcoſarum cruditatum copiam offendit, tunc virulentia ejusdem notabiliter infringitur, imo penitus ſupprimitur. Ita quartanarii a fortiſſimis ſæpe vomitoriis non commoventur, imo ex obſervatione Illuſtr. TEICHMEYERI *in Med. forenſ. p. 163.* unum alterumque arſenici granum perferre poſſunt abſque omni injuria. Confirmat hoc ipſum eximius WERLHOFIUS in *Obſerv. de febrib. intermitt. p. 41.* verbis ſequentibus: *Fruſtra id* (arſenicum) *datum aliquando his auribus ab ipſo, qui miniſtraverat, percepi, his oculis vidi* & *horrui.* Quid vero acidum valeat in obtundenda tali virulentia, ex

præcedentibus patet, quibus hanc addam Excellent. *Frider.* HOFFMANNI obſervationem, in *Med. rat. ſyſt. Tom. IV. Part. III. cap. VI. §. 5. p.* 207. quod hypochondriaci, qui utplurimum acidum in ventriculo & inteſtinis fovent, ex hoc fundamento a morbis epidemicis contagioſis, imo peſte ipſa, haud facile corripiantur.

Coronidis loco monendum eſſe cenſeo, quod ratio quæ me poſt tot elucubratas de Cicuta obſervationes ad hanc meam leviorem cum eruditis communicandam impulerit, hæc ſit potiſſima, quod toſta ceſſerit in eſcam, id quod non recordor me antea legiſſe, quodque natos inde ſpaſmos compoſuerit frigida.

(*Otthinia Danorum Halam miſſa d. 28. Septembr. 1753.*)

## *OBSERVATIO LXXXVIII.*

## DN. D. DANIEL GOTTLOB THEBESII

## *Tilſitana ventre tympanizans.*

Omnium animos in admirationem rapuit variiſque ſermonibus & judiciis anſam præbuit hiſtoria, quam in novis Berolinenſibus Ann. 1753. Num. XVII. die 26. Januar. e civitate Pruſſica, *Tilſe* ſeu *Tilſit* dicta, relatam legimus de innuba muliere, XXVIII. annos nata, probæ, ut fertur, famæ, *Catharina Marghoffia*, quæ elapſis abhinc quinque annis per aliquot ſeptimanas pluries ægrotavit, ita, ut III. VI. XII. XXIV. quin XLVIII. horarum ſpatio tota obrigeſceret, trunci inſtar immobilis; in præſentiarum ſtupendum nec ſatis admirandum paroxyſmum incurrit, cujus teſtes fuerunt Medicus & Phyſicus loci, Chirurgus legionis præſidiariæ, ejuſque præfecti, ſimulque omnis illius urbis clerus, qui non niſi cum commiſeratione eumdem oculis & auribus perceperunt. Ægrota

nimirum primo artubus contremiscebat, mox toto corpore mirum in modum rigebat, tum in ejus corpore modo ad pedes illius, modo alibi tympani cujusdam sonitus, quorum singuli pulsus significanter atque articulate percipi possunt, audiebantur non eodem solum modo, quo copiæ Prussicæ mane & vesperi, nec non ad iter se accingentes utuntur, sed & cum pulsibus longe celerioribus & sat validis; ultimo tales erant pulsationes, quales fabris ferrariis in ferro cudendo familiares. Verum notatu dignissima est observatio, quod, simulac quis auditorum ad lectum portentosæ personæ propius accedit, illico tympanistria sileat ac prorsus acquiescat; quam primum autem ille duos tresve passus a lecto recedat, tympani pulsationes eodem vigore repetat, a tergo seu capite hujus mulieris exactius percipiendas. Elapso aliquo temporis, quo tympani sonitus descripti audiuntur, spatio, ad se redire videtur mulier, multis cum ejulatibus de angore animi & conscientiæ quiritans. Mutato licet caute ejus lecto & situ, artubusque extremis ejus denudatis, ne fraus forsan lateat, nihilominus easdem tympani pulsationes plus, quam artificiales, observari fertur, non aliter autem, ac si quis digitis in tabulam valde illisis tympanismum militarem imitaretur, non nisi propiore ad lectum tympanizantis adventu auditoris interrumpendum. De hoc admirando feminæ statu anonymi cujusdam judicium in iisdem Novis Num. XXIX & XXX. scriptum traditur, quo autor illum admiratione quidem & notatu quam maxime dignum, sed minime supernaturalem censet, &, cum tympanistria animo & corpore simul ipsi laborare videatur, eam catalepticam esse pluribus analogis exemplis adstruere contendit. Verum enim vero tympanismi caussam quasi explicaturus optime monet, quod ea aut in corpore, aut extra illud reperiunda sit; sed ipsas rationes inde reddere nescius, ænigma hoc Tilsitanis naturæ & artis medicæ peritis resolvendum permittit, eorumque curatiori observandi

di

di ſtudio relinquit commendatum, annexa dubia quæſtione, anne varias & artem fere ſuperantes pulſationum exacte militarium modulationes nimis operoſa auditorum, rei novitate perculſorum, phantaſia eorumdem animis potius effingat? Si ratio, inquit, extra corpus exiſteret, explicatu facilius foret, qui fiat, ut per auditoris propiorem acceſſum tympani ſonus deſinat, curatiore animadverſione dignus eo, quod ſit raucus & obtuſus, ceu e tabula quadam pulſa editus. Ultimo poriſmatis lectorem autor admonet, quod noſtro ſeculo ſupernaturalis cauſa in ejuſmodi caſibus non concedatur, niſi de impoſſibilitate naturalis ſolida detur convictio. Contra hoc judicium & dubia ab anonymo prolata autor relationis in iiſdem novis publicis Ann. ejusd. Num. XLIII. d. 27. Mart. regerit, quod morbo miſere adflictæ perſonæ longe alia, ac catalepſi, ſit ratio, neque auditoribus, qui tympaniſmum perceperunt & eundem etiamnunc perciperent, ullum auditus ludibrium, & in ſono tympani & in variis ejus modulationibus curatius diſtinguendis, imponat; die autem XIII. Februar. curr. idem tympaniſmus ſolido validior ab hora 8. uſque ad duodecimam meridianam continuo pulſu in illa auditus ſit, ac ſupra, infra & pone tympaniſtriam obſervatores locati fuerint, ut fraudem, ſi qua lateat, detegerent, quæ vero nulla ſit obſervata: ideo de veritate hujus tympaniſmi æque ac incorruptis auditorum ſenſibus quemlibet certiorem iterum facere conſultum duxerit.

## Scholion.

Quo rarior hic caſus, eo dignior curatiori disquiſitione in ejus indolem & cauſas, quas neque rationis, neque judicii lati autor reddere valuit. De veritate hujus mirabilis hiſtoriæ nullus dubitandi locus, dum ob ſingularem prorſus rei novitatem e Pruſſia ad metropolim regiam non modo

relata, sed & multorum auditorum & spectatorum, quorum plurimis emunctiores nares, nec in omnibus plane corrupti sensus aut corybantiasmus præsumi potest, testimonio bis confirmata, quin judicio artis medicæ periti illustrata est. Operæ igitur haud leve erit pretium causas, si quæ sunt, naturales hujus fere inauditi casus investigare. Rationes autem hujus tympanismi aut in corpore tympanizantis, aut extra illius corpus quærendas atque inveniendas esse judici anonymo ambabus largior: in ipso autem corpore eædem existant, necesse est, dum, mutato licet a spectatoribus caute situ & lecto personæ portentificæ, nullus oris vel artuum motus, idem vero tympanismo militari exacte respondens sonitus ab omnibus percipiatur; hinc ut sonitus ipsi, ita & eorundem rationes in corpore existunt. Inquiramus autem anne naturales eæque sufficientes in ipso corpore sint reperiundæ, e quibus plane insolitus & portentosus tympanizandi modus explicari possit. Omnis sonus autem constat ex motu aëris tremulo vel undulatorio; sed cum nullus motus in externis rigidi corporis partibus observetur, ut iste in tympanizantis visceribus excitetur, oportet. Experientia edocti scimus, præ reliquis visceribus canalem intestinorum, aëre semper repletum & male quandoque adfectum, aptum esse producendis varii generis sonis & murmuribus; ita enim frequentes non solum hypochondriacis sunt multisoni borborygmi, verum etiam notorie sequiori sexui perquam familiares, ut sub suffocationibus uterinis nonnumquam haud sine stupore ex imis visceribus audiantur coaxatus, sibilus, crocitus, cucurritus, latratus, balatus, mugitus & similes sonitus, quos non nisi flatus, in intestinorum tubo incarcerati atque huc illuc spasmo & sua ipsorum vi elastica agitati, effingunt. Dantur præterea alii, quibus, alioquin sanis, tantus semper est flatuum apparatus, ut pro lubitu nu-

me-

merosos &, ut quemdam ideo famosum novi virum, vel centum crepitus ventris intra horæ dimidium cum variante euphonia reddere valeant ex habitu pessime adquisito. Sunt & alii atque e mulieribus plures, qui non ex morbosa æque corporis constitutione, sed mala potius adsuetudine frequentes multo & vario cum boatu edunt ructus; quid? quod novi virginem, quæ per quatuor annos paroxysmum hypochondriaco-hystericum eumque terribilem in modum, cum multisonis ructibus, risu & clamore involuntario, plus vice simplici quotidie experta, tantum in eo repetendo habitum nacta erat, ut quoties vel sermone quispiam memoriam hujus paroxysmi refricaret, toties in eundem incideret, hiatu oris multo & leviter convulsivo, eoque opisthotono corporisque rigore præviis, boatus pluresque vagitus emittens. Patet itaque, canalem intestinorum tam ex morbosa seu præternaturali, quam ex habituali constitutione multisonum sæpe præbere organum. Jam inquirendum, an ex his causis mirum illud phænomenon nostræ tympanizantis possit explicari. Ex relatione cœlebs nostra quinque annos pluries adfectu quodam laboravit per aliquot quandoque hebdomades perseverante, quo per horas solito plures, quin integros dies, rigida jacuit. Adfectus hic, ni simulatus, non alius fuit, quam uterinus & epilepticus, hystericis familiaris, in quem cœlibes male menstruatæ, aut igniculis amoris occulti incensæ, adulta jam ætate inclinant: gravissimus autem is fuit, cum per duos integros dies, ut fertur, riguit. Judicio anonymi utique hic adfectus videtur catochæ seu catalepsi simillimus, quæ per plures horas, uti reliqui epileptici adfectus, ægros detinet. Sic juvenem ex inopinato matrimonio repulso & denegato per integrum diem in sedili, ceu statuam, sedentem TULPIUS *Obs. Lib. I. Cap. 22.* & per tres dies integros correptum atque larga hæmorrhagia narium suborta restitutum adole-

ſcentem ex ÆTIO FORESTUS *Lib. X. Obſ. 42. in Scholio, pag. 369.* referunt. In genere autem de omnibus hiſce paſſionibus, & hyſtericis, & epilepticis, eſt notandum, quod iisdem adflictæ perſonæ, niſi omnis artuum motus, omnium tamen ſenſuum ſint expertes, idque ſignum pathognomonicum & diſcrimen indubium veram inter & ſimulatam epilepſiam ejusque ſpeciem, catalepſin præbeat, pluribus id docente *Frid.* HOFFMANNO, in *Med. ration. ſyſtem. Tom. IV. Part. III. Cap. IV.* §. 4. Cum vero Tilſitana, ut probe obſervatum, tympanizare deſinat, ſimulac auditor quidam ad ipſius lectum propius acceſſit, eoque ad aliquot paſſus recedente tympaniſmum protinus repetat, maximi momenti argumentum inde petendum eſt, quod 1) illa in paroxysmo optime ſenſu valeat & ſpectatoris propiorem acceſſum & receſſum caute animadvertat; 2) pulſationes tympanizantes in ejus poteſtate ſint, eæque ab ipſius arbitrio dependeant, nec ideo eadem pro cataleptica ſit habenda; ſed potius 3) tympaniſmus fraus ejus ſit artificioſe admodum exercita, cujus fidem faciunt variæ illæ non militaris ſolum tympaniſmi, ſed vel artem ipſam ſuperantes modulationes, quas a ſtatu quodam præternaturali ortas nemo umquam audivit, nec poſſibiles animo concipere poteſt. Quæ cum ita ſint rationi & experientiæ conſona, tympaniſmus noſter ut ex aliis rationibus, iisque, in quibus arbitrium tympaniſtriæ & facultas, exacte militares tympanizandi modos imitandi, relinquuntur, explicetur, neceſſe eſt. Jam ſi veterum, qui de magis Pythoniſſis, necromantis aut dæmoniacis ſcripſerunt, monumenta conſulimus, paſſim exempla relata eorum leguntur, e quorum ventre, aut, ut quidam putarunt, pudendis verba & reſponſa articulatæ vocis prodierunt, quos *ventriloquos* vocarunt. Antiquiſſimum & fere primum de his documentum exhibet HIPPOCRATES, qui in *Libr. V. Popular. Sect. 25.* ait: *Polemarchi*

*uxor*

*uxor anginosa - - - respirabat, veluti qui submersi fuerunt respirant:* & ex *pectore substrepebat, velut qui concluso ore loquuntur: Engastrimythi, quasi ex ventre loquentes, Græcis appellati.* In explicatione hujus engastrimythiæ multus est ejus Commentator GALENUS, qui eos, qui non modo immota lingua, sed ore etiam prorsus clauso peregrinis sermocinantur linguis, *ventriloquos* ideo apellatos esse docet; vid. *Franck de* FRANCKENAU in *Satyr. med. X. pag. 198.* In Græcia ejusmodi ventriloquos dudum notos, nec adeo raros olim fuisse, non ex adducto solum HIPPOCRATIS libro patet, sed idem ex PHOTII, Patriarchæ Constantinopolitani, epistola colligere licet, quam latine versam exhibet *Phil.* CAMERARIUS in *Oper. horar. subcisiv. Cent. III. Cap. 11. de Loquela*; inde apparet, Græcos artem hanc variis nominibus, ut *gastromantiæ, engastrimythiæ, enteromantiæ & sternomantiæ* insignivisse. Ventriloquos olim pariter *fatidicorum celebrium* cognomine ornatos fuisse, testis est PLUTARCHUS de *def. Orac. Tom. II. Oper. p. 444.* ubi probe hisce verbis monet: esse nimis, quam puerile & fatuum opinari, ipsum Deum in corpore vatum, quos olim *Engastrimythos Eurycleas*, quod ex ventre sermonem fatidicum promerent, nunc *Pythonas* vocant, se immittere, eorumque ore loqui & voce pro instrumento uti. Fidem igitur meretur, quod illo tempore celebrium Oraculorum antistites fatidici artem per ventrem loquendi calluerint & simulata Spiritus divinatoris præsentia aliis imposuerint. Puellam in Actis Apost. cap. XVI. ventriloquam fuisse jam Autor est AUGUSTINUS. A plurimis doctissimisque sacrarum litterarum interpretibus nostri ævi Theologis & Philosophis, quos interest D. LANGIUS *im Historischen Licht und Recht*, & THOMASIUS *de Crimine magiæ*, §. *18.* saga Endorea habetur ventriloqua. COELIUS RHODIGINUS, vir sui ævi tota Italia celeberrimus, in *antiq. lect. Lib. VIII. Cap. 10.* ven-

ventriloquam ſe crebro vidiſſe teſtatur, cui vox fuit prætenuis, dearticulata & intelligibilis. JORDANUS *Tract. de eo, quod divinum & ſupernaturale eſt in morbis*, &c. præter plures ſimul teſtem profert TERTULLIANUM. Priſcorum temporum mos ita ferebat, ut quæcumque vulgarem notitiam excedebant, & quorum ratio non patebat, omnia cauſis ſupernaturalibus vel dæmonum præſtigiis attribuerentur. Poſteaquam autem magis excultæ Philoſophiæ ſtudium inſcitiæ nebulas diſpulit, ſimulque nimiam credulitatem magiæ & miraculorum delevit, compertum atque perſpectum eſt, ſine concurſu & auxilio dæmonum, ſed nefariis tantum hominum artibus præſtitas eſſe præſtigias; ita enim JORDANUS *Lib. cit. cap. 34.* notabile exemplum profert de Margarita Eslingenſi Ann. 1546. in cujus prætumido ventre auditi ſunt gallorum cantus, gallinarum coccyzationes, anſerum ſtrepitus, latratus, balatus, grunnitus, mugitus, hinnitus; ſimulque caute adnotat, quod ipſa, quo miraculo ficto fidem faceret, tandem e latere produxerit innumeros vermes & ſerpentes; omnia vero lucri cauſa effinxerit. Ejusdem comœdiæ ſpecimen a filia devota Delphenſi, ob ſui memoriam æternitati conſecrandum, plures per annos editum & ſub agone confeſſum, commemorat fuſius *Joh. Bapt. de* LAMZWEERDE, in *naturali molarum uteri hiſtoria cap. 25.* in cujus ventre ranarum coaxationes manifeſto auditæ ſunt, & occultata fraus neque a Theologis, neque Medicis celebribus convocatis, omni licet adhibita opera, detegi potuit. Quod autem homini ſit integrum artus eorumque muſculoſas potiſſimum partes, quæ voluntariis motibus obediunt, extraordinariis, quin contrariis actionibus uſu ita adſueſcere, ut videantur ſupernaturales, teſtatum non modo faciunt funambuli, ludiones & præſtigiatores, ſed etiam quam plurimi a Medicis inter ſimulatos morbos ſparſim adnotati caſus prorſus ſingulares, quorum ali-

aliquot notabiles PARÆUS *in Oper.* memoriæ prodidit, & quidem in *Lib. XXIV. cap. 18. pag. 566.* de juniore femina mendica, quæ viperam vivam casu deglutiisse simulabat & tam artificiose musculos abdominis hinc inde motare valebat, ut manu admota explorans vivum in abdominis cavo animal se percepisse jurasset. Similem voluntarie & sat violenter factam abdominis contractionem, conjunctamque præcordiorum elevationem tantam, quanta in convulsivis adfectibus deprehenditur, refert de improba muliere SCHAARSCHMIDT in *Relationibus medico-chirurgicis, Part. V. Num. XIV.* Fuisse quosdam scelestos, qui artem calluerunt aërem pro articulata voce in faucibus modulatum clauso ore retinendi & contraria prorsus via per nares emittendi, ut inde vox quasi e remoto & abdito loco, articulata quidem, sed rauca, auribus percipiatur, instar omnium est illud nostræ ætatis exemplum, quod perhibent R*elationes politicæ hebdomadariæ Halenses Num. XXXI. ann. 1746.* ubi *Christina Langia*, a magistratu serio admonita, fraudem palam & ceu ventriloqua omnibus præsentibus experimentum fecit, in quo nullus oris, sed tantum asperæ arteriæ motus est observatus, in quem casum docte commentatus est laudatus SCHAARSCHMIDT *loc. cit. Num. XV. p. 288. & seqq.* Attamen hic in ea sum sententia, quod illæ personæ Halenses in classem ventriloquorum quandam referendæ sint, sed non omnibus ventriloquis idem per nares sonum mittendi sit modus, quin potius per gulam in ventrem immittendi facultas. *Kenelmus* DIGBY, in *Tract. de natur. corp. cap. 28. pag. 319.* scite describit ventriloquos his verbis: *Illi, quos ventriloquos vocant, imponunt plebi, dum simulantes perhibent ex eorum corpore spiritum quemdam loqui. Singulari enim artificio aërem inspiratum retrahere valent, &, dum loquuntur, verba non ab iis ipsis, sed ab alio, qui in iis lateat, genio pro-*

*nunciari videntur, cum tamen illi ipsi sint, e quibus proveniunt: nisi enim probe observantur, in eam adducimur opinionem, qua nobis videmur verba ex longinquo loco resonantia audire.* Optime etiam ventriloquos descripsit, variisque & veterum & recentiorum autorum prolatis sententiis excussit Celeb. D. WALCH, in *Lexico philosophico* sub tit. *Bauch-Redner.* Cum itaque prolata testimonia & exempla sat validum exhibeant documentum, quod homo valeat non tantum clauso atque immoto ore loqui & vocem formatam ita in corpore occultare, ut vix ac ne vix quidem possit animadverti, quod ipse vocis autor sit; verum etiam, quod maximi est momenti, sonos & voces varii generis in ventre artificiose & arbitrarie æmulari possit: non est, de quo dubitemus, quin nostra Tilsitana tympanizans eodem singulari artificio militares tympani pulsationes in suo ipsius corpore arbitrarie fingat, uti ore easdem imitari ad amussim cuilibet fere datum est. Hujus fiendi modi fidem faciunt indubiam hæc in illa tympanizante momenta: 1) Quod propiore cujusdam auditoris adventu protinus & semper tympanistria sileat, id quod testatur, se sui esse probe consciam atque ab ejus arbitrio, seu rectius ludibrio, dependere tympanismum, minime autem a motu quodam convulsivo excitari; sed ut scelesta se catalepticam simulet, eoque technas occultet, necesse est. Nec obstat hic novissima relatio, qua ab omni tympanizantis regione observatores sunt constituti, & nihilominus ea tympanismum continuaverit non interruptum; nam voti sui primis experimentis jam compos facta, audacior nunc est in fuco ignaris faciendo. 2) Quod a tergo seu capite ipsius stans auditor validiores tympanismi sonitus percipiat; eadem nimirum ex ratione, quia aër, ore clauso ad tympanismum modificatus, primo in faucibus & egredienti & ambienti aëri per nares undulatorium suum motum imprimit atque sonus breviori via ad aures stantis a

ter-

tergo pervenit. 3) Quod sonitus, licet sat validi percipiantur, attamen rauci & obtusi, quasi ex assere alliso evocati, quales omnium autorum consensu sunt ventriloquorum. Ita REMIGIUS de *Dæmonolatria Lib. I. cap. 8.* sonos quasi e vacuo dolio, & JORDANUS *loc. cit.* ex axillis feminarum, quasi ex utero aut laguncula provenientes, describunt. Sonus vero semper sit raucus & debilis, si in mollia, minus elastica & quæ sunt inæqualis superficiei, corpora incidit: inde vox ventriloquorum Halensium per narium concamerationes pulsa semper erat rauca. Si vero ex experientia & probatorum autorum sententia confirmata æmulus quidam sonus in ventris cavum, non minus molle, quam inæquale, repressus aut quasi deglutitus est, putaret quispiam, quod prorsus suffocetur aut minus fiat intelligibilis; verum ex physicis constat, sonum vel in longinquum ferri integrum, aut auctiorem reddi quandoque, si ille arctiori tubo immissus sit, adeoque impediatur, ne natura sua in plures circulos se explicet, in quo etiam ratio consistit variarum tubarum. Analogam autem, ratione figuræ, structuram possidet œsophagus cum ventriculo, ut vel inde concipi possit, qui fiat, ut sonus illuc repulsus minime pereat, quin intelligibilis permaneat. Ex hac ratione de hujus tympanismi modo non levi conjecturæ locus est, quod primi sonitus semper sint validiores, priusquam aëre sonoro pluries represso ventriculi & intestinorum cavum nimis repletum, quo repleto & respiratio, ob impeditiorem diaphragmatis motum, aëris ad clangentis tympani morem modulatio, præter languescentes vires, ut deficiant, necesse est; inde pariter est, quod ultimo pulsationes quasi fabrorum ferrariorum malleantium æmulæ semper audiantur. Præterea cum nostra tympanistria organis loquelæ & inspirationi inservientibus magnam vim in repellendo sonoro aëre inferre debeat, non mirum, quod absoluto tympanismo multis cum suspi-

riis finem; auditoribus vero gravem morbi speciem & facrum conscientiæ stimulum simulans, imponat. Fraus vero ejus in tympanizando facili negotio posset detegi, si non extremorum artuum, sed asperæ potius arteriæ motus a spectatoribus attenderetur, sine cujus ope militares tympani pulsus imitari haud valebit. Ut vero ex supra adductis tympanismus nostræ nil nisi scurrile facinus est; ita si mentem meam liberius exponam, nec sine ratione conjectura facile consequi licet, quin persuasus sum, quod astuta mulier, aut pauperie, aut tædio laboris incitata, priorem æque morbum, ac tympanismum, simulaverit; sub illo autem, cum spiritum violenter & diutius occultare debuerit, casu tympanismum didicerit, simulque organa respirationis & loquelæ longo tempore ad tympani militaris pulsum imitandum habilia reddiderit: quas enim fraudes & technas, quibus aptissimæ plerumque natæ sunt feminæ, plebs mendica sæpius committat, quo lucrum inde capiat, docet non solum nominatus jam PARÆUS *Lib. XXIV. Cap. 18.* vel ex HIPPOCRATE, sed memoratu pariter dignis exemplis, quorum varia collegerunt, uberius confirmant *Annales phys. med. Wratislaviens. Tentam. XXV. & XXVI. pag. 197. 439. & 557.* Simile notabile exemplum de Sicula refert *P.* ZACCHIAS, in *Quæst. med. legal. Lib. III. Tit. 2. quæst. 7. n. 8.* quæ funambuli fere mores gesticulata ecstasin in sacris utplurimum locis simulabat, & vultum vel ictu oculi in mille prope colores commutabat, quo sancta habeatur. Omni itaque jure mulier hæc Tilsitana in numerum ventriloquorum est referenda, ac ob singulare prorsus ipsi artificium *tympanizantis* cognomine insignienda.

(*Treptoa Halam missa d. 12. Octobr. 1753.*)

## *OBSERVATIO LXXXIX.*

## DN. D. HENR. FRIDER. DELII.

### *Fluxus sanguinis ex aure, a caussa externa, non semper læsionis cerebri vel cranii signum.*

Ita certe cum capitis vulneribus & læsionibus comparatum est, ut vix magis fallaces, quam dictas, reperias. Prægrandia sæpe vulnera ipsius cerebri, fracturæ cranii enormes, sæpius spem præter & opinionem feliciter sanatæ sunt; læsiones contra, quas leviores primo intuitu iudicavimus, in vitæ discrimen mortales deduxerunt, vel ipsa morte mulctarunt. In hac ergo fallacium signorum constitutione omni ope niti decet, ut nunquam, ex antiqua jam observatione, læsiones capitis leviores vilipendantur. Neque autem graviores primo intuitu læsiones adeo pertimescendæ sunt, ut ægrotos pro derelictis semper declaremus. Signa enim, quæ communiter læsiones graviores indigitare debent, optatum sæpius effectum post se relinquunt. Circa unum tantum subsistet observatio nostra.

*Sanguinis* post læsionem capitis externam *ex aure fluxum* tantum non omnes Medici & Chirurgi pro *cerebri vel cranii læsiones signo* declarant. Ex antiquioribus placet CELSUM *Lib. VIII. Cap. IV.* adducere: *Ubi calvaria pertusa,* inquit, *protinus requirendum est, num bilem is homo evomuerit, num oculi ejus occœcati sint, num obmutuerit, num per nares auresve sanguis ei effluxerit, num conciderit, num sine sensu quasi dormiens jacuerit. Hæc enim non nisi osse fracto eveniunt.* Hanc fere thesin recentiores etiam tuentur, veluti Illustr. HEISTERUS, *Institut. Chirurg. p. m. 140. §. XI. & p. 147. §. XXXIV.* PLATNERUS *chirurg. §. 535. not.* **, celeberr. HEBENSTREITIUS *Anthropolog.*

*forens. p. 329.* aliique. Non lubet tantorum virorum observationibus studio contradicere. Lætum autem ægrotis, lætum Medicis & anatomicæ inquisitioni consentaneum erit, si bina exempla in medium proferam, quibus post casum ab alto, læso capite, *sanguis ex aure absque noxa fluxit.*

Rusticus ab alto versus vesperam in pavimentum decidit, sine sensu jacet. Excitatur. In hypocaustum ducitur. Confestim succedunt vomitus frequentes, prunorum præcipue semicoctorum, quæ (autumni tempus erat) paulo antea magna copia devoraverat. Inspecto capite Chirurgus in occipite læsionem animadvertit. Tonso capillo in minori & contuso vulnere albicans corpusculum conspicitur, & fere pro cerebro habetur. Inquiritur ulterius. Nihil autem erat, quam pisum siccum, qualibus forte pavimentum, in quod deciderat, conspersum erat, conquassatum, vulnerique impressum. Peregrino hoc corpusculo educto, Chirurgus, adplicato vulneri balsamo Peruviano, emplastrum & sacculos cum vino coctos superimponit, remque sic bene gestam autumat, præcipue cum dentibus varia corpora fortius comprimere jusserit ægrotum, neque tamen inde ortum capitis dolorem tremoremve expertus fuerit. Interea paratur ægroto jusculum, ad eum refocillandum. Hic comedere incipit, cochleare autem mox deponit. Torvus videt. Ad quæsita nihil respondet. Cochleare e patella marsupio suo intrudit, e quo iterum pruna profert & comedit. Delirare videtur. Subito autem inarticulatas voces cum aliquo clamore edit, insequentibus fortissimis totius corporis convulsionibus. Has stertor demum pectoris & suffocativa pathemata excipiunt. Exspirare creditur. Confestim Medicus & chirurgus accersuntur, qui, denuo inspecto vulnere, nihil præter jam descripta animadvertunt. Sed *sanguis largiter ex aure fluit*, & fluxerat jam ante, id quod grumi coagulati, in externa aure conspicui, indigitabant. Confestim

vena

vena in pede secatur, quo facto sentire iterum ægrotus videtur. Reponitur, capite tamen nonnihil elevato, in lectum. Præscribitur potio traumatica, discutiens & temperans. Post aliquot horarum decursum iterum ad se redire videtur, & alvum sibi deponendam esse indicat. Ducitur; sed lectus vestimentaque quum fecibus alvinis madida animadvertuntur, exinde sub convulsionibus involuntarie has excretas esse concluditur. Altero die sanguinis ex aure fluxus adhuc observatur. Omnia autem symptomata mitiora erant, febricula tantum vulneraria laborabat noster, qui haud adeo concitati motus temperamento magis phlegmatico ejusdem adscribendi esse videbantur. Vulnus interea digestivis & balsamicis solitis tractabatur, ipseque ægrotus, cujus auris, tertio die expurgata, sanguinem non amplius fundebat, tertia a lapsu hebdomade plane restituebatur.

Novem annorum puer cum aliis commilitonibus cursui & saltui in suprema domus contignatione, ut puerilis ætas solet, indulget. Trabes hinc inde ascendendo e fere decem pedum altitudine lapsum patitur. Exanimis fere in conclave fertur, & sine sensu jacet. Confestim advocatus, circa os temporum sinistrum ingentem & sugillatum tumorem animadverto. Vulnus pollicis magnitudine circa canthum oculi externum conspicio. Palpebræ præ tumore clausæ. *Sanguis e naribus & sinistra aure copiose fluebat.* Cruore vulnus eluitur, neque tamen minus e naribus aureque sanguis stillat. Parantur extemplo sacculi discutientes e speciebus pro cucuphis & cum vino calido applicantur, deligatur unguento digestivo vulnus, & potio temperans offertur. Nocte somno sepultus jacet, potio autem per intervalla exhibetur. Altero die discussus nonnihil tumor, præter oculi chemosin, apparebat. Febre laborat noster. Continuatur antifebrilis & temperans potio. Tertio die adhuc sanguine auris concha madebat. Febris minuitur. Quar-

to

to die inflammatio oculi major erat, quæ autem unguento digestivo, cui chirurgus oleum tartari fœtidum miscere solebat, adscribenda erat, quoque iterum omisso, disparebat. Intra quatuordecim autem dies plane restituebatur noster, nisi quod ex hac læsione ophthalmia interdum laboraret, quæ autem internis temperantibus & laxantibus, nec non externis aquis ophthalmicis consuetis felici cum successu tractabatur.

Quando sanguinis ex aure fluxum, post lapsum aliquem, vel aliam læsionem externam, mali ominis esse judicant Medici & Chirurgi, sine dubio factam esse læsionem cranii & encephali supponunt. Neque negandum est, quod si temporis os fractum seu ruptura vasorum sanguiferorum cerebri vel duræ matris, vel ejusdem sinuum, orta fuerit, admodum inde sonticum oriri & eo majus periculum, quoniam sæpiuscule neque trepanatione, neque alio artificio sanguis in basi cranii extravasatus educi potest.

Quando autem sanguinis ex aure fluxus nullis, seu non adeo atrocibus symptomatibus stipatus est, atque curationi facile locum relinquit, tam certe adeo enormis læsio supponi nequit. Ergo aliæ viæ adesse possunt, e quibus itidem sanguis ex aure cum minore periculo funditur.

Scilicet quando hæmorrhagia oritur, major vel minor, varia ratione contingit arteriæ alicujus vel venæ præternaturalis apertio. In lapsu, vel ab alia caussa externa, partim arteriæ a reagente quocunque corpore magis premuntur; hinc sanguis per easdem progrediens majori vi contranititur, & simul secundum directionem vis fortioris premitur. Facilis inde extravasatio. In venis, dato simili & violento casu, e contusione & pressione majore regressus sanguinis impeditur; facilis inde vasis dilatatio, & hæmorrhagia.

Jam, ut faciliorem de reliquo per venas hæmorrhagiam taceamus, si arteriam auricularem seu auditoriam externam consideramus, quæ ab arteria carotide externa oritur, nonne hæc in substrato casu sanguinem fundere potuit, & non semper timendi fluxus sanguinis ex aure subministrare argumentum?

Hæc quidem arteria cavitati tympani nonnullos largitur ramos. Sed hi admodum parvi, ob minorem energiam, utut læsi, minus etiam periculum læsis adferant, ad otalgiam, auditus difficultatem, suppurationes quidem multum conferre possunt, non autem in vitæ discrimen læsos inde venire videtur. Objici forte posset, sanguinem ex aure fluentem nihilo minus insontem esse posse, si etiam ex encephalo prodiret, quoniam porta aperta sit, per quam facilius egredi datum esset. Scilicet *foramen aliquod tympani* statuunt. Sed, præter ea, quod tamen difficulter hic foret transitus, ipsius foraminis existentia difficillime probatur; plerumque quando id demonstratur, ex improviso tympani membrana perforata est. Fumus Tabaci nondum satis certo experimento per tubam Eustachianam per aures erupit, & si etiam factum fuerit, forte vis adhibita alias sibi paraverit vias. Neque sanguinem in cavitate auris interna extravasatum, ob coagulum, per tam exiguum & prætensum hiatum prodire posse verosimile est, cum aër in meatu auditorio externo contentus hunc transitum impedire possit, ipsumque tympanum, propter ejusdem situm obliquum, itidem sanguinem difficillime & non nisi summa vi, quæ vero in hac interna auris cavitate non liquet, transmittat.

Quod si ergo sanguis post lapsum ex aure fluit, non statim pertimescere oportet. Nihilominus autem debita ægroti cura habenda erit, discutiendo partim stagnantem sanguinem, repurgando affectum locum, roborando debilitatas partes, quoniam in principio sanguinis effluxi origo non sta-

tim liquet. Quodsi vero hic etiam sanguinis fluxus die secundo vel tertio non cessaverit, symptomata autem graviora vix observantur, vel faciliori negotio tolluntur, tum imminentis periculi metus fere evanescit. Imo varia symptomata difficiliora e contusione forte facta pericranii, durae matris propaginis, & ex ipsius cerebri commotione explicari queunt.

Interim & hoc monendum videtur, ne effluxum forte e vulnere sanguinem & conchae auris insinuatum, pro ipsa manatione auris cruenta habeamus, neque fulgur inde e pelvi excitetur.

Si vero sub tali sanguinis ex aure fluxu ossium inaequalitas, fracturae indicium, convulsionum, comatis, cari signa manifesta & perdurantia fuerint, tum ad majoris momenti laesionem concludere par est.

Manationes autem aurium cruentae vel purulentae in otalgia varii generis, non externam semper, sed internam agnoscunt caussam, hinc hic locorum non explicandae sunt.

*(Erlanga Norimbergam missa d. 20. Octobr. 1753.)*

## *OBSERVATIO XC.*

## DN. D. FERDINANDI JACOBI BAIERI

### *Morbi complicati specimen singulare.*

Adolescentulus egregiae indolis magnaeque exspectationis, octavum aetatis annum nondum emensus, a negotiis jussu parentum subeundis domum rediens, inopinato a cane feroci mordaci tres ictus, non equidem profundos sanguinemque fundentes, in sura pedis sinistri perpetitur. Miser atque infelix, viam regiam incedens, quanta terroris vehementia perculsus fuerit, subsequens pallor & tremor abunde

unde satis indicarunt. Præbebantur illico medicamenta, tam interna, quam externa, quæ morsum canis rabidi sanare solent, methodusque in profliganda hydrophobia adeo sollicite observabatur, ut non solum stigmata inflicta in blandam suppurationem abirent, verum etiam in tertiam usque septimanam aperta manerent. Morbi vero malignitas exinde apparuit, quod caput illo in latere, quo læsio contigit, in humerum oblique spasmodiceque distorquebatur, & ulcuscula in margine pustulis albicantibus obsidebantur. Insigne levamen attulerunt remedia bezoardica, resolventia & nervina, adhibitis simul topicis, emplastro seorsim de speirmate ceti liberaliter camphorato, ita, ut intra octiduum rigiditas & curvatura sensim sensimque evanesceret, & ægrotus collum in situm positumque naturalem reduceret, parumque doloris in parte affecta sentiret. Quare quieti non nimis indulgendum, sed motus corporis quotidie & moderate instituendus erat. Die decimo atque undecimo juvenem laudabile tenuit desiderium frequentandi scholam, ex qua redux factus vacillationem dentium dolorificam molarium utriusque maxillæ deploravit, masticationis difficilis incommoda ægre ferens. Subsequebatur anorexia & torpor artuum, grave symptoma dentitionis secundæ, quando alveoli impetuosius & vehementius in actus suos rapiuntur, unde spasmodicæ contractiones multis modis variantes, vigiliæ præsertim & pavores oriri solent. Infesta quoque accedit cephalalgia, cui subinde narium hæmorrhagia modica levamen attulit, & critici quidpiam significavit. Æger proin methodo congrua caute suffultus nares crebro scalpere cœpit, a sanguine forsan ibidem restitante inductus; ast longe diversum anguem in herba latitantem phænomenon hoc portendit. Die undevigesimo funeste decurrentis morbi corripiebatur diarrhœa colliquativa, quam mitigare studebamus decocto albo spisso Sydenhamii loco potus ordi-

narii, aliisque leniter incrassantibus & analepticis, junctis pariter externis medicamentis. Responderunt equidem conatus indicationi, ast intra viginti quatuor horarum spatium abdomen moleste intumuit, ut ad quemvis tactum acerbi obtingerent sensus. Flatuum copiam heic in culpa fuisse quis non judicasset, & enemata lenientia, carminativa, maximopere commendasset? Pro duplici ergo præbio applicabatur clyster, qui statim post fistulæ retractionem crudus, absque ullā subsidentia expansionis, profluebat. Ad acre igitur magisque stimulans enema progressum fecimus, quod itidem prima vice confestim emanavit, secunda vero multum colluviei aquosæ eduxit, manente nihilominus abdomine in statu pristino. Successit quoque vomitus materiæ tenuis copiosæ nigricantis, cum summa prostratione virium, rediit spasmus particularis affecti lateris, pollicis præcipue pedis a cane mordicus arrepti, animi tamen præsentia ad extremum vitæ halitum integra constitit, id quod e precibus voluntariis, & piis cum adstantibus coadunatis suspiriis intelligere licuit. Finita sic tragœdia, quæ in diem vigesimum usque tertium ludebatur, exenterationem decrevimus, ut cadaver a putredine liberaremus, ac interiora, fuco fallaci hactenus obducta, inspiceremus. Vix culter anatomicus integumenta communia penetraverat, ecce! latex serosus haud ingrati odoris, quem ab ingestis confortativis acceperat, prosiliit. Ab initio Chirurgus incautæ sectionis arguebatur, ipsum intestina leviter vulnerasse, suspicionem vero dimovebat totum systema flatibus turgidum & aliquatenus gangrænosum. Epiploon, omni spoliatum pinguedine planeque absumtum, ceu nuda comparuit membrana vasis intertexta, atrophiæ prægressæ consectarium. Hepar, uti subjectis junioribus comupetit, sat magnum, absque omni labe constitutum erat; vesicula fellis justo ampliore pollebat mole. Ventriculus

parvi moduli flaccidus, cum forte reſcinderetur ab œſophago, duplici quantumvis filo munitus, jam reſeratus quinque lumbricos teretes prægrandes excludebat, qui ſine dubio in itinere ſurſum tendente ob inediam paſſim perforarunt canalem inteſtinorum. Aperto thorace ſiniſter pulmonum lobus pleuræ bifariam adnatus deprehendebatur, aſthmatis aut phthiſeos imminentis certus prodromus; reliqua vero tam medii, quam infimi ventris viſcera nihil præternaturale ſiſtebant.

## Scholion.

Terrorem præcipuam fuiſſe cauſſam morbi pernicioſi, & corpus ſubtile fluidumque pueri ab hoc pathemate irreparabile magis accepiſſe damnum, quam adulti, nemo non ultro largietur. *Quibuscunque enim*, docente τῷ πάνυ WEDELIO, *ſpirituum textura eſt debilior, obtuſa, diſſipabilis, in illis facilius terror incutitur, & incuſſus morbificus evadit.* Hinc genus nervoſum valde perturbatum contracturam colli particularem, deinceps repentinam dentium molarium eruptionem accerſivit. *Diffuſis ſic ſpiritibus*, ut ejuſdem verbis utamur, *emoriebatur appetitus*, & infenſa lumbricorum pullities, ob defectum cibi aſſumti, pertinaciſſime inteſtina exſugebant, bonam ſubinde chyli portionem conſumendo, &, quod plane deleterium erat, perforando corrodebant, unde probabiliter glandulæ liquidum ibidem deponentes humidum radicale diſſolverunt, & quicquid potulenti oblatum fuit, in cavum abdominis percolarunt. Ceterum, crebram narium ſcalptionem in pueris pro ſigno abſolute pathognomonico vermium habendam eſſe, manifeſto apparuit.

(*Norimberga Halam miſſa d. 27. Octobr. 1753.*)

# *OBSERVATIO XCI.*

## DN. D. ANDREÆ ELIÆ BÜCHNERI

*De*

*Calculis felleis numero quadraginta novem, figuræ & magnitudinis prorſus ejuſdem, partim ex abſceſſu in epigaſtrio prodeuntibus; partim anatomica ſectione in cyſtide fellea repertis.*

Equidem probe novi, in ea medicinæ parte, quam ipſa artis exercitia conficiunt, non omnino deſiderari hodie ejuſmodi obſervationes, quæ calculos felleos, partim a vivis hominibus, inter varios multiplicesque adfectus, via ſolita æque ac inſolita emiſſos, partim vero inciſis mortuorum corporibus detectos annotarunt, eos inprimis, qui ob inſignem magnitudinem, aut ob majorem copiam, aut denique ob variam & ſingularem figuram præ aliis notatu atque commemoratu digni ſunt æſtimati. Ut omittam enim iſtos auctores, qui paſſim in ipſorum ſcriptis non in tranſcurſu ſolum, ſed ex inſtituto quoque luculentam hujuſmodi calculorum mentionem injecerunt; ipſæ etiam Academiæ noſtræ cæſareæ Naturæ Curioſorum Ephemerides tam inſignem memorabilium hujus generis calculorum numerum jam annotatum habent deſcriptumque, ut ſolus ipſorum index, qui *biliosi calculi* inſcribitur, in *Synopſi Obſervationum in* dictis *Ephemeridibus contentarum* a Clariſſ. KELLNERO edita, aliquot paginas fecerit ſuas. Unde facile eſt intellectu, celebrem quondam *Georgium Francum a* FRANCKENAU ipſi, quam moliebatur, *Lapicidinæ microcoſmi in abdomine* haud adeo magno cum negotio copioſum ejuſmodi calculorum

rum indicem, e veteribus recentioribusque scriptoribus collectum, adjicere potuisse; quam ipse operam in *Ephemerid. Naturæ Curiosor. Dec. II. Ann. VI. Observ. 194. pag. 387.* quondam in se receperat liberaliter. Quæ ut ita sint, nihilo tamen secius arbitror, novas hujus generis observationes, de felleis his calculis, absconditis sæpe atque non satis perspectis gravissimorum & intricatissimorum morborum caussis, institutas, non omnino fore infructuosas; inprimis si accesserint momenta quædam, in ejusmodi exemplis antea nunquam aut saltem non accurate observata. Quo nomine & ipse mihi videor operæ facturus pretium in enarranda hac observatione medica; quam quidem ego jam pridem cum lectoribus communicassem meis, nisi variæ multiplicesque occupationes jam satis multo abhinc tempore, & præsertim eo, quo nova Actorum nostrorum edidi Volumina, me impeditissimum tenuissent, adeoque, vel me invito, quicquid est hujus observationis in hoc demum Volumen rejecissent.

Anno cIↃIↃccxxxix. quum adhuc Erfurti essem, d. xvi. Novembris adiit me nec dexteritatis, nec peritiæ in arte sua expers Chirurgus quidam, referens, jam inde ab excedente Junio mense dicti anni ipsius curæ commissam esse fœminam, sex supra septuaginta annos natam, quæ, dum festinanter, nocte perobscura, subdiale percucurrisset, ad temonem cujusdam vehiculi forte oppositi graviter alliserit, atque ab insigni hoc quassu apostema acceperit, in regione corporis epigastrica, (quæ videlicet injuriam erat passa,) tres circiter latos digitos ab infima postremaque costa vera lateris dextri, versus scrobiculum cordis, exortum. Hujus autem mali hunc fuisse ortum progressumve, porro commemorabat. Ab initio adfectum hunc locum & leviter tantum indoluisse, & perparum fuisse sugillatum; hinc etiam, quæ simplici alias mederi solent contusioni, adhibita esse remedia, v. c. lotiones cum spiritu vini camphorato, & fomenta cum sac-

culis

culis, ſpecierum reſolventium & diſcutientium plenis, atque cum vino coctis inſtituta: quibus ſenſim cedere viſa fuerit ſugillatio. Præterlapſis autem tribus circiter quatuorve hebdomadibus fœminam hanc vehementer cœpiſſe queri de exquiſitiſſimis doloribus, modo commemoratum corporis locum intus adficientibus, ita tamen, ut & tumor abfuerit, & rubor. Continuatum ergo, ſed fruſtra, diſcutientium uſum; auctos potius eſſe indies, præcipue ab ineunte Septembri menſe, dolores, acceſſiſſe dein conſpicuum tumorem ruboremque, certos naſcentis apoſtematis teſtes. Rejectis itaque diſcutientibus, d. XXIII. Octobris cœptum eſſe hunc locum tractari remediis maturantibus, nimirum emplaſt. de meliloto malact. cum gummat. & diachyl. ſimpl. & frequentius ſuperimpoſito cataplaſmate, ex radic. alth. lilior. alb. herb. malu. flor. chamom. vulgar. ſambuc. & ſummit. millefolii, lacte coctis parato. Abſceſſum hinc ita eſſe emollitum, ut celerius ſuppurans d. XXIX. ante dicti menſis, facta inciſione, aperiri, atque adeo copioſo puris ſubalbidi & craſſi, hoc eſt, naturalis profluvio via potuerit pandi. Ex eo tempore abſceſſui quotidie turundam lineam, unguento digeſtivo, cum æqualibus balſami Peruviani & eſſentiarum aloës & myrrhæ partibus mixto, inunctam, eſſe immiſſam, ſuperinjectumque paullo ante dictum emplaſtrum, & interdum quoque liquores balſamicos atque leniter traumaticos, ſyringæ ope, infuſos. Interea copiam effluentis puris nonnihil fuiſſe imminutam, colorem vero & craſſitiem ſeu tenacitatem manſiſſe eandem. Die denique XVI. Novembris, (quo ſcilicet primum hujus morbi cauſſa a chirurgo antea laudato conveniebar,) quum conſueto more deligandum fuerit apoſtema, remoto emplaſtro, extractaque turunda accidiſſe, ut in hujus abſceſſus canali aliquid, parvi albidique lapilli ſpeciem habens, deprehenſum, facilique negotio, volſellæ ope, inde fuerit eductum. Cui univerſæ narrationi hoc demum adjecit

jecit memoratus iſte Chirurgus, quod ipſum hunc lapillum adferret, meamque de illius genere atque natura rogaret ſententiam.

Tametſi vero hunc lapillum, (cujus magnitudinem, quantaquanta fuit, exacte exhibet delineatam Tab. v. Fig. 7.) extrinſecus cortex obducebat lævis atque nitens, magisque albicans, quam flavus: inſignis tamen ipſius levitas, quæ nec ipſum aqua ſubmergi ſinebat, permovit me, ut eundem ſtatim ad felleorum calculorum genus referrem. Quod quo certius cognoſcerem, tam Chirurgi rogatu, quam ipſa mea curioſiori adeo ſingularis phænomeni miratione excitatus, conſtitui ipſam inviſere ægrotam & deligationi apoſtematis adeſſe. Adfui itaque d. XVIII. Novembris, & ecce! ſemoto faſciarum & omnium, quæ impoſita erant, apparatu, mira opportunitate denuo alius hujuſce generis lapillus in ipſo apoſtematis oſtio ſe obtulit, quem volſella ipſe extraxi, priorique figura, colore atque magnitudine ſimillimum deprehendi; ut adeo exinde in majorem actus fuerim admirationem. Ceteroquin autem indolem abſceſſus, qualem antea explicaverat chirurgus, prorſus inveni talem. Ad hæc quoque exploranti mihi apoſtematis hujus canalem vix tres pollices latos (*drey zoll*) recto itinere ſpecillum immittere licuit, viſuſque mihi eſt hic canalis inde deorſum obliquo tractu deflectere in ipſum abdominis cavum. Ægrotam, neque dum viribus penitus exhauſtam, neque febrientem, edendi vero appetentia pæne expertem, cæterum tantummodo de parciori fecum alvinarum ejectione, alvoque frequenter morante querentem deprehendi. Cui accedenti malo interdum ſuaſi proponendum pulverem rhabarbarinum cum cremoris tartari nonnihilo remixtum; abſolutiorem enim vniverſi morbi curam rogatus non eram. Chirurgo eandem in hactenus ſervato deligandi apoſtematis ordine conſtantiam commendans, illud ſimul dedi negotii, ut ſingula in hac muliere porro obſer-



va-

vata mecum communicaret, & præcipue mihi referret, simulac ipsa mortem sit oppetitura. Mortem enim, horum malorum finem, sub ipsa licet mediocri symptomatum vehementia, certe accessuram augurabar. Mortuam autem destinaveram cultro anatomico, unde veram hujus prorsus singularis exempli rationem indolemve explicatum iri exspectabam.

Verum enim vero vix tres præterierant dies, quum d. XXI. Novembris tertium lapillum, cum prioribus exacte convenientem, afferret Chirurgus; quem quartus d. XXVI. & quintus d. XXX. ejusdem mensis, ejusdem plane indolis, eodemque modo ex abscessu exclusi sequebantur. At ineunte Decembri mense ægram hanc vehemens atque iracunda animi commotio in icterum flavum &, vix præterlapsis quatuordecim diebus, in nigrum conjecit, addiditque statim sub primo impetu haud mitiores comites, febrem lentam, mox ab hectica exceptam, & subitam nimisque celerem tabem. Quæ omnia eo propinquiorem ultimam denunciabant necessitatem, quo pertinacius ab omni medicamento abstinebat ægra, tam paupertatis memor, quam vitæ pertæsa. Quanquam autem versus medium Decembris hic abscessus fistulas concipiebat, & purulenta materies parcius quoque profluebat, sensim in saniem conversa putridam, sed minus graviter fœtentem: subinde tamen adhuc duo tales, quales ante descripsi, lapillos abscessus ex se emisit; quo facto dein miserrima hæc mulier corpore, summa macie confecto, se exsolvit d. V. Januarii anni cIↃIↃCCXL. versus vesperam.

Die VI. Januarii mane comperta per Chirurgum hac morte, cum ipso propere me ad defunctæ filiam generumque contuli, incidendi corporis demortui potestatem rogans, ut admirandi hujus exempli veram indagare possem naturam. Quam veniam, licet hæc res in magnas multiplicesque incurreret difficultates, impetravi tandem, hac tamen constituta

con-

conditione, ut eo, quo jam delatum esset, cadaver secarem loco. Intelligite itaque, Lectores, egregium hoc theatrum anatomicum. Scilicet stabulum erat, condendis lignis destinatum, (lignile vulgo vocant,) perobscurum, & quod omne, quicquid erat exigui atque tenebricosi luminis, a patente accipiebat janua, quæ simul vero, ea tempestate, rigidissimo patebat aquiloni, secantium manus haud levi horrore adstringenti. Vicit tamen & hanc difficultatem ingens, qua flagrabar, cupiditas tam accurate sui invicem similium calculorum origines cognoscendi, placuitque, qui alias nunquam placuisset, locus hic nostris laboribus inconveniens atque ineptus. Quoniam vero hic repositæ variæ res, ignem facile concipientes, usu atque luce ardentis candelæ me prohibebant, & ad hæc ipso hoc die immane erat frigus, curatiorem instituere non potui anatomen. Hinc primo statim intellexi, omnia hic, quantum brevissime celeriterque fieri posset, esse agenda, mihique satis esse debere, si, adscito in laboris consortium ante dicto chirurgo, solius hujus abscessus indolem, utpote præcipuum, quod me curiosum tenebat, momentum, fuerim perscrutatus. Quam ob rem pauca hæc, quæ locus valde obscurus atque tenebricosus, & rigidissimus artuum ab acerrimo aquilonis afflatu torpor, pæne tumultuariæ permiserunt observationi, Lectores benevoli facile condonabunt enarranti mihi, certe, si paullo major adfuisset opportunitas, exactius examen anatomicum absolutioremque daturo descriptionem.

Hæc autem observationis nostræ fuit ratio. Integumentis, quæ vocant, communibus remotis, abscessum hunc in regione epigastrica per musculum abdominis oblique descendentem penetrasse, magnaque ejusdem atque contigui recti musculi portione exesa, dehinc peritonæum perforasse vidimus. Inde per superiorem marginem jecinoris, (quod hoc loco cum peritonæo arcte coaluerat, & circiter spatio transversæ manus plane friabile atque vietum, reliqua parte scirrhosum,

universim vero colore fusco tinctum erat,) apostema canalem deduxerat, qui eo, quo superne cystis inflectitur fellea, loco, post ductus hepatici insertionem, finiebatur, & inde, quoniam facculum vesicæ felleæ membranaceum pus exederat, non interrupto itinere in ipsum hoc cavum tendebat, emissosque ex eodem calculos exceperat, & exceptos porro haud impedite eliminarat. Ipsa cystis ad externum tactum admodum dura & velut lapillis repleta, atque insuper longe magis solito distenta, & in fundo latior sive planior deprehendebatur.

Dissectam porro superne, ubi jam erosa erat, cystidem felleam invenimus adhuc meris hujusmodi calculis, ad reliquorum indolem figuramque exacte accedentibus, refertam; quos singulos nonnihil liquoris tenacis, mucidi albicantisque, & a bilis natura prorsus alieni, interfluebat. Ipsi calculi peculiari ordine tabulatim singuli singulis superinjecti erant, ita, ut eo, quem in Tab. V. Fig. 5. delineandum curavi, modo singuli septem stratum conficerent circulare. Cujus generis strata, sibimet invicem superingesta, sex adhuc cystis fellea comprehendebat, quæ adeo quadraginta duobus constabant calculis; unde, si septem ante memorati seorsimque exclusi lapilli adjiciantur, universus calculorum numerus ad quadraginta novem adsurgit, stratorum vero ad septem. Quod si porro spectata fuerit singulorum calculorum figura, per pyramidem quadrangulam regularem, superne resectam, in basi vero perparum cavatam seu, si mavis, veluti impressionis nota signatam, optime mihi definienda videtur. Cujuslibet calculi altitudo duas aut duas cum dimidia lineas, (quod notissimum mensuræ genus est,) æquabat: illud vero hujus quadranguli latus, quod basin constituebat, paullo minori comprehendebatur mensura. Quam in magnitudine atque figura animadverteram, convenientiam, pondus quoque ipsum servabat. Calculorum enim plerique, dum adhuc recentes nondumque ab ætate siccati erant, quatuor ponderabant grana, nullique plus, quam dimidium aut ad

sum:

ſummum dodrans unius grani deerat. Coloris reſpectu extrinſecus ad unum omnes albicabant, paſſim tamen partim ſubflavus, partim ruſſeolus intermicabat color, & in uno margine conſpicua quoque erat nigricans & oblonga quædam macula, quæ ab interiori calculorum fabrica derivari videbatur. Guſtus nihil explorare poterat, tactus vero externam ſuperficiem veluti ſapone obductam ſentiebat.

Porro quoque hi calculi deſuper medio diſſecti ope acuti cultri, (huic enim facillime, dum recentes erant & ſubmolles, cedebant,) ſingularem oſtendebant ſtructuram. Cortici ſcilicet exteriori, corneum ſive glauco-gryſeum, ut ita loqui liceat, colorem æmulanti, proxime vicinæ ſuperne atque magis extrinſecus ſubflavæ, verſus centrum vero ſubluteæ lamellæ tenerrimæ & ſe invicem excipientes, quæ quadrangulum formabant acutum; quod denique in ipſo centro perexiguum complectebatur nucleum, ex bruno furvoque nigrum, ſabuloſum, & usquequaque circularibus lamellis circumductum: quæ ſingula in diſſecti ejusmodi & parum lævigati calculi figura ampliori Tab. V. Fig. 9. (cujus naturalem magnitudinem Fig. 8. deſignat,) diſtincte poſſunt videri. Cortici ex omni latere craſſities erat ſemilineæ, ſtructura vero ex innumeris lamellis conſtans, quarum primæ & exteriores, ſi ſejungebantur, albo colore præditæ erant, reliquæ vero, quo magis interius & verſus medium vergebant, eo magis flavo luteove colore tinctæ deprehendebantur. Interioris quadrangularis nuclei, cujus quodlibet latus duas explebat lineas, natura non, qualis corticis fuerat, adeo denſa atque exſucca erat, præſertim circa nigricans centrum, & ad hæc linguæ quoque peramarum fellis ſaporem imprimebat. Contriti hi calculi in ſubpinguem & ſilaceum fatiſcebant pulverem, neque aqua forti, neque urinæ ſpiritu ſolubilem; niſi quod eidem pulveri illa peralbum, hic vero albicantem tantummodo attulerit colorem.

 Nec

Nec ab oleo vitrioli satis forti color mutabatur. Contra ea tempus atque calor hunc pulverem cum oleo tartari per deliquium ita conjunxerunt, ut perfecte in albidam coiverit massam, aquæ congelatæ haud absimilem, atque priorem alcalinam acredinem perobscure tantum resipientem.

Difficultatibus itaque his antea expositis ab accuratiori abstractus perscrutatione, qua occultam partium internarum indolem in defuncta hac muliere investigarem: id saltem mihi superesse negotii existimavi, ut, quos illius corpus comprehenderat, calculos felleos examini subjicerem exquisitiori, ipsorumque partes, quas vulgo dicunt, constitutivas chemica eruerem dissolutione; non omnino nullam inde auguratus utilitatem. Quo animo horum calculorum quindecim, drachmam exacte ponderantes, in subtilem redigendos curavi pulverem, quem retortæ, ut Chemici loquuntur, circiter trium aquæ unciarum capaci, indidi, appositoque excipulo non vehementiorem subjeci ignem, quam qui resinis liquandis suffecisset. Quum retorta inde satis incaluisset, pulvis in humorem rubidum & tenacem, simul tamen ex omni parte fluidum delicuit, sensimque limpidæ cujusdam aquæ sex septemue guttulæ in excipulum destillarunt. Auxi deinde ignem, vidique moleculas quasdam nigras, floccorum instar, in liquida hac massa fluitantes. Eodem temporis momento superiori retortæ parti aliquot guttulæ oleosæ, colore badio tinctæ, adhæserunt; quibus vero statim iterum defluentibus successit limpidissima quædam atque subpinguis portio, striata serie in retortæ lateribus velut ascendens, unde dein e retortæ collo in receptaculum profluebat; haud alia pæne phænomeni hujus ratione, quam quæ in destillante spiritu vini aut acido quodam, quod vocant, concentrato sæpenumero observatur. Bulliit autem in retorta hic liquor, sed sine spuma. Stillantes modo commemoratas limpidas

guttas

guttas subflavæ dein secutæ sunt, quæ & ipsæ porro magis magisque rubescere, tamque insignem contrahere tenacitatem cœperunt, ut effluxu in excipulum pæne prohiberentur. Maxima quoque pars, nebularum instar fluctuantium, sed gravate, in appositum receptaculum evaporavit. Atque ut paucis dicam, ægerrime omnia, quæ in retorto vase supererant, destillarunt, ut pæne igne opus fuisset candefacienti. Denique quum totum perfecte incanduisset vasculum, caput mortuum, quod Chemici dicunt, superfuit ex fusco nigrum, sesquigranum ponderans, & prorsus insipidum: cujus in superiore parte perexigua olei postremo destillantis portio in nigricantem velut resinam coiverat, vixque quartam unius grani partem pondere æquabat. In unum collectus, qualiscunque destillaverat, liquor ex flavo rubuit, præditusque fuit sapore parum empyreumatico, sed in gratiorem desinente; cæteroquin, respectu tam saporis, quam consistentiæ, ut vulgo dicitur, balsami habuit naturam. Præter ea quoque aliqua hujus liquoris pars, quæ multæ innataverat aquæ, omni liberata est empyreumate, & perfecte ad odorem styracis solidi sive calamitæ, ad tenacitatem vero opobalsami accessit. Reliqua vero, quæ sibi relicta erat, portio non omne quidem, sed quantulumcunque tamen excussit empyreuma, nigrior facta est, ceterum vero eundem, quem altera aquæ infusa pars sparsit, odorem emisit. Unica hujus olei guttula, candentibus inspersa carbonibus, gratissimum incendit odorem; chartamque eodem inunctam accensamque, ac si terebinthino oleo fuisset illita, lucidissima consumsit flamma. Hujus, quod sibi soli reliqueram, olei nigricantis nonnihil cum acidissimo vitrioli oleo confudi: quo facto primo huic innatavit, deinde vero agitando, nullis emissis bullis aut vaporibus, cum eodem coiit, & leni dein calore admoto tales exiguas cylindraceas generavit crystallos, quales alias sal quoddam uri-

urinosum, cum vitrioli oleo commixtum, producere solet: aliqua vero hujus massæ confusæ particula fundum petiit, per-atrum colorem solidamque compagem nacta. Cum aqua forti, spiritu urinæ rectificato, oleo tartari liquato, & ipso spiritu vini rectificatissimo uniri se non passum est hoc oleum. Inter hæc tamen dignum memoratu phænomenum mihi visum est, quod idem hoc oleum, spiritui vini infusum, neque summum, neque infimum occuparet locum, sed in innumerabiles divisum globulos undique fluitaret: unde etiam haud obscure colligi posse arbitror, huic oleo seu, si aliud mavis nomen, balsamo & spiritui vini rectificatissimo eandem inesse gravitatem internam, quam Physici *specificam* appellant.

Atqui demum, quo penitius horum calculorum indolem indagarem, ipsam bilem sub idem revocavi examen. Scilicet fel taurinum leniter exsiccatum a moderato igne prorsus torrefieri curavi. Torrefacto accessit durities æque, ac fragilitas pæne vitrea, colorque ex flavo virens; ad aërem vero talis, qualis ceræ cum therebinthina commixtæ esse solet, tenacitas rediit. Hujus massæ drachmam, retorto vasi inditam & antea exposito modo tractatam fere eadem edere phænomena deprehendi. Siquidem illa primo æque facile, paullo minus tantum limpide delicuit, & postea, in minimas bullas resoluta, primo pauciores lacteas, dein vero copiosiores flavas emisit guttas. Ab auctiori porro igne maxima albicantium vaporum copia excitata est, qui cum phlegmate, quod vocant, & oleo, primo ex flavo rubente, dein crassiori ruberrimo, (qualiter sanguis rubere solet,) in excipulum prodierunt. Ad hæc fœtor ea, qua retortæ collum receptaculo commissum erat, parte erumpens fuit gravissimus. In candenti demum vase remansit caput mortuum, coloris respectu cum priori illo prorsus conveniens, sulphureo autem atque salino sapore infectum,

& quatuordecim dimidiique granorum pondus adæquans. Lixivium dein inde paratum ab acidis affusis efferbuit. Quod denique destillaverat, oleum admodum nigrum fuit, atque empyreuma, immo cloacam olevit sapiitque. Ceterum salis volatilis, æque ac prius illud oleum, destillando prodidit omnino nihil.

## Scholion.

Facturusne operæ sim pretium, dubitari merito posset, si, præsenti usus opportunitate, horum calculorum felleorum origines plenius mihi sumerem excutiendas; quum omne hoc argumentum plurimi doctrina experientiaque illustres Medici partim ex instituto, partim vero in transcursu tantum pertractaverunt. Inter quos, qui peculiariter de hoc disseruerunt, præcipue nominandi sunt celeberrimus quondam Heidelbergensium Professor, D. *Daniel* NEBELIUS in ea, quam *de coagulo bilis in vesicula fellea*, anno cIↄIↄccxiv. conscripsit, Dissertatione, mihi vero hactenus nondum visa; & itidem magni quondam nominis vir & Vitembergensium Professor, D. *Abrahamus* VATERUS, in Dissertatione, qua *calculi in Vesica fellea generationem* anno cIↄIↄccxxii. explicare annisus est. Verum enim vero quum inter omnes, qui de hoc argumento sententiam dixerunt suam, magna adhuc multiplexque sit varietas; ego quoque, quæ sentio, expromam, & exinde, quoad potuero, deducam, aut saltem verisimili adsequar conjectura, quo factum sit modo, ut supra descripti calculi fellei eandem, (utpote quod dignissimum memoratu est momentum,) adepti sint figuram magnitudinemque. Nemo, nisi Anatomes sit ignarissimus, non novit, tenacem lentamque esse naturam ejus bilis, quam vesicula asservat fellea; unde etiam fit, ut particulæ facillime inter se coëant suscipiantque coa-

gulum; quod ipso experimento cum felle taurino instituendo satis superque comprobari potest. Quo facto deinde leviores atque fluidiores moleculæ promte a fixioribus terreisve secedunt atque auferuntur. Ablatis vero his fluidis particulis reliqua fixior densiorque facta massa, pro varia multiplicique, quam a diverso victu accepit, indole, aut arctius inter se cohæret & solidam induit compagem, aut in grumos fatiscit. Quorum phænomenorum primum illud præsertim e junioribus corporibus desumto felli accidit, utpote quod ipsa sua natura minorem adhuc lentorem habet, & copiosioribus aqueis oleosisque, paucioribus vero terreis atque salinis particulis constat, & vel hanc ob rationem, saltem in infantibus, fere insipidum est; alterum vero phænomenon ad illam potius pertinet bilem, quam seniora habent corpora, lentam scilicet illam, peramaram atque subsalsam. Revocandi autem sunt ad memoriam Lectorum septuaginta sex anni isti, quos præsens, de qua hic commentatus sum, mulier nata erat. Qualem enim in tam decrepito corpore bilis, ea ætate jam summe lentæ atque spissæ, mutationem a stagnatione oriundam potissimum exspectemus, nisi grumosam? Ponamus itaque, (nam a vero propius abesse videtur,) primo bilem hujus vetulæ a qualicunque caussa interna, speciatim vero ab externa quoque, quam experta erat, injuria, spissiorem sicrioremque factam dehiscere cœpisse in grumos minimos, quos satis sibi similes haud incommoda finxerimus conjectura. Atqui hos grumos, aut, si placet aliud nomen, istos fortassis nucleos sabulosos atque ex bruno furvoque nigros, quos supra descripsi, ex omni parte, æquali allisu, interluerunt particulæ adhuc fluidiores, partim a bilis massa superstites atque separatæ, partim a muco internæ cystidis tunicæ lubricante devenientes. Verum enim vero fac, & hos liquores a lentore demum esse occupatos, dum adhuc spatium in cystide capiendis illis suffecit, & inde

haud

haud obſcure lamellarum circularium, quæ in calculis ſupra deſcriptis nucleum involvebant, origo poterit derivari. Simulac vero comprehendendis illis veſiculæ felleæ capacitas non ſatis eſſe cœpit, innatus tunicis cyſtidis elater propria ſua vi fortius in contentas partes reniſus eſt, easque adeo æquali reniſu undique compreſſit atque compegit; unde ſeptem illi in una ſerie juxta ſe invicem poſiti calculi verſus centrum arctius propiusque coiverunt atque hac ratione quadrangulum illud acutum formarunt. Poſtremo denique, quum ſolus adhuc glandularum cyſticarum mucus adſtillaret, etiam hic a mora denſior factus cortice illo exteriore corneo reliquam circumdedit maſſam. Atque hæc mihi accomodatisſima hujus ſingularis exempli viſa eſt explicatio, qua ſi quis veri expoſuerit ſimiliorem, ſtatim & me habebit meam ad ipſius ſententiam aggregaturum.

Supereſt, ut paucis tria hujus generis exempla calculorum felleorum, per abſceſſus regionum epigaſtricæ & hypochondriacæ eliminatorum, quæ Ephemerides noſtræ habent conſignata, hic excitem. Ex his primum, a *Jo.* JÆNISIO in *Decur. I. Ann. IV. & V. pag. 230. & 231.* plenius expoſitum, ideo ad memoriam inſigne eſt, quod biennio circiter ducenti hujusmodi calculi, variæ magnitudinis, minimæ quidem, quæ cum lente comparari potuit, maximæ vero ad nucem juglandem accedentis, ex apoſtemate extracti ſunt. In eo autem cum præſenti non convenit exemplo, quod absceſſus demum conſanuit; quo idem luculenter teſtatum dedit, ipſum nec in hepar, nec in felleam penetraſſe cyſtidem, ſed inteſtinum, ut veriſimile videtur, duodenum perforaſſe, transmiſſosque illuc a ductu choledocho lapillos, ſimulque a collecta ibidem atque ſtagnante viſcidiori bile auctos & velut nutritos tandem eliminaſſe. Cum exeſo autem inteſtino forſan denuo coaluit peritonæum incongruumque illius foramen occluſit. Reliqua duo

exempla, quae *Rosinus* LENTILIUS in *Decur. III. Ann. IV. Append. p. 109.* & *Ann. V. & VI. ejusdem Decur. Append. pag. 128.* exposuit, contractiora sunt atque obscuriora, quam ut inde, si quid ipsis cum præsenti exemplo intereſſet convenientiæ, certo potuerit definiri. Quam ob rem, quam luculenter atque plene potui, hujus memorabilis exempli historiam merito cum Lectoribus meis esse communicandam judicavi.

## *OBSERVATIO XCII.*

## D. JOANNIS AMBROSII BEURERI

### *De rarioribus quibusdam Fossilibus.*

Quum in tenui mea petrificatorum collectione etiam rariora quædam regionis nostræ asservem, quæ neque in illustris nostri BAJERI Oryctographia ejusque supplemento, neque ab alio quoquam Lithographo descripta invenio; mihi vero notatu digna videntur, atque si summum Numen vires vitamque concesserit, a me forte data occasione in publicum proferentur: nunc quædam eorum sum communicaturus, quæ, quo minus sunt vulgaria, eo mihi notatu videntur digniora.

Exhibeo eadem in *Tab. IV. Fig. 3. 4. 5. 6. 7. 8.* delineata; simul vero harum rerum cultores rogo, ut iisdem examinatis cogitata sua de origine naturaque illorum benevole mecum communicare haud dedignentur.

Inveni petrefacta hæcce, ante aliquot jam annos, in lutifodina nobis vicini & ob varias, quas fert, stirpes haud incelebris montis Mauritiani, unacum variis rarioribus conchyliis, echinitarum speciebus eorundemque partibus, nec non apice quodam stellæ marinae. Monstrat vero *figura 3.* corpus quoddam petrifactum ab altera parte, in magnitudine naturali, *figuræ 4. & 5.* vero sistunt idem illud quoad magni-

magnitudinem nonnihil auctum a superficie superiori ac inferiori. Superficies superior orbiculata prorsus est convexaque, ceu patet ex *Figura 3. & 4.*; ipsa vero hæc convexitas sextam tantum æquat partem totius altitudinis, atque in medio parum est depressa, sic tamen, ut vix oculis id pateat. Plurimis insuper superficies hæc scatet cavitatibus minimis regularibus puncta tantum referentibus ipsamque scabram reddentibus; sistit vero hæc *Fig. 4.* quæ petrifactum hoc in magnitudine aucta refert. Superficies lateralis, quæ altitudine dimidiam tantum æquat partem superficiei superioris, æqualiter quinquepartita est, atque in hac eminent oblongæ quædam partes cordis formam imitantes, quæ apice suo ad superficiem superiorem oriuntur, circa medium latiores evadunt tandemque sic, ut cor referant, terminantur. Depressiores rursus sunt partes hæ in medio, spatia inter ipsas posita triangula sunt æquilatera, in quorum primo atque tertio parva atque acuta cernitur eminentia cardinem referens, in secundo vero, quarto atque quinto, eodem in loco parva est cavitas cardini cuidam recipiendo apta. Plana est superficies inferior, hujus petrifacti, quam sistit *figura, 5.* qua idem magnitudine auctum repræsentatur: æquat illa sextam tantum partem superioris superficiei pentagonumque refert curvilaterum detruncatis angulorum apicibus.

*Fig. 6.* corpus cernimus, in magnitudine naturali, hexagonum fere æquilaterum. Crassitudine propius ad lineæ accedit crassitudinem; Margines habet profunde serratos. Superior superficies, quam figura sistit, in medio plana est, ad latera vero, angulos versus decrescit crassitudo, sic tamen, ut nisi propius consideraveris, vix id percipias. Singulos prope angulos comparent totidem leves eminentiæ in medio excavatæ, quæ puncta tesserarum fere referunt, atque angulis e regione positæ sunt. In inferiore superficie, quæ plana prorsus est, vix occurrit, quod notatu dignum sit.

Monstrant *Fig. 7.* & *8.* corpus in magnitudine naturali a superiori inferiorique superficie. Refert illud pentagonum lateribus inæqualibus, neque etiam crassitudo illius ubique æqualis est: in medio namque extuberat, sed margines versus extenuatur ita, ut vera ejusdem diameter lineam æquet cum dimidia. Margines æque ac in *figura 6.* profunde sunt serrati, in superiori vero latere, quod reliquis brevius est, circa medium profunda adest incisura. In superiori superficie tres eminent annuli vel puncta, sex illis, quæ in *Figura 6.* vidimus, fere similia, quorum duo ad latus superius posita sunt, tertium vero prope angulum inferiorem reliquis acutiorem situm est. Superficies inferior notatu dignior est illa *figuræ 6.* quemadmodum *figura 8.* ostendit. Prominet in medio apex ex concursu quatuor triangulorum natus, quæ ipsa, sint licet inæqualis magnitudinis, quum inferiora superiora longitudine superant, crucem formant, similitudine ad crucem Melitensem accedentem, spatia vero intermedia depressiora sunt.

Quum vero tria hæc corpora petrifacta, quæ singula coloris sunt exalbidi, partes echini cujusdam marini, quem ego quidem noverim, dici vix possint, neque etiam encrini cujusdam vel capitis Medusæ sint fragmenta; lusibus vero naturæ vel lapidibus casu figuratis accenseri nequeant; verisimile mihi videtur, esse eadem partes Zoophyti cujusdam, mihi licet minus noti, sed aliis forte notioris; in hanc vero me deducit sententiam singularis eorundem structura, cardines præsertim cavitatesque cardinibus recipiendis aptæ corporis quod *3. 4. & 5.* referunt figuræ, margines item serrati corporis hexagoni pentagonique ut & annuli illi vel puncta, tesserarum punctis similia, quæ forte ligamentorum quorundam sedes fuerant; nec non spatia elatiora depressioraque. Sed erunt forsan, quos ipsa experientia hac in re certiora edocuit, & a quibus edoceri maximopere cupio. Interim

terim

terim tamen omnem, quantum in me est, navabo operam, ut plurium ejusmodi petrifactorum cohærentium compos fiam, spe fretus fore, ut ex plurium comparatione, cujus illa sint originis, nobis innotescat.

(*Norimbergæ exhibita d. 16. Novembr. 1753.*)

## OBSERVATIO XCIII.

## DN. D. DAVID. SAMUEL. MADAI

*De*

### *Variorum symptomatum & excretionum concursu, ex plethora, in cachexia incipiente, vehementer commota, exorto, funesto tandem exitu se terminante.*

Virgo honesta undecim annorum & alacrioris indolis, inde ab anno faciem ostendebat pallido-flavescentem, & eo tempore, quo mane e lecto surgere solebat, facies cum toto *corporis habitu* apparuit solito *tumidior*; quæ tamen tumiditas interdiu plenarie rursus disparere solebat. *Appetitus* interim sibi constabat & *somnus* mansit quietus. Sub omnibus his circumstantiis præcipitis erat iracundiæ & facile irritabilis.

Præterita æstate, certo quodam die, mane, *circa collum* eruperunt *maculæ rubræ:* & eo ipso die, motionis caussa, *ter ascendit turrim*, prope quam hospitium habebat. Hac autem violenta spissorum humorum commotione factum est, ut *maculæ* comparerent *copiosiores*, & latioris ambitus, quam mane visæ sunt: & cum paulo ante collum tantummodo occupassent, jam per universi corporis peripheriam diffusæ erant, & color rubicundus mutabatur in obscu-

obſcure rufum & nigricantem. Accedebat etiam *febris continua* vehementior. Maculæ porro erumpebant *in lingua* & *palato*, &, quod mirum videri poterat, *ſanguinem* fundebant. Superveniebant his *tormina colica* acuta, & poſtquam aliquamdiu ægrotam afflixerunt, copioſa ſequebatur *per alvum ſanguinis profuſio*, febre adhuc durante.

Febri mederi ſtudui conſuetis abſorbentibus, nitroſis & diapnoico-analepticis, quibus etiam commode ſedata eſt. Sub initium invadentis morbi ſuaſi venæſectionem, ſed eam circumſtantes penitus reſpuebant, ſub prætextu, quod talia permittere non audeant, abſentibus parentibus; quoniam puellæ convictus certo pretio apud illos conductus eſſet (*Sie vvaere bey ihnen nur in der Koſt*). Convaluit etiam pedetentim & ſpem fecit recuperatæ ſanitatis. Verum, poſt dies viginti *recidiva* eam corripuit, tolerabilior quidem, ſed cum repetita iterum ſanguinis excretione priori modo facta, & concomitantibus prioribus moleſtis ſymptomatibus. Poſt *nonum* tandem primæ hujus recidivæ *diem recidiva ſecunda* invaluit, cum febre vehementiore, ſed *ſine* ulla ſanguinis evacuatione, cum plenaria amiſſione virium, & morte ſcenam claudente. Corpus poſt mortem valde intumuit & colorem illum pallido-flaveſcentem, quo viventes adhuc decolorari ſolent cachecticæ, exhibuit.

## SCHOLION.

Operæ videtur pretium in hoc caſu clinico, quædam obſervare, quæ molimina naturæ & apparatum motuum, ciendos menſes eminus reſpicientem declarant, & ſimul docent, quam periculoſum ſubinde eſſe ſoleat ægrotis, ſi Medici impediantur, ne rationem & experientiam ſecuti, curationem niſtituant. Notamus autem

1) Quod

1) Quod *color* ille pallido-flavescens, incipientis status cachectici initia haud obscure prodiderit, cum toni vitio & habitu corporis tumido, non quidem constante, quotidie tamen observabili. Nec abhorret 2.) ab his circumstantiis indoles puellæ alacrior. Ejusmodi enim subjecta admodum inclinant & fere disponuntur ad matura mensium molimina, quamquam, ob habitus externi decolorationem, sanguinis turgescentis abundantia laborare non credantur. Memorabilis præterea in his subjectis esse solet annus *undecimus*, utpote qui *septenarii* annorum vitæ *secundi* dimidium constituit, quo non raro mammæ tument, ipsique menses erumpunt & ordinate continuant.

3) *Facies tumida* prodebat non modo massæ sanguineæ mucidioris turgescentiam, sed simul partium solidarum flexilium præternaturalem laxitatem, seu toni vitium manifestum; siquidem ob *laxitatem hepatis* concurrentem, minusque exactam bilis secretionem, materiæ biliosæ cum sanguine commixtio & diuturnius consortium, habitum externum non poterat non reddere decolorem & deturpare faciem.

4) Quod vero tumiditas faciei *interdiu subsederit* & disparuerit, mirum non est. Tonus enim, ex consueto, sub somno magis relaxatus, extra lectum, in aëre liberiori magis constringebatur, fibræ firmabantur, sine tamen totius status melioratione.

5) De *appetitu* & *somno* sibi constantibus notamus, quod in tali ætate, in qua natura incremento corporis adhuc intenta est, uterque optime vigere possit, si modo manifestum absit ventriculi vitium.

6) Animus, qui in hoc subjecto observabatur ad præcipitem iracundiam pronior & facile irritabilis, egregie cum reliquis circumstantiis conspirabat. Ita enim & gravidæ comparatæ esse solent, & phthisici plerique. Natura quippe in-

ternis corporis necessitatibus intentius prospiciens, facile indignatur & læditur ab externis, quæ sibi suæque curæ, qua interiori statui providere satagit, impedimento esse existimat, quod illis contingit, in quibus natura mensium fluxum ciere parat, & pro temperamenti ratione citius perficere contendit.

7) Sub his circumstantiis plus simplici vice turrim ascendit & massam sanguinis, sub moliminibus menstruis præparatoriis jam turgescentem, vehementius commovit, quo factum est, ut natura, ista occasione oblata, partem sanguinis commoti ad peripheriam sub forma macularum rubescentium expelleret & hoc ipso humores, circa nobiliora viscera stagnantes, aliorsum transferret, ipsaque viscera a molesta stagnatione aliquantum liberaret.

8) Hæc ipsa tamen humorum translatio ad peripheriam, molimina naturæ, pro mensibus ciendis incepta, non tantum turbavit, sed ad excessum usque concitavit. Hinc maculæ sanguineæ apparuerunt copiosiores, majores & universum corpus occupantes.

9) Accessit tandem febris continua. Duplex enim requirebatur motus therapevticus, expulsorius nimirum ad peripheriam, & discussorius in peripheria simul.

10) Notatu dignum etiam erat, quod maculæ istæ in ore, palato & lingua sanguinem fuderint. Materia enim macularis, ex acri sero & lentescente lympha mixta, acris fuit, scorbutica & rosiva, hinc vasorum extremitates in ore, quæ per laticem salivalem emollitæ, & per motum humorum progressivum sub febre nimium dilatatæ erant, prompte corrosit, ut hæmorrhagia sequi debuerit, quæ non incongrue pro *passiva* habetur: eam vero simul *activam* fuisse certum est, quia natura sanguinem revera imminuit, licet alio loco, quam quidem primario intendebat, nec sufficienter id perficeret.

11) Ad

11) Ad dolores colicos quod attinet, illi rebus sic stantibus inevitabiles videbantur. Sistebant enim spasmos varios, sanguinem in uteri viciniam, ad intestinum scilicet rectum, dirigentes, restringentes & expulsorios. Quia vero *rectum* cum colo continuum est, ob hanc continuitatem & nervorum consensum spasmi simul extendebantur in *colon*. Hos spasmos secuta est copiosa sanguinis per alvum evacuatio. Nam natura vasa uteri forte magis arcta & spastice constricta invenit, *venas* autem *sedales* magis ad perrumpendum dispositas; hinc factum est, quod rarius solet, ut hæmorrhoides loco mensium in tam tenera ætate fluxerint.

12) Febris curatio, quæ spem continuandæ sanitatis faciebat, respectu circulationis humorum velocioris, optatum attulit levamen: hoc ipsum tamen levamen intentioni naturæ, in subjecto alacri, sensibili & plethoræ impatiente neutiquam satisfaciebat; unde sedatis etiam febrilibus motibus, sanguinis imminutionem porro tentabat anno undecimo, adeoque tempore præmaturo, loco insuper incongruo & in hac ætate insueto, moliminibus ominosis, &, velut exitus docuit, pertinacia funesta.

13) Sedata febri, opportunum adhuc fuisset tempus & terminus quasi peremtorius, pro administranda venæsectione & servanda vita, quantum ex regulis artis conjicere licebat. Eo enim natura ducta fuisset, quo ipsa tendebat. Sed cum in Germania Medico plus non liceat, quam parentes & circumstantes in curationibus suorum permittunt; etiam hic venæsectio, tanquam unicum salutis remedium, adhiberi non potuit, quamvis indicatio ad eandem maxime fundata esset, in ætate & sexu, in animi indole, in maculis & excretione sanguinis per alvum facta.

14) Post dies viginti recidiva, quamquam tolerabilior, sed prioribus molestiis stipata, & repetita sanguinis per alvum excretione notabilis, manifesto evincit, naturam propo-

ſiti adeo fuiſſe tenacem, ut ſecunda vice id tentaverit, quod Medicus negligere coactus erat, & quod ipſamet infelicius exſequi ſuſceperat. Plethora imminuenda erat per fluxum menſium; ſed loco uteri, natura elegit venas ſedales. Sanguinis quantitas ſub priori evacuatione dejecta, nondum ſatisfecit naturæ intentioni, ideo novo inſultu & iterata ſanguinis expulſione levamen molita eſt, ſed cum manifeſto ſanitatis detrimento. Febris quidem & reliqua ſymptomata lente miteſcere videbantur, ſed morbum diuturniorem ſimul minabantur.

15) Verum enim vero, diuturnitatem morbi, quam metuebant, accelerata mors prævertit. Nono enim poſt primam recidivam die, *recidiva ſecunda* ſupervenit. Febris erat auctior & vires admodum proſtratæ. Nam per prægreſſam ſanguinis jacturam fibrarum tonus univerſaliter erat relaxatus; hinc excretio ſanguinis in ultima recidiva nulla ſecuta eſt; ut adeo natura ſub febre continuante, tanquam ſub ultimis motibus eluctatoriis, ſuccumbere coacta, fatis cederet.

16) Toni per univerſum corpus vitiati teſtimonium præbuit intumeſcentia cadaveris inſueta poſt mortem, & color pallido-flaveſcens cachecticis ſubjectis proprius, cujus initia dum viveret puella, jam oſtendit, & poſt ſanguinis jacturam eo manifeſtius exhibere debuit. Quam difficilis de reliquo ſit praxis clinica, & quam infeliciter evenire ſoleat ipſis ægrotis, ubi Medicus ea facere non audet, quæ facienda ratio ſuadet & experientia imperat, is ipſe caſus probare poteſt.

OBSER-

## *OBSERVATIO XCIV.*

## DN. D. DAVID. SAMUEL. MADAI

### *De*

### *Scabie ferina in gravida feliciter curata.*

Matrona junior, temperamenti ſanguineo-cholerici, ſub initium veris hujus anni, menſe nimirum Aprili, cum octavo menſe jam gravida eſſet, ſcabie ferina ſubito & adeo vehementer correpta eſt, ut univerſum corpus occuparet, cum pruritu prorſus intolerabili & impotentia ambulandi. Coacta hinc erat divaricatis pedibus in lecto decumbere & ſub maximis moleſtiis exſpectare auxilium. Methodus conſueta curandi per purgantia & mercurialia non videbatur commoda nec ſatis ſecura, quoniam purgantia cum aliquali ſtimulo, ſicuti non raro diarrhœæ ſolent, gravidas facile ad ſpaſmos & dolores partus diſponunt & abortum excitant. Conſultius ergo viſum eſt, curationem huius ſcabiei eo modo ſuſcipere, quo non tantum maſſa humorum cacochymicorum corrigeretur, ſed etiam ipſius fœtus haberetur ratio, ne ſub curatione juſto maturius excuteretur. Sero igitur lactis, conſueta encheireſi parato, pulvere abſorbente & decocto mundificante pro potu ordinario, curationem aggreſſus ſum. Hic vero obſtructio alvi pertinacior moleſtiam creavit inopinatam, cui mederi ſtudui clyſteribus emollientibus ſine ſtimulo, quorum effectus adeo fuit laudabilis, ut multas educerent impuritates, cum notabili ſcabiei decremento, ita, ut intra viginti dies gravida priſtinæ ſanitati reſtituta fuerit ex voto. Juſto etiam tempore enixa eſt infantem ſanum & robuſtum, ſine ullo morbidæ conſtitutionis veſtigio.

## *OBSERVATIO XCV.*

## DN. D. DAVID. SAMUEL. MADAI

*De*

## *Morbo, ex polypo aortæ descendentis, cum asthmate spastico & hydrope complicato eoque funesto.*

Vir litteratus LIV. annos natus, temperamenti cholerico-melancholici, diætæ tenuiori & laborioso vitæ generi adsuetus, herniosus, hæmorrhoidarius & de reliquo satis firmæ constitutionis, per totum vitæ curriculum sex morbis tentatus, quinquies revaluit, sed sexto tandem morbo succubuit. Et quia corpora frequentibus morbis tentata rarius senectutis terminum attingere solent, juvabit eosdem strictim referre, eo ordine, quo subjectum invaserunt.

Anno scilicet ætatis XXXIII. tempore autumnali iter faciens, *febre catarrhali* eaque graviori corripiebatur, quam ob regimen minus congruum *spasmus cynicus* excepit: collectis tamen viribus pedetentim convaluit.

Anno ætatis XXXV. invasit eumdem *podagra*, a qua tamen satis commode liberatus est.

Anno ætatis XLI. prandium sumsit cum nausea, quam secuta est *febris tertiana*. Post quartum vero hujus paroxysmum adflixit *febris urticata*. Transeuntibus hisce malis, valetudine usus est tolerabili.

Anno ætatis XLIII. sub insigni quadam animi ægritudine & iteratis commotionibus humorum orgasticis & transpirationis ominosa suppressione, incidit in *febrem acutam*, cum *purpura alba*, quæ duabus *recidivis* recurrebat. Post ultimam recidivam nascebatur *abscessus in tibia*, & hoc consolidato, presso pede secutus est *pedum tumor œdematosus*

*ſus*, ad abdomen uſque ſe extendens & triſtia portendens fata, quæ ſane evitari non poterant.

Anno ætatis quinquageſimo, ob neglectam & alias conſuetam venæſectionem, hæmorrhoidibus vexabatur tumentibus. Poſthac venæſectiones æquinoctiales accuratius quidem obſervavit, ſed anno vitæ penultimo, in autumno, fatalem ſibi contraxit morbum.

Certo nimirum die, curſu celerius inſtituto, in tertiam uſque ædium contignationem aſcendit, ſanguinem vehementius commovit, & ibi in ſupremis, ob ſubitam defatigationem, per horæ dimidium in loco, quem ventus perflabat, infelici auſu quievit, & generando polypo occaſionem præbuit. Imo in eodem temporis articulo *dolorem* in pectore ſenſit *pungentem*, qui nec poſt conſuetam primarum viarum purgationem & ſubjunctam venæſectionem ceſſavit, ſed ex pungente in dolorem fortius *prementem* mutatus eſt, & inter ſternutandum, tuſſiendum & corporis antrorſum factas inclinationes, acerbius afflixit. Inter hæc ob adverſa varia & animi ægritudinem continuantem, inſequente vere, febris ipſum invadebat catarrhalis benigna, cum inflammatione laryngis: hæc cum negligentius tractaretur, & æger inſuper aëri humido & ventoſo maturius ſe exponeret, quinto poſt invaſionem febrilem die inopinatus & terribilis *catarrhus ſuffocativus* ægrum corripuit, qui aliquoties quidem, ſed minori ſemper vehementia, impetum exercebat.

Menſibus æſtivis huic malo mederi ſtuduit æger, potu nimirum acidularum Pyrmontanarum, & ſubjuncto balneo quodam domeſtico, ex ſapone, cineribus clavellatis & lupulo montano parato. Hæc vero curatio aliquoties interrumpebatur per itinera nocturna, tempeſtate nebuloſa & aperto curru facta; quorum conſequens fuit *aſthma humoroſum*. Novo huic affectui obviam ivit æger repetito balneo per triginta dies continuato, quod etiam ſatis bene ceſſit.

Sub-

Sublato autem hocce ſymptomate, de novo recruduit *dolor* ille in pectore preſſorius, cum anguſtatione thoracis, reſpiratione difficili & manifeſto *aſthmate ſpaſtico*, quod veſperi ingruebat, per noctes continuabat & per octiduum durantem agrypniam inducebat. Ubi vero æger præ nimia laſſitudine obdormivit, tum levem hunc ſomnum aut *novus ſpaſmus in brachio & pede dextro* diſcuſſit, aut *reſpiratio* ipſa *interrumpebatur*, aut *pulſus* per aliquot minuta temporis *intermittebat*. Tandem etiam ſupervenit *ſpaſmus acutus*, *ſternum introrſum retrahens* & per alternos paroxyſmos continuans.

*Spatium*, quod dolor in ſterni medio antea premens occupabat, *latioris* jam *fiebat ambitus* & ad ſcrobiculum usque cordis ſe extendebat. Eodem tempore oriebatur etiam dolor circa os ſacrum, ſub quo ſimul *hæmorrhoides cœcæ* protuberabant, ſed ſponte pariter evaneſcebant.

Poſt disparentes hæmorrhoides cœcas invaſit ſecunda vice *aſthma humoroſum*, cum *tuſſi* gravi & admodum moleſta, cum pauca pituitæ excretione. Sumebat æger aliquot grana ſulphuris antimonii aurati ultimæ præcipitationis; ſequebatur vomitus cum aſthmatis levamine. Eadem vero nocte in dorſo manuum apparueruut ſparſim exanthemata *purpuræ albæ*, quæ tamen mane non amplius viſa ſunt. At novo cuidam ſymptomati reliquerunt locum; *inflammationi* ſcilicet *oculi ſiniſtri*, poſt triduum evaneſcenti. Hanc vero inflammationem mature cedentem excepit *congeſtio incompleta* in brachio dextro, & die, poſt inflammationem oculi, quinto, *tumor dolens* plantæ *pedis ſiniſtri*, maxime ſub ejus digitis, qui tamen poſt quatriduum diſparuit. Interim ſibi conſtabat appetitus, excretio quoque alvina ſuccedebat, urgente tamen, ut in hæmorrhoidariis ſolet, flatulentia moleſta. Hæc acta ſunt uſque ad diem 23. Decembris anni 1752.

Die

Die 25. ejusdem mensis denuo *invalescebat respiratio difficilis*, & primis diebus Januarii anni curr. *dolor* quoque in *sterno* fiebat *sensibilior*, comitante nimia flatulentia, cum agrypnia, *spasmo dextri brachii & pedis*, & sub quavis corporis inclinatione antrorsum facta, *respiratio intercepta* erat.

Luna tunc decrescente, more sibi solito, laxans sumere consuevit aliquoties, quo tamen præter pituitam albam, sub torminibus ventris & ardore intestini recti, nihil rejectum est. Nec quidquam levaminis respirationi difficili attulit, sed novo symptomati locum dedit: *spasticis* nimirum & *convulsivis tractionibus in utroque pede*. Has ut demulceret patiens, per biduum sudorem ciere adnisus est, qui etiam secutus est copiosus & fœtore gravi molestus, sine ullis exanthematum vestigiis.

Appropinquabat autem terminus jam fatalis, prostratione virium ingravescente, & lipothymiis intercurrentibus. Somnus præterea erat rarus, appetitus læsus, alvus adstricta, & *lipothymia* die Vto Februarii hora nocturna secunda ingruens duravit usque ad duodecimam meridianam. Eodem die secutæ sunt *dejectiones alvinæ*, colliquativæ diarrhœæ similes. Somnus, per horæ dimidium continuus, post se reliquit jectigationes in lecto, respirationem difficiliorem, quam alias. *Abdomen* præterea *hydrope* intumuit. Noctem die VII. Februarii duxit insomnem; urgente siti, unam patellam infuso theæ repletam hausit, quod flatus quidem promovebat, sed vomitum simul excitabat. Hoc labore perfuncto, obdormivit quidem, ast lipothymia non modo recurrebat, sed vehementius quoque, quam antea, affligebat. *Pulsus* tunc sæpe observabatur *intermittens*, & quamvis æger de novo obdormivisset, tamen post somnum tam difficilis respiratio, quam lipothymia eadem continuabant vehementia.

Die VIII. Februarii *abdomen* ad ſcrobiculum uſque cordis *tumidum, durum* ac *valde tenſum* apparuit. Æger crebrioribus lipothymiis correptus de *frigore inſueto* conqueſtus eſt. Noctem tranſegit anxie nimis,& mortis præſagia jamjam nunciabantur.

Die XI. & XII. Februarii *ardor* affligebat febrilis, ſenſus hebeſcebant; aderat *ſingultus* cum deglutitione impedita & tumore abdominis atque pedum nimium aucto, dies XIII. Februarii mortem attulit omnium calamitatum finem.

Magnus tam mire variantium ſymptomatum numerus in familia defuncti deſiderium excitabat intenſum, ſciendi & inſpiciendi, quid anomaliarum in ejus cadavere contineretur. Ideo per Medicum ſectionem adminiſtrandam curarunt, ſub qua ſequentia ſunt obſervata.

1) Vniverſum abdomen tumor occupabat hydropicus.

2) Pedes erant œdematoſi.

3) In pede dextro notabilis erat inflammatio eryſipelacea.

4) Scrotum tumeſcebat pariter, quo aperto, parum ſeri effluxerat.

5) Inteſtina omnia flatibus nimium erant diſtenta & per totum tractum, una cum meſenterio, undique inflammata.

6) Portio inteſtinorum per annulum dextrum in ſcrotum inveniebatur prolapſa.

7) In ventriculo ceterum, pancreate, hepate, liene, renibus, ureteribus, veſica urinaria & vaſis ſanguiferis majoribus, nihil notabatur præternaturale.

8) Aperto autem thorace, omnia in ſtatu naturali conſtituta reperiebantur. Pericardium aliquantum continebat ſeri.

9) Sed ſub examine cordis, in principio *aortæ deſcendentis* inventus eſt *polypus*, quinque digitos longus & unum latus. Differebat iſte polypus ab aliis in eo, quod is, veluti

alias

alias observatur, cum valvulis aortæ semilunaribus, aut cum columnis carneis ventriculi sinistri non concreverat: quoad substantiam vero cum aliis polypis veris perfecte conveniebat, nec pro concremento sanguinis grumosi habendus, quale in lenta morte defunctis reperiri solet, & actu etiam in hoc cadavere inveniebatur in sinistro cordis ventriculo.

10) Pulmones naturaliter constituti & sani inventi sunt; sub peripnevmonio tamen passim minutæ concretiones scirrhosæ observabantur, a quibus vero nihil de perpessis antea incommodis derivandum erat.

*(Hala Norimbergam missa d. 19. Novembr. 1753.)*

## *OBSERVATIO XCVI.*

## DN. D. JOANN. HERMANNI FÜRSTENAU

### *Brachium sphacelatum per* αὐτοκρατείαν *Naturæ separatum, ægro superstite.*

Rusticus mercenarius, XL. circiter annorum, duro vitæ genere & laboribus gravissimis exercitus, ingenti trabi ligneæ in altum attollendæ occupatus, sed ponderi maximo renitenti resistere non valens, vehementi manus dextræ, carpi & cubiti contusione afficitur, & congruis quidem topicis a Chirurgis mox accersitis deligatur, sed eo cum effectu, ut post primam mox deligationem, vix uno alteroque nycthemero elapso, ossa carpi & metacarpi prorsus contrita apparerent &, cuticula ab integra manu chirothecæ instar detracta, nuda cutis cum manifestis gangrænæ præsentis & sphaceli imminentis indiciis apparerent, ut Medicus simul accersitus, lato prognostico dubio, potiunculam analepticam propinare, Chirurgi vero amputationem manus, ceu unicum præsidium, ægro & adstantibus proponere coacti fuerint.

Æger vero crudele hoc auxilium vehementer deprecatus, altero hinc mane ad pagum, altero vix lapide ab urbe distantem, in quo est domi, cum suis proficiscitur, & Chirurgos, ut se brevi sequerentur suique curam porro haberent, serio hortatur. His vero tergiversantibus æger alium Chirurgum ex vicinia advocari jubet, qui adventans, cum sphaceli præsentis, ulterius semper serpentis, & non brachium tantum integrum, sed & regionem intercostalem vicinam dextram occupantis vestigia ex fœtore cadaveroso, putredine, insensibilitate & similibus phænomenis collegisset, parum abest, quin & ipse ægrotum prognostico reliquerit; hic vero singulari Naturæ robore & maxima in illud Deique omnipotentis auxilium fiducia Chirurgum assidue hortabatur, ne se unquam desereret, nullique remedio, quod in artis potestate est, parceret, solam brachii amputationem, quæ & ipsa hisce circumstantiis præsentibus anceps fuisset auxilium, unice deprecatus. Quare viribus recollectis Chirurgus ægrum profundis scarificationibus, defendentibus, balsamicis & mundificantibus assidue tractat, haud omissis roborantibus & cardiacis internis, eo cum eventu, ut partibus in pectore vicinis ægre servatis, musculi & vasa sanguifera in brachio sensim exarescerent, tandemque sponte deciderent, sola ossis humeri eminentia superstite, levi serræ tractu postea ademta, & congruis præsidiis a corruptione imminente vindicata, ægro in summi Numinis laudem superstite, & laboribus durioribus quoque, manu & brachio sinistro perficiendis, sufficiente.

Exempla fere parallela, eventu licet dispari, ægroque non semper aut non diu superstite annotata occurrunt apud *Thom.* BARTHOLINUM *Cent. I. Histor. 69.* in *Annal. med. phys. Wratislav. 1724. M. Jun. p. 643. & ann. 1725. M. Jun. p. 647.* in *Commercio litterario Norimb. 1731. p. 34.* it. in *Selectis physico-œconom. Part. IV. p. 6.* Egregia vero hanc

in

in rem meletemata, simul & αὐτοκρατείας Naturæ, & αὐτοχειρίας licitæ & salutaris paradigmata notatu digna exponuntur in *Selectis medicis Francofurtensibus Tom. III. Vol. II. Obs. I.*

## OBSERVATIO XCVII.

## DN. D. IOANN. HERMANNI FÜRSTENAU

### *Malum ischiadicum.*

Truculentum hoc malum, quod non os tantum ischii, unde denominatur, sed & partes quaslibet vicinas, a quibus & fomitem & occasionem ulterius sæviendi haud raro nanciscitur, male subinde mulctare, & quando non adeo altas egit radices, V. Sni, scarificationi, blandis catharticis, & cum regimine diaphoretico & tranquillo adhibitis temperantibus & antispasmodicis similibusque congruis præsidiis mature adhibitis cedere, sed & quando fixam nactum est sedem, & omnia isthæc ipsamque ustionem, ab HIPPOCRATE *Sect. VI. Aph. 60.* laudatam, eludere, ægrosque non nisi cum morte, dolorum angustiarum & miseriarum plena, deserere solet. Hujus quædam notare licuit exempla, quæ vel ideo hic enarrare juvabit, ut causas antecedentes & occasionales haud vulgares sollicite vitando quilibet illud malum mature declinare nitatur, quod cum invaluit, omne deinceps auxilium respuere consuevit.

I. Virgo honesta XX. annorum, mensibus rite fluens, doloribus vagis artuum rheumaticis obnoxia, febre corripitur quotidiana, qua per remedia chinata, si non & arsenicalia profligata, corripitur dolore ischiadico cum alvi & urinæ frequenti, mensium autem pertinaci suppressione per integrum fere annum sæviente, ut V. Sne, scarificatione, blandis & fortioribus catharticis, diaphoreticis, antispasmodicis internis & externis sollicite usurpatis, ipsaque sali-

vatione mercuriali in tertiam usque ſeptimanam provide adminiſtrata, tandem & acidulis Pyrmontanis una cum balneo methodice adhibitis, ægra nullum memoratu dignum aut conſtans ſolatium experta, tandem ſectione lumborum profunda ad os usque femoris, præſentibus ſuppurationis indiciis facta, & notabili puris quantitate exinde prolecta, eo tandem redacta fuit, ut corpore antrorſum inclinato fila per nodos nectendo vitam quamvis miſeram & afflictam huc usque, duobus interea luſtris fere exactis, protrahere valuerit.

II. Vir primarius LV. annorum, qui & ipſe, inter varias vitæ cauſariæ ægritudines, febrilibus ſubinde inſultibus correptus, remedia chinata varia ſub forma identidem asſumſit, V. Sni & ſcarificationi adſuetus quidem, ſed utramque diu neglexit, hæmorrhoides interea albas expertus, una cum doloribus iſchiadicis, alterum præſertim latus acerbe divexantibus, ejusdem paralyſi & atrophia, una cum alvi & urinæ involuntaria excretione, per aliquot menſes laboravit, quibus tandem & febre lenta ac hectica conſumtus, exquiſito remediorum omnis generis apparatu fruſtra in uſum tracto, vitam cum morte commutavit.

III. Fœmina honeſta LV. annorum, per aliquot annos vidua, poſt menſium per ætatem emanſionem variis ſymptomatibus, inprimisque febrilibus a ſemeſtri afflicta, hinc chinatis remediis, varia ſub forma exhibitis, nunquam deinceps ab inſultu irregulari febrili liberata, emetico hinc bis propinato ſemper in deterius prolapſa eſt. Hinc accedente ſopore & delirio, una cum tumore pedis, cruris & femoris ſiniſtri, ad nates extenſo, genitalium quoque pruritu & intumeſcentia, lumborumque excoriatione, Medicus ex vicinia accerſitus nihil quidem fecit reliqui, quo malis hiſce convenientium ope remediorum obviam iret. Sed ad tumorem & dolorem exquiſitum cruris & femoris ſiniſtri, nul-

nullis auxiliis cedentem, accessit tandem gangræna & sphacelus, non crus tantum femurque, sed integrum sensim corpus depascens, idemque varia inter symptomata morti tradens.

IV. Fœmina plebeia, LXIV. annorum, malo ischiadico vehementissimo laborat, cum urinæ ardore, vigiliis, siti, alvo adstricta, appetitu non omnino prostrato. Causam rogata occasionalem, lapsum allegat in stipitem acutum & durum, unde dolorem in latere affecto nunquam deinde remittentem retinuit. Hæc ægra, neque a scarificatione, neque aliis congruis remediis, tempestive adhibitis, ne minimum quidem levamen sentiens, ad empirica remedia delapsa, iisdem quoque frustra usurpatis, paucarum septimanarum spatio doloribus & morbo confecta, diem obiit supremum.

V. Fœmina LX. annorum, præviis doloribus colicis sibi admodum familiaribus, imo quotidianis, quos haustu vini adusti vel similis aquæ sic dictæ vitæ, aut elixirii spirituosi sopire consuevit, corripitur paresi & malo ischiadico, ut & varice in crure sinistro, ut stipitis instar cruri dextro incumbere, cubito innixa, debuerit. Venæsectione & scarificatione administrata, a medicamentis nonnullis empiricis & drasticis assumtis nil quicquam adjuta, neque alia congrua remedia deinde proposita & parata adhibere aut volens aut valens ægra, medicamentorum & vitæ pertæsa, eamdem brevi cum morte commutavit.

## SCHOLION.

Ex hisce dilucide apparet, 1) mensium in sexu sequiori & hæmorrhoidale negotium, quocunque modo turbatum, utrobivis scenam ludere; 2) febres prægressas & minus provide tractatas, æque ac 3) medicamenta quælibet spirituosa, ipsaque chinata, aliaque antifebrilia, usu intem-

tempestivo & incongruo, malo ischiadico & producendo & exacerbando frequentem occasionem præbere, neque 4) injurias quaslibet externas ab hac culpa immunes esse.

## OBSERVATIO XCVIII.

## DN. D. IOANN. HERMANNI FÜRSTENAU

### *Febris intestinalis.*

De hac febris specie dudum a priscis & recentioribus visa & descripta, quam BAGLIVIUS, HOFFMANNUS, BURCHARDUS aliique *mesentericam*, SYDENHAMIUS *novam febrem*, SYLVIUS pro moris & idiomatis belgici licentia *cacatoriam*, nonnulli & *dysentericam* appellant, illustris vero HEISTERUS sub *febris stomachicæ* & *intestinalis* elogio *Comp. med. pract. Cap. V.* egregie præ reliquis delineatam dedit, exempla nonnulla notatu vel idcirco digna observare licuit, quod ex iisdem causæ antecedentes & occasionales, quarum in præservando æque ac curando maximum mihi pondus semper visum est, attendenti facile innotescant, & manifesto exinde constet, post varios diætæ errores & cruditates in primis viis collectas mensium in sexu sequiori, & hæmorrhoidum, quocunque modo turbatarum, rationem hic quoque vel maxime habendam esse.

I) Vir summe Reverendus, ex superiori Saxonia nuper in has oras translatus, nuper & maritatus, adeoque multiplici ex capite inconsueto vitæ generi deditus, sensim languore, demum horripilatione, hinc æstu, siti, oris amaritie, nausea, demum & diarrhœa correptus, omnibus hisce symptomatibus alternis diebus exacerbatis, Medicum ex vicinia advocari jubet, qui mox adventans, indicantibus præsentibus, blandum ex radice Ipecacuanhæ emeticum, hinc & absorbentia, digestiva, nitrosa, cum regimine blando

do diaphoretico, demum & emulſionem anodynam & analepticam, nec ſine levamine exhibet, ægro interea moræ impatiente & auxilium aliunde quærendum divergente, id quod non niſi poſt aliquot ſeptimanarum ſpatium, ut morbi fert genus, impetravit, priſtino hinc vigori reſtitutus, orbem litteratum alibi magna nominis fama hodieque illuſtrans.

II) Fœmina 34. annorum, tenerioris texturæ, aliquot liberorum mater, poſt alumni poſtremi ablactationem menſium fluxu per decem & quod excurrit ſeptimanas emanente, indeque gravida ſit, nec ne, incerta, absque cauſa manifeſta ſanguinis ſtillicidium, hinc brevi ingentem hæmorrhagiam uterinam experta, V. Sne quidem in brachio mox inſtituta, hinc & temperantibus & roborantibus ſelectioribus ex conſilio Medici adhibitis, abortum, quem metuit, declinare conata eſt, ſed hæmorrhagia illa uterina per plures ex ordine dies, hiſce licet diligenter uſurpatis, & regimine tranquillo & diapnoico ſervato, non omiſſis quoque blandis catharticis, non niſi excreta ſemel atque iterum mola membranacea remiſit, & loturæ inſtar carnium, more puerperarum, per aliquot dies apparens, tandem plane deſiit, ægra loco priſtini vigoris febri tertiana continua cum diarrhœa correpta, & diu afflicta, tandemque exhibito ſemel atque iterum blando ex benedicta Ipecacuanhæ radice emetico, temperantibus & ſtomachicis haud neglectis & pilulis balſamicis, accedente purpura & hæmorrhoidibus cœcis, ſcarificatione etiam conſueta in ſubſidium vocata ægre & tarde cum valetudine in gratiam rediit.

III.) Fœmina XL. circiter annorum & ipſa tenerioris texturæ, quæ peregre huc adventans maritum aliquot liberorum parentem fecit, ſed mature parere deſinens per 20. quibus hic fere degit, annos, ab omni morborum inſultu immunis manſit, niſi quod ultimis annis parciorem menſium fluxum experta, eidem acidularum Pyrmontanarum uſu medelam,

ſed fruſtra, parare laboravit, manſit tamen ὀρθοςάδιον, donec inſtante brevi menſium fluxu, uno paſtu & braſſicam muriaticam & piſa cocta, & Salmonem ſalitum aſſumeret, indeque mox male habens altero mane horripilatione, ſingulis deinde diebus, ſed incertis horis, repetente, hinc vero æſtu, ſiti, reſpiratione difficili, ructibus, flatulentia & perpetua inprimis diarrhœa corriperetur. Vocatus mox Medicus emetici, blandi licet, uſum ab inſtantibus, & V. Sne in pede adminiſtrata mox apparentibus, & ſub ichoris pituitoſi forma per pluſculos ex ordine dies continuantibus menſtruis decoloribus contraindicari animadvertens, temperantibus, abſorbentibus, nitroſis & diaphoreticis cum regimine ſimili, varia forma uſurpatis, interpoſitis per vices &, urgente conatu irrito teneſmode, blandis catharticis, ex ſale cathartico Anglicano, hinc & Rhabarbaro, foliis Sennæ, manna & tamarindis conſtante potiuncula ſibi familiari eo rem b. D. deduxit, ut poſt ſuperatum primum ſeptenarium manifeſta coctionis indicia oſtenderet, nunc etiam ad finem tertii ſeptenarii omnibus ſignis bonis apparentibus, appetitu & viribus ſenſim auctis, æſtu vero & ſiti mitigatis, ægra, tardo licet gradu, ad valetudinem priſtinam redire videatur.

(*Rintelio Halam miſſæ d. 26. Novembr. 1753.*)

## *OBSERVATIO XCIX.*

## DN. D. IOHANNIS BERNHARDI DE FISCHER

### *Motus convulſivi puellæ XIV. annorum inter rariores reputandi.*

Licet Caſus hic recenſendus ſui ſimiles apud Auctores inve-

veniat, ut infra demonſtrabitur; attamen quoad ſymptomata, medendi methodum & annexa porismata communicatu dignus cenſeri poterit.

Puella annorum XIV. vivida, ſucciplena, nondum menſtruata, tempore æſtivo ſe ſæpiſſime balneis frigidis lavat & immergit; autumno inſequente ſe itineri maritimo periculoſo & terriculoſo committit, & ingruente inſuper hyeme morbo convulſivo, cum anxietatibus & colli in ſiniſtrum latus contorſione, corripitur: abdomen ipſi intumeſcit ſubito in dextro latere, ibique duriſſimum evadit, cum fluctuatione inteſtinorum, quaſi linteamina in aqua hinc inde traherentur: attollitur ſimul abdomen & totum corpus, ita, ut hoc ſolummodo calcaneis & vertice fulciatur, ſub dorſo autem ſpatium elevationis ad dimidium ulnæ ſit. Interdum ſolummodo pars corporis ſuperior attollitur, & 20. usque ad 50. vicibus, imo interdum ultra 100. vicibus impetuoſe reclinatur in lectum: his peractis ſe ingenua erigit, & in his lectum perambulat, garrit varia, ſeria & ludrica, ſtrophiolum convolvit, & obvia, & circumſtantes, quos dextra torvi oculi pupilla obſervat, illo percutit, & cum lucens candela admovetur, eo ictus dirigere ſtudet. Interdum aures percipiunt ſermones adſtantium, tunc verba repetit, acclamata autem & concuſſa nihil reſpondet. Vaticinatur in paroxysmo de ejus mora, numerando in digitis horas, quas durabit, cum vero eventu; ſub paroxysmi fine ſpuma ante os venit, tunc modeſte ſe in ſitum ſupinum reponit, vultum occupat gratia & venuſtas, quo ipſo interdum hymnum dulciſſima melodia cantat; interdum autem illico vomiturit, ructus edit, & bibendum rogat. Paroxysmus interdum per multas durat horas, ſed rarius. Communiter quinque vel ſex vicibus per diem redit: noctu autem immunis eſt ægra, & bene dormit. Pedes frigidos ſibi ſentit, licet tepidi ſint. Paroxysmum evidenter breviorem fa-

cit venæsectio in brachio, maxime sinistro, ita, ut ægra interdum ipsa, in paroxysmi quasi lucido momento, mediante digito locum monstret. Paroxysmum duplicare videntur purgantia: evidentissime autem revocatur per pediluvia calida. Variis jam frustra adhibitis applicatur tandem clyster ex herbis carminativis & olei tartari fœtidi gutt. xxv. vitello ovi admixtis, & quidem post successive exhibitos pulveres aloëtico-salinos; retinebatur clyster per IV. horas, sub quibus duos patiebatur paroxysmos, his perpessis IV. sequebantur sedes, nocte insequente autem ægra tribus corripiebatur paroxysmis, quod ante non factum fuerat. Interim biduo post prima contigit menstruatio: pergitur cum Aloe hepat. & nitro, & quidem dosi auctiore (ejus ad gr. VI. vel VII. hujus ℈j.), interponitur Tinct. Tart. cum Terebinth. soluta, & oleo Saponis, unde dolores in osse sacro, & copiosa urina, cum allevatione in præcordiis. Nihilominus notata menstruatio parcissima est, & die sequente cessat; tentabatur quidem ejus per pediluvia revocatio, sed revocabantur tantum paroxysmi: quarto die rursus parum sanguinis menstrui prodit; notandum autem, quod sub his menstruationis motibus paroxysmi omnium fuerint vehementissimi. Abdomini emplastrum de Galbano imponitur. Sequuntur nunc quidem paroxysmi, ast solito mitiores, cum abdominis mollitie, & aliquando cum insequente sudore per totum corpus. Elapso menstruationis debito intervallo secunda fit menstruatio: comitabantur quidem & hanc paroxysmi, sed adhuc mitiores, illaque absoluta per 3. circiter septimanas a paroxysmis immunis erat ægra, nec de ulla conquesta est molestia, nisi de crurum paralysi, quæ ad coxas usque facile sibi secari & uri fecit absque sensu. Interim bona de provocandis per pediluvia menstruis opinio fecit, ut illa per quinque dies ante menstruationis terminum adhiberentur, sed ecce! vix per dimidiæ horæ spatium in tali balneo

confederat, cum collum rurſus in ſiniſtrum latus contorqueretur & os ſpasmo comprimeretur, ut nec loqui, nec bibere, niſi ſorbillando, potuerit, manente tamen mentis præſentia & absque paroxysmi augmento. Sequitur nihilominus juſto in termino tertia largior menſtruatio. Evaneſcunt poſthæc paroxysmorum recurſus, tandemque etiam cruris paralyſis, adhibitis variis remediis internis & externis, tollitur, cum ægræ perfecta inſequente ſanitate.

Caſus in plurimis, ſi non omnibus circumſtantiis huic ſimiles recenſentur in HOFFMANNI *Medicin. conſultator. Part. I. & II.* & in *Ephem. N. C. Dec. I. Ann. VIII. IX. & X. Dec. II. Ann. VII. Dec. III. Ann. VII. & IX.* nec non in *Annal. med. phyſ. Wratisl. Tentam. XXVI. Im VI. Band derer Abhandlungen der Schwvediſchen Academie derer Wiſſenſchaften,* & in *Commentariis Academ. Reg. Scient. Parienſ. Ann. 1738.* Ipſe ego quoque ex Diario meo duos adhuc fere ſimiles ſuggerere poſſem caſus. Ex quibus omnibus, ut notabiliora recenſeam phænomena, notandum:

1. quod communiter hoc malo tantum corripiantur pueri vix puberes, & puellæ nondum menſtruatæ, rariſſime provectioris ætatis ſubjecta;
2. præcedant pandiculationes, levesque pectoris ſuccuſſationes, uti in Epilepſia, rarius autem talis ſtertor adſit;
3. ingruente paroxysmo dolorem in ſcrobiculo cordis, vel in ſiniſtro hypochondrio ſentiant;
4. item præcedentes formicationes, vel alium quendam ſenſum in extremitatibus;
5. teneræ communiter ſint conſtitutionis & vivacis ingenii;
6. mens conſtet aliquibus tota, vel per momenta, vel plane abſit;
7. terrores, frigus, & cibi dyſpepti ſæpe pariant hoc malum;
8. vermes ſæpiſſime colludant;

9. deliria adsint, nunc ludicra, nunc seria;
10. vaticinentur;
11. motus corporis stupendi, rotatorii, subsultatorii, Opisthotonos, Catalepsis;
12. alvi obstructio, vel ejus segnities;
13. intestinorum sub paroxysmo fluctuatio, cum abdominis induratione;
14. frigus, ad minimum pallor partium sub paroxysmo;
15. vomituritio & vomitus cum ructibus sub fine paroxysmi;
16. paroxysmi durante menstruo fluxu;
17. hæmorrhoidum fluxus in pueris circa paroxysmos;
18. crurum insequens status paralyticus, &
19. purpuræ rubræ excretio sub paroxysmo.

*Consideratio pathologica.*

Ad ejusmodi affectus naturam explicandam phænomena ejus primaria sunt consideranda & quidem

1) motus corporis præternaturales & 2) deliria.

Motus corporis præternaturales sunt, qui non ad nutum cogitationum congruarum fiunt, sed proprio irregulari motu, non aliter ac instrumentum quoddam musicum pnevmaticum, vel aliud simile, quod irregulari vel spontaneo ingressu aëris agitatur. An hi motus ex fluidi nervei inordinato influxu in nervos & musculos, vel ex nervorum elatere debilitato, ex parte impotente & extra æquilibrium agente fiant, non facile decidendum erit, nec multum ad indicationem practicam faciet. Deliria sunt elocutiones cogitationum irregularium. Cogitationes regulares sunt motus tenuissimarum extimarum fibrillarum nervearum, in cerebello, exprimentes simile quid isti rei, quam per sensus accepimus, qui motus si rei exacte conveniunt, similes sunt harmoniæ musicæ & symmetriæ perfectissimæ. Irregulares autem pariunt vel somnia, vel deliria. Vaticinia cum vero

ro eventu ſunt cogitationes perfectiſſimæ regularitatis rerum, quarum contingentiam futuram mens jam præſentit.

Cauſa hujus paſſionis ſpaſticæ miræ eſt ſubtractio ſanguinis in partibus nerveis, gangliis & plexibus nerveis, maxime in abdomine, orta vel ex ejus ſtagnatione, vel obſtructione in vicinis arteriis. Apparet hoc ex phænomeno externarum partium, ſpasmo affectarum fere perpetuo, nempe quod ſint exſangues & extenuatæ, e. g. in malo Iſchiadico, quod ceſſat, ſimulac muſculi, ex circulo ſanguinis in illis renovato, fiunt habitiores & ſucculenti. Quando animal quoddam a mactatione ſanguine ſuo privatur, quinam muſculorum ſpasmi? Frigus, quando ſanguinem in muſculis repellit, quales ſpasmi totius corporis? Juniores, inprimis fibrarum tenuiorum, præ aliis hoc morbo corripiuntur, quia illorum nervi & muſculi vegetioris ſunt elateris. Impuberes plus illo ægrotant, quia omne elaſticum adhuc abundat in illorum ſanguine, nec aliquid jam eſt ad veſiculas ſeminales ſecretum: nondum menſtruatæ autem, quia ſanguis illarum a ſulphure orgaſtico ſuperfluo nondum depuratus eſt, hinc vehemens ſub ipſa menſtruatione paroxysmus: finitur autem vomitu & ructibus comitantibus, quia finito ſpasmo, qui inteſtina convellerat, utrumque ventriculi orificium ab eodem etiam liberatur, & ipſo vomitu ventriculus priſtino redditur ſtatui naturali.

## *Theſes quædam therapevticæ.*

Venæſectio breviorem reddit paroxysmum, non vero ab eo præſervat, imo hoc intuitu culpanda interdum.

Vomitorium iteratum multis profuit.

Purgantia duplicant paroxysmos: moderata tamen in diutinis paroxysmis, & ad curationem proſunt.

Nec clyſteres fortiores ſunt commendandi: proſunt paregorici, cum ſale volatili narcotico parcius conjuncti.

De-

Decocta lignorum & radicum nervinarum prosunt: cerevisia vinumque nocent.

Pediluvia calida revocant paroxysmos: tepidissima optime conducunt.

Frictiones utiles sunt & vesicatoria, hæc tamen nuchæ non applicentur.

## *Monenda quædam ad observationes jam communicatas pertinentia.*

Cum in Observatione LXVI. Volum. IX. p. 265. lin. 2. post verbum: *sunt*, magnus hiatus factus fuerit, benevolus Lector rogatur his illum replere verbis: Liquor terræ fol. tart. tartarus tartarif. muria limonum, & similia. *Resinosa*: Summitates pini, &c.

Ulterioris illustrationis gratia sequens adhuc relatio, ex *Ansoniano* haud ita pridem publici juris facto *Itinerario* deprompta, Corollarii loco subjungi posset: Scorbutus multos nautas corripuit, post iter navale IV. mensium, in mari australi, sub latitudinis australis gr. 60. mense Aprili. Mortui sunt multi hoc mense, plures autem mense Majo, ad medietatem Junii usque. Omnes illi, qui jam plures ante annos ossium fracturas experti vel vulnerati fuerunt, vulnera ista recrudescere deprehenderunt; apparenter sani post levem corporis motum mortui conciderunt. Appulsa tandem fuit navis dicto mense Junio ad Insulam Juan Fernandez, ex qua, antequam ægri in illam deferrentur, gramen commune & pisces in navim deportabantur, ex quibus ægri pariter ac sani refectionem senserunt. Omnibus debite aptatis, ægri ex navi in cymbam deportantur: pro trajectione in insulam, sed multi eorum in cymba moriuntur, (exhaustis per motum corporis sub translatione, penitus reliquis vitæ viribus,) complures etiam de reliquis ad vigesimum usque diem in insula decedunt, in qua tamen nasturtium

tium invenerunt & rapas, itemque capras & piſces optimos. Poſt trium menſium moram navim rurſus conſcendunt, & poſt diuturnam agitationem ſequente anno, menſe Majo, rurſus in mari, & quidem ſub gradu 20. latitud. borealis, Scorbuto denuo corripiuntur, licet hac vice commeatu optimo, & aqua, nunc fluviali, nunc pluviali, abunde fuerint proviſi; in inſulam autem delati, rurſus a Scorbuto liberantur. Præter vapores fœtidos putridoſque navium ſubpontanos, ciborum dyſpeptorum uſum, cohabitationem arctam, frigus, animique deiectionem, vapores maris cum aëre hauſti, ſanguinem ſpecifice ſcorbutica dyſcraſia inquinare valent, non niſi vapore fertilis terræ medicabili.

Circa deſcriptionem meam *Krakatizæ*, volumini IX. horum Actorum Obſerv. LXXIX. inſertam, hæc monere iuſtum duco, quod male adpellatum ſit hoc Zoophyton *Krakatiza*, & quod *Karakatiza* vocari debeat. Edoctus ſum nuper de hac vera denominatione, per alios, qui ſæpius hoc Zoophyton comederunt, in Ukrainia: apparet etiam nunc, originis græcæ eſſe vocabulum: Germani iſthic locorum vocant *eine See-Spinne*, aranea marina. Præventus nuncupatione falſa, ab initio mihi communicata, tunc temporis, in denominationem juſtam non inquiſivi: monenda autem hæc eſſe juſtum duxi, ut poſſeſſores Volum. IX. errorem hunc emendare queant.

In eadem hac obſervatione pag. 339. lin. 24. vocabulo *Atlantici* addatur: *borealis*.

Tandem Obſervationi LXXV. quæ de *Singultu & vagitu uterinis* agit, & præſenti huic decimo Volumini pag. 254. inſerta eſt, ſequentia adhuc adjicienda velim: Ablegata jam hac obſervatione, incidi demum in relationem, quam *nova Acta Erudit. Lipſienſia Ann. 1740.* de MAZINI conjecturis circa reſpirationem fœtus in utero, ſeptem Diſſertationibus ſtabilitam, exhibent, & ſextam illarum maxime meam hic facio, qua pulmones fere perfectorum fœtuum, in a-

quam immersi, tardius in illam descendunt, quam illi minus perfectorum: alæ pulmonum illorum magis expansæ & versus superficiem aquæ elevatæ conspiciuntur, & post aquæ agitationem facilius superiora petunt; omnia ab elatere aëris in illis contenti derivanda. His positis, certe superior pulmonum limbus in aliquibus adeo aëre elastico refertus esse potest, ut, sub indicatis circumstantiis, ille facile sibi exitum imo reditum, quantum non solum ad singultum, sed etiam ad vagitum sufficit, parare possit, salva complicatione reliquæ pulmonum substantiæ; hinc etiam, ne infanticidæ vagivisse fœtum prætendant, & hinc esse, quod pulmones in aqua non subsideant, pars pulmonum, a limbo remotior, examini erit subjicienda.

*(Riga Halam missa d. 3. Decembr. 1753.)*

## *OBSERVATIO C.*

## DN. D. JOANN. GOTTLIEB BOETTICHER

### *Excrescentia singularis carnosa ex prægressa diuturno fluore albo in uteri vagina prognata, infelici & lethali operatione exstirpata.*

Aromatarii & civis Hafniensis uxor LIII. annorum, temperamenti melancholico-cholerici, postquam a multis curis domesticis continuoque mœrore, ex adversa fortuna jugiter suborto, (quippe opibus antea valens jam dura premebatur egestate,) non solum gravioribus hystericis pathematibus, ut digestione ciborum depravata, ventriculi inflatione post pastum, frequentibus cardialgiis, multis ructibus, alvi obstructione, continuo mœrore, metu diro vano, vertigine, febre tandem lenta & similibus, sed insimul quoque fluore

albo

albo ultra XX. annos graviffime excruciata fuit, fingulari denique excrefcentia in uteri vaginæ veftibulo, & febre lenta continuante, modo vexabatur horrendo. Excrefcentia ifta totum vaginæ introitum ita occupaverat, ut vix ac ne vix quidem urina exftillare potuerit; coloris erat albiffimi, & proxime ad fimilitudinem apum favi accedebat, fiquidem inftar lamellarum partes ejus fibi invicem fuperincumbebant, unde & lamellatim fine ullius doloris fenfu, fed cum magno fanguinis profluvio, difcerpi & feparari poterant, fique uno die fruftum imperialis magnitudinem æquans, vel etiam majus, deraderet, altero die pars fpoliata, ceu hydra Lernæa refecta, iterum accreta & redintegrata apparebat. Materia, ex qua illa concreta erat, lenta quidem, fed non adeo tenax & renitens deprehendebatur. In aqua temporis tractu liquabatur, fed frufta liquata, inftar totidem filorum, in fundo jacebant. In excrefcentiæ partibus fupremis vafa oculorum aciem fere fubterfugientia fanguinea, in fundo autem ejus paulo extantiora notabantur. Quo magis modo dicta illa excrefcentia augebatur, eo magis quidem fluor quoque decrefcebat albus, fed febris lenta eo altius caput attollebat, eamque atrociter excruciabat. Antequam ifta moleftiffima excrefcentia propullulavit, per duos integros annos fluor albus, graviffimum fœtorem fparfit & valde corrofivus fuit, unde ejus pertæfa ægra medicamenta varia adhibuit adftringentia a Mulo-medico jam adhuc fuperftite & vivo, fub quorum ufu, poft exacerbationem febris prægreffæ, cum horrore quidem levi, fed capitis doloribus atrocibus, fiti intenfiffima & infomniis graviffimis æftuque mordaci, preffo pede fubfequuta eft memorata intra paucos dies excrefcentia. Per omnes dimenfiones tam profundas differninavit radices, ut fine vitæ difcrimine, imo fine vitæ ipfius privatione feparari & abfcindi nequiret. Urgebat ejus feparationem a me, fed morem ei gerere nec potui, nec volui;

omnem interea movi lapidem, ut internis remediis convenientibus major humorum affluxus & subsidia ad augmentum præriperentur. Verum enim vero impatiens & pertæsa hujus mali, quandoquidem & ejus maritus nimis morosus ob hoc erat impedimentum, me inscio Medicum quendam juniorem, qui mulieribus parturientibus & puerperis auxilio esse suevit, ad se accersiri jussit, qui absque ulla a me petita informatione & sine ulla hujus mali debita investigatione ejus postulatis, in exstirpanda per operationem chirurgicam prædicta excrescentia, facile sed inconsulto annuit, atque opus hoc animo in se suscepit temerario, dissecuitque illam; sed veritati & eventui præsagium antea datum a me apprime correspondebat: matrona enim sub remotione seu separatione hujus calamitosi concrementi, & effreni illam excipiente nullaque arte compescenda hæmorrhagia, animam simul, præter omnem Operatoris exspectationem, efflavit. Utrumne hæc excrescentia sub nomine pseudo-polypi venire possit, aliorum judicio lubens relinquam; attamen non procul a veritatis tramite me distare, istam inter pseudo-polypos referri posse si dicam, arbitrarer.

## *OBSERVATIO CI.*

## DN. D. JOANN. GOTTLIEB BOETTICHER

### *Ulcus phagedænicum, sinistre tractatum & neglectum, mortem tandem inferens.*

Matrona LXIX. annorum, mater 12. liberorum, tenerioris & gracilis corporis constitutionis, ad iracundiam valde proclivis & nonnullis abhinc annis pathematibus frequentioribus nephriticis obnoxia, postquam per quinque annorum spatium in collo ac pedibus herpete vexata & defœdata fuit, & hinc partes istas sæpius scarificare & cucurbitulas il-

lis

lis apponere permisit, tonsillarum tandem & faucium tumore & inflammatione gravius afflicta fuit, indeque etiam feliciter liberata, per duos annos nulla amplius incommoda sensit, integra & perfecta tunc gaudens sanitate. Elapso vero hoc intervallo ex improviso gravissimis excruciatur doloribus in dextro femore, per plures dies noctesque indesinenter continuantibus, tandemque in exteriori ejus regione in stasin inflammatoriam & demum in abscessum degenerantibus, qui dein apertus insignem materiæ purulentæ, ac demum saniosæ copiam præbuit, postque aliquot hebdomadum decursum, ob neglectam legitimam tractationem, in ulcus phagedænicum transiit. Gestavit hoc per plures menses, absque congrua tam interna, quam externa medicatione, tandemque molestiarum pertæsa, balneatoris cujusdam auxilium imploravit, illumque ut consolidationem plenariam ulceris istius perficere quovis modo adniteretur, instanter rogavit. Impositis ergo ab incauto & imprudente hoc medicastro variis adstringentibus, repellentibus, traumaticis & exsiccantibus, voti sui tandem compos redditur, sed adeo infelici cum eventu, ut, dum saltem materiæ saniosæ profluvium imminui & ulcus præfatum aliquo modo consolidari inciperet, statim tussi sicca admodum molesta & rebelli, cum subsequente inflammatione & exulceratione faucium & uvulæ, deglutitionem assumendorum perquam difficilem reddente, adfligeretur; sed &, impetrato plenario ulceris coalitu febris lenta & demum hectica succederet, miseramque summe emaciatam intra semestre spatium e vivis tolleret.

(*Hafnia Halam missæ d. 7. Decembr. 1753.*)

## OBSERVATIO CII.

## DN. D. GEORG. HENRICI BEHR

*De*

## *Salacitate inſigni in Sene nonaginta ſex annorum.*

Annis ſenilibus creſcentibus Venerem potentiamque coëundi decreſcere, opinio eſt plurimorum artis medicæ peritorum; quam tamen generalis regulæ loco nullo modo eſſe poſſe, ſequens exemplum ulterius teſtatur. Senex quidam e plebe, ſtaturæ mediocris, temperamenti cholerici, durioris que vitæ generis annum nonageſimum ſextum jam ſupergreſſus, ante tres circiter annos in matrimonium duxit virginem quandam vetulam, annum quoque nonageſimum tertium jamjam agentem, quæ tempore cœlibatus per octuaginta annos, ſerie haud interrupta, ancillæ atque coquæ vices optima ſemper cum valetudine ſubierat. Maritus hic grandævus tanto cum vigore atque alacritate cum uxore ſua concumbit, ut ejaculatione ſeminis vix peracta, denuo cum iſta coëat, & in quavis fere nocte tertium quoque coitum addat. Præter hæc & id notatu digniſſimum eſt, annoſum hunc concubitorem tam perfecta nihilominus ſanitate tantisque viribus gaudere, quantis homo quadraginta annorum alias eſſe ſolet inſtructus.

✱ )o( ✱

✱

## *OBSERVATIO CIII.*

## DN. D. GEORG. HENRICI BEHR

*De*

## *Abſceſſu in pudendo muliebri, ex ſuppreſſo fluore albo exorto.*

Puella annorum XIX. temperamenti ſanguineo-phlegmatici, brevioris ſtaturæ, Veneri non parum addicta, per duos fere annos fluorem album continuo durantem, cum inſequente excoriatione partium genitalium, experta fuit. Hæc ab initio a Medico ordinario incidentibus, reſolventibus, evacuantibus tonicisque remediis optime tractata, Veneris vero luſui intermedio tempore ſemper incumbens, nullum exinde perſentiſcebat levamen. De auxilio itaque deſperans, a vetula medicaſtra potiones aſſumſit ſiſtentes atque adſtringentes, iiſque fluorem hunc inveteratum derepente ſuppreſſit. Verum enim vero, poſt decurſum aliquot ſeptimanarum ſummis adfecta eſt cruciatibus arthriticis, quos ſecuti ſunt tumores œdematoſi partium corporis inferiorum. Dolores illi etiam tam diu perſtiterunt, donec abſceſſus inter femur dextrum ipſius rimamque pudendi magnam in conſpectum venit, qui remediis externis legitimo modo tractatus, quum magnitudinem ovi anſerini æquarat, tandem ruptus magna copia materiam mucido-acrem ſummeque putridam effudit, cum præſenti levamine ſymptomatum omnium. Abſceſſu poſtremum digeſtivis, balſamicis ac ſarcoticis convenientibus curato & conſolidato, corporeque ægrotæ debito modo expurgato, ad ſanitatem, per longum jam tempus amiſſam, puella hæc rediit.

*(Argentorato Halam miſſæ d. 19. Decembr. 1753.*

# *OBSERVATIO CIV.*

## DN. D. IO. WOLFG. FRID. BOENNEKEN

*De*

## *Calculis vesicæ humanæ urinariæ.*

Ex omnibus, quibus genus humanum afficitur malis, haud exiguum est illud, quod Medicis calculus audit. Calculos vero in omnibus fere corporis humani partibus iisque nobilissimis dari, præcipue vero in renibus, vesica urinaria, & fellea; eosque nulli parcere ætati, partim quoque connatos, partim vero longo tempore successive acquisitos esse, (cujus postremi intuitu ad morbos senectutis referri solent) eosdem vero maxime differre, ratione numeri, dum vel unicus, vel plures; figuræ, dum vel sphærica, arcuata, spinosa, aspera vel glabra; substantiæ, dum vel foliacea, saxea, sabulosa, salina vel tophacea præditi; magnitudinis, dum a parvo sabulo ad ovi, imo pugni magnitudinem; ponderis, dum a grano uno, ad uncias aliquot accreti in corpore humano sunt reperti; eosque porro interdum vesicæ urinariæ firmiter fibrarum membranacearum ope adhærere, crebro autem per longum temporis intervallum sine ullo cruciatu in vesica urinaria absconditos, liberrime tamen jacere, nonnunquam vero sibi diversis modis, summis tamen utplurimum cum cruciatibus exitum parare; qui, si per urethram contingit, sævissimi, imo intolerabiles utroque in sexu sunt, licet in sequiori præ virili propter dictæ viæ brevitatem & subjacentis vaginæ uteri longe minorem resistentiam, quæ tantam haud impedit, sed potius facilitat extensionem, paulo mitiores sint; illosque, qui in vesica urinaria nidulantur in uno quoque subjecto ab infantia ad senectutem usque diros sæpissime repe-

titos quoque data vel levi occasione excitare dolores ac symptomata & artificis dexteritatem & medicamentorum optimorum virtutem eludentia, quis est ex Medicorum peritissimorum tanta cohorte nostri ævi, qui inficiabitur? Frustraneum itaque perficerem opus, crambenque sane millies coctam offerrem, si de calculorum existentia, genesi & affectibus noxiis in C. H. ab illorum præsentia ortis tam ample differere, quam ante dictorum innumera exempla in medium adferre vellem, quum tot libri a celeberrimis Medicis editi hisce sunt referti. Qua de re sufficiet Illustrissimæ Academiæ Naturæ Curiosorum observationes multis Voluminibus editas indicasse. Quod autem calculus vesicæ enormis subinde magnitudinis, absque ullo illius præsentiæ indicio, sive incommodo in sexu sequiori, in femina inquam, ubi occurrente aliquoties graviditatis & partus negotio, ad summam usque senectutem celare suam præsentiam potuerit, deinde quum per aliquod breve tempus licet diris doloribus sat notis, atque ab aliis distinctis sese manifestaverit, absque omni dolore & inscia ægrota per urethram sine prævia vel subsequente urinæ aut cruoris emissione excretus sit, idque in eadem femina bis, intermedio tamen septem annorum intervallo, contigisse, casus ut opinor erit extraordinarius, attentione, notatu, miratuque dignissimus, quem sequens observatio suppeditabit.

Anno 1745. mense Junio femina quædam septuagenaria, vidua Rabe civis dum in vivis esset & pistoris Reipubl. Suinfurtensis, aliquot liberorum mater, quæ per totius vitæ decursum nunquam indicia præsentis calculi renum vel vesicæ, ullo modo in corpore suo senserat, de doloribus primo pressoriis sub regione pubis, lumborum ac inguinum, deinde ardore urinæ, quæ excreta turbida & viscida erat, insimulque post aliquam moram parcam sedi-

menti mucosi albi deponebat quantitatem, ut plurimum vero de stillicidio ejus auctoque post ejus emissionem dolore, & crebro conatu ad deponendam alvum conqueri cœpit. In consilium vocatus, aut calculum, aut viscositatis colluviem, in vesica urinaria latentem suspicabar, huncque in finem sequentem præscribebam formulam: Rec. Extr. Pareiræbravæ, Urt. min. ana ʒj. Sapon. Alicant. ʒij. Solv. in aquæ Veron. & Chærefol. vinos. ana ℥j. colaturæ sumantur mane & vesp. gtt. LX. vel LXX. ex aqua fontana. Quo præscripto medicamento per aliquot dies adhibito dolores sunt ita exacerbati, ut parturientium doloribus similes esse, declararet; tandem penitus cessaverunt, & nocte quadam tranquille dormiebat per trium horarum spatium, quo elapso expergefacta, quum mingendi conatum perciperet, vasculum quoddam receptioni urinæ destinatum, quod ex instituto ad lectum itura adstanti sellæ imposuerat, arripiebat, urinamque mittere conabatur, sed frustra; seponebat itaque vasculum & paulo post bibendi gratia alterum quærit, quod itidem potu ordinario repletum dicto loco aderat, ob defectum autem lucis, manus ejus in id fortuito, quod pro receptione urinæ decretum erat, incidit, & ecce magnum hunc calculum, undique tamen membrana glabra cinctum, cujus icon *Tab. V. Fig. 10.* est adjunctus, reperit. Femina perterrefacta hoc phænomeno improviso, rationem hujus sibi ipsi explicare, calculum hunc prægrandem insensibiliter, absque antecedente, concomitante, vel subsequente urina, vel cruore, &, quod maximum, sine ullo dolore ab ipsa excretum esse, sibi persuadere non poterat; id quod tamen certo certius erat, quum consectarium, enormem colli vesicæ, sphincteris, & urethræ extensionem subsequens, monstraverit, felicissimum hunc, intuitu dolorum, quos interdum minutissimi calculi per ure-

thram transitus excitare solet, se enixam esse vesicæ urinariæ partum, quo, nescio quot annos, gravida antea fuerat, siquidem altera die e lecto egressa, & erecta stans, urinam retinere nequibat, quod incommodum in hunc usque diem continuat. Abhinc tamen ab omnibus doloribus calculi libera mansit, licet urinam ultra aliquot horas nec sedendo, nec cubando nec eundo, multo minus stando retinere possit. Calculus hic ponderavit recens ultra ℥iv. Septem insequentibus annis a calculi symptomatibus haud est vexata, hoc tamen anno, septimana ante Dominicam I. Adventus, denuo doloribus calculum indicantibus corripiebatur, quos in sella quadam sedens patiebatur; iis vero paululum sopitis, tandem lectum petendi animus erat: itaque e sella sua surgens, sonum quendam audiebat, ut lapidis in terram delapsi, quem calculo iterum a se ipsa insensibiliter excreto, ortum esse, minime gentium cogitabat, altera vero die ancilla, quum conclave converreret, sub sella, in qua pridie sederat nostra vetula, calculum longe quidem priori minorem & in marginibus valde asperum nec membrana velatum invenit, ac lætabunda eum matronæ suæ exhibuit. Ponderat hic calculus ℥ß. & gr. ij. vid. tab. V. fig. II. Femina hæc adhuc est in vivis annum ætatis suæ agens septuagesimum septimum. Nulli insuper valetudini adversæ, nisi ipsius senectutis & incontinentiæ urinæ incommodis, hucusque est obnoxia.

Quam felix & fausta autem sit illa femina, cujus mentionem fecimus in priori observatione, quippe quæ calculos prægrandes in vesica urinaria, per multos non solum annos sine dolore sustinuit, sed & tandem ab illis mirifice absque doloribus sub transitu horum per urethram, exceptis iis, qui ante exitum eorum præcesserant, sua sponte est liberata, hisque non obstantibus summam senectutem attigit; tam

certe infelix e contrario erat ille eruditus juvenis, binis vesicæ urinariæ calculis itidem magnis laborans, cujus historiam morbi & mortis brevissime sequentibus enarrabo. B. DN. *Handschuh* Rev. Min. Cand. & Schol. Suinf. Collega quartus meritissimus, ætatis suæ 23. annorum, temperamenti sanguineo-cholerici, habitus corporis magis spongiosi quam gracilis, sæpissime doloribus dirissimis in regionibus lumborum & pubis, cum pressione pertinaei a gravi quasi pondere in perinæo, conatibusque alvum deponendi frequentibus ut plurimum inanibus vomitibusque, ardore urinæ, stillicidio ejus, ac suppressione interdum per aliquot dies perseverante, horripilationibus, æstu, sitique ingenti affligebatur; quæ symptomata jamjam ab incunabulis hucusque eum creberrime vexarunt, ita, ut vitam degerit miseratu dignissimam. Interdum enim cruciatus ineffabiles passus est, quibus vero vel naturæ ἐνέργεια vel medicamentis congruis, decentique diæta ac regimine sæpius mitigatis, officio cum summa laude, assiduitate atque sufficienti alacritate, non solum præesse, sed & motum corporis vegetum & ambulando & concionando ferre poterat. Anno denique elapso 1752. die 13. Martii incidebat in nephritidem vel inflammationem renum cum tanta ischuria, ut, licet continuo ad mingendum stimularetur, ne guttulam quidem urinæ mittere potuerit; itaque a doloribus & symptomatibus huic morbo familiaribus miserandum in modum torquebatur. Adhibitis igitur remediis temperantibus, mitigantibus, inflammationi resistentibus, discutientibus, urinæque emissionem facilitantibus, haud quidem pellentium ope, sed stricturam colli vesicæ & urethræ emollientibus internis æque ac externis, scilicet clysteribus, unguentis, cataplasmatibus relaxantibus & anodynis, venæ sectione quoque haud omissa, ægroto succurrebatur; omnia vero

ro incassum erant tentata. Auctis enim potius indies inflammationis ac urinæ suppressionis symptomatibus, tandem deliria, tendinum subsultus, lethargus, cum ceteris gangrænæ & sphaceli interni indiciis accesserunt, quæ, remissis denique omnibus doloribus, die 17. Martii miserrimæ vitæ finem fecere; quo facto, urina larga quantitate effluxit. Postea petito meo, ut sectio corporis defuncti permitteretur, mater ejus veneranda superstes indulgebat, hinc sequentia notavi.

I. Abdomen valde tumidum & inflatum erat, ac in pene & scroto enchymomata quædam cernebantur.

II. Remotis integumentis abdominis communibus, tota ejus cavitas liquore urinoso erat repleta.

III. In intestinis tenuibus & crassis nihil p. n. observabatur.

IV. Ventriculus, hepar, bilis, lien, pancreas, cuncta hæc viscera s. n. constituta conspiciebantur.

V. Exemptis vero his, ren dexter æque ac sinister p. n. constitutionem manifestabant, & quidem:

*α.* Ratione figuræ, quæ non, uti in adultis hominibus fieri solet, phaseoli figuram, sed potius talem, qualis in infantibus recens natis, & vitulis bovinis reperitur, repræsentabat.

*β.* Ratione magnitudinis: ren enim dexter pugni magnitudinem longe superabat, sinister paulo minor erat.

VI. Ren dexter, quoad maximam ejus partem ſphacelo erat correptus, & in hujus margine ſuperiori offendebatur ulcus ruptum, quod materiam putridam, ac teterrime fœtentem in cavitatem abdominis effuderat, & in pelvis hujus renis cavitatem adeo dilatatam, ut craſſiſſimum pollicem ſine ulla difficultate aut vi admitteret, penetraverat.

VII. Ren ſiniſter non ita male erat diſpoſitus, licet quoque inflammatione fuerit adfectus, attamen nec ulceroſus, nec ſphacelo correptus erat. Ceterum in tota renum ſubſtantia ne mica ſabuli reperiebatur.

VIII. Ureteres contra valde conſtricti apparebant.

IX. Renes ſuccenturiati a ſtatu naturali non recedebant.

X. Veſicæ urinariæ fundus, figura non, uti ſolet, rotunda, ſed magis acuta ſuper oſſium pubis ſymphyſin longitudine ad minimum duorum digitorum transverſorum prominebat; veſicam quum manu prehenderem, magnum calculum incluſum eſſe cognoſcebam, ſuper quem arctiſſime erat conſtricta, eaque inciſa reperi calculum nitidum, albi coloris, admodum ſplendentem, ad inſtar ſalium cryſtalliſatorum, figuræ oblongæ, fere triangularis, cujus tres ſuperficies glabræ & politæ erant, in ſingulo vero ejus margine eminentia quædam aſpera conſpiciebatur monſtrante *Tab. V. fig. 12.* Hic calculus recens ponderabat ſeſcunciam cum ſesqui drachma. Quo exemto alter major quadratus oblongus quatuor apicibus perquam elegantibus præditus *fig. 15.* reperiebatur, pondus erat æquale unciis duabus & uni drachmæ. Veſica ne guttulam urinæ continebat.

XI. Tho-

XI. Thoracis viscera erant admodum sana.

XII. Caput defuncti non aperiebatur, prohibente id ejus matre.

Ceterum ex his recensitis liquet, quam diros cruciatus per brevem vitæ suæ decursum pie defunctus passus sit, quum statim postquam natus erat, calculi vesicæ indicia probabilia secundum matris adhuc viventis effatum in illo sese manifestaverint.

(*Norimbergam missa mense Decembri 1753.*)

# Nota.

Quum Cel. Auctor ipsos hos calculos, quorum in vtraque observatione mentio fit, ad me misit pro figuris eorum parandis, atque illi ad posteriorem observationem pertinentes divisi jam erant (*fig. 13. 14.* vti videtur ictu, *fig. 16. 17.* serra) interiorem faciem simul repræsentandam curavi expositionis loco pauca hæc addens. Uterque calculus intus continebat nucleum quasi *a. b.* obscurioris coloris nec admodum durum, sed facile rasilem, ex lamellis tamen compositum *b.* & intus argillacea ferme valdeque friabili materia repletum: alter nucleus *a.* integer adhuc erat. Hunc nucleum in utroque calculo circumdabat alia substantia, alba, paullo solidior *c. d.* & magis splendens, primo intuitu marmoreæ similis, sed radulæ pariter facile cedens ita, ut calcario - salina potius adpareret. Hanc denique excipiebat nova crusta manifeste distincta, cum priori tamen plane conveniens, nisi quod paullo adhuc magis albens & splen-



# CONTENTA APPENDICIS.



VI.







Epide-

# EPIDEMIA VERNA

QUAE

VRATISLAVIAM ANNO MDCCXXXVII.

GRAVISSIME AFFLIXIT,

DESCRIPTA

A

JOANNE GOTHOFREDO de HAHN


CONSILIARIO REGIO AULICO

ACADEM. IMPERIAL. NAT. CURIOSOR. ADIUNCTO,

ET COLLEGII MEDICI & SANITATIS DECANO.









ondum obliterata apud nos eſt memoria Epidemiae vernæ, quæ Sileſiam noſtram, quindecim retro annis vaſtavit. Dignam ſane eam iudico, cuius memoria his annalibus medicis conſeruetur, partim, quod epidemia illa propius acceſſerit ad ſevitiem peſtilentiæ veræ; partim quod mihi ipſi, eandem deſcripturo, iſtius epidemiae ſqualoribus tabeſcendum fuerit, adeo, ut ex intimo rei ſenſu petitae ſint, quae exponere ſuſcipio, iſtius luis per Sileſiorum Auguſtam graſſatae rationes. Quibus iungere animus eſt peregrinam illam multis viſam medendi methodum, qua ſervatus vel nunc eloqui valeo, quae tunc ſuſtinui. Quale quid eo liberius iam audire e me ipſo licebit cuivis, quo magis ea de re rauci iam facti fuerint vulgi rumores.

## SECTIO I.

### *Prima epidemiae occaſio.*

#### *Status anni epidemiam praegreſſi.*

Praeceſſerat annum, numeroſis funeribus luctuoſum, annus inconſueta cœli inclementia plane illaetabilis. Erat is ſeculi hujus triceſimus ſextus, quo iuſti pœnarum dictatoris Dei iuſſu cum vario miſeriarum genere conflictati ſumus. Inde enim

 a veris

a veris iſtius anni fine ad aeſtatem anni ſequentis excepit calamitatem calamitas. Neque ulla intra ſeculum, & quod excurrit, tempora his noſtris exſtitere duriora.

Scilicet oſtenderat nobis ampliſſimam foecundae meſſis ſpem ver adultus, cum coelum & terra ſubito praeciderent nobis ſpem illam, non dubiam amplius viſam, ſed fere exploratam. Praevias toto Maio pluvias interruptas, tenues, ſparſas, gelidas, excipiebant Iunio continentes, denſae, calidae, eaeque adeo effuſae, vt nubes integrae deſcendere in humidas terrarum ruinas viderentur. Colliqueſcebant talibus protinus altiſſimae montium nives, augebanturque harum colluvie non minus, quam imbrium repetitione, flumina in immenſum, uſque adeo, ut diruptis tandem horum molibus excederent ex alveis, ſtupendaſque cauſarentur aquarum effuſiones. His iunctae piſcinarum maximarum exundationes, amoeniſſimos Sileſiae campos in vaſta ſtagnantium aquarum receptacula mutabant, ita quidem, ut Viadri accolae per omnem eius tractum navibus utrimque per agros vicinos & ſilvas longe lateque vagarentur.

Obtingebat maxima illa hominum memoria Sileſiae eluvio ſub finem Iunii, mora hucuſque vix obſervata ad medium Auguſtum perdurans. Nempe & remoram defluo flumini iniiciebat ventus pertinaciter ſpirans inter Zephyrum & Boream medius, quem *Corum* dicunt, &, quod peſſimum erat, nova indies depluebant aquarum augmenta.

Tot triſtibus undis ingentes delebantur frumentorum omnis generis theſauri. Nam & quae inacceſſa manſerant fluminibus loca frumentorum feracia, ea corrumpebant pluviae perennantes, quibus cum meſſis ipſa turbabatur, tum meſſis apparatus minuebatur, vitiatis granorum maturitate cohibita ariſtis.

*Secun-*

## *Secunda epidemiae occasio.*
### *Annonae caritas.*

Enata inde insueta nobis, atque ultra modum duratura annonae difficultas. Quam cum levare non valeret ingens frumentorum, stupendis sumtibus aliunde accersitorum, copia; tum factum est, inaudito in his terris exemplo, ut non pauci ex plebeiis fame conficerentur; longe plures autem morbosis languoribus irretiti vitam traherent ipsa morte acerbiorem. Quam multi victum in silvis conquirentes glandibus, herbis crudis, arborum corticibus & turionibus aliquamdiu victitabant. Imo vero non abstinebat a cadaverum comestione esura plebis libido. Neque illa modo, & recens morticina tantum deripiebat, sed iamiam putrorem spirantia, qualia vix igne digesta avide quidam ingurgitabant. Horrendum dictu, & creditu difficile, nihilo tamen minus verum, aliquos in vicinia ruricolas abortivum iuvenculum, quem, ut indevoratus maneret, statim defodi iusserat herus, effodisse iterum, & carnium desiderio in epulum vertisse. Ferale certe dicendum & mortiferum.

Eiusmodi comessationes quanquam locum non invenirent intra urbem: permultos tamen & in hac premebat inedia, usque adeo, ut & delicatuli contemptissimis quandoque cibis delectarentur. Neque adeo rara erant pauperculorum exempla, qui boum recens mactatorum cruore, farina remixto, ignibusque leviter tosto, se exsatiabant. Præcipue autem mediae sortis homines corrumpebat & parcior, & deterior per omnia victus. Furfuraceum enim panem anhelabant, qui ante similagineum saepe fuerant aspernati: Talique ratione multi opipare & apparate vivere ante soliti, in morbos præcipitabantur, subtractis gulae irritamentis.

Iunctam fastidio commiserationem excitat adhuc dum tri-

ſtis recordatio hominum fame exhauſtorum, qui pallidi, flavi, & ut terrae filii, fuſci tota urbe nobis quotidie occurſabant. Quales ingenti numero aliunde ad nos pervenerant ſpe panis allecti. Horum aliqui ad extremum vitae halitum cum fame colluctati ſubito exanimes ſub dio occumbebant. Plures fame & morbo elanguidi in valetudinarium deportabantur.

## *Tertia epidemiae occaſio.*
### *Vitiatus aër.*

Neque vero hoc ſatis! Ipſa coeli magnam partem ſublata puritas erat. Aëre nos ambiente, ſilentibus ventis, per longum temporis tractum non bene ſiccato, ſed paluſtri & ex ſtagnatione quaſi putreſcente. Magnopere enim morborum productionibus velificabant domicilia reſtagnantium aquarum ſordibus delibuta. Erant quippe non tantum cellae omnes, ſed & complures domus, in declivioribus locis ſitae, ſentinis aliquamdiu repletae. Ipſae vero diffuſae per terras aquae tam pravae indolis deprehendebantur, ut non homines tantum tactu laederent, ſed & bruta ſqualoribus adſueta. Equorum ſane pilos cito cadere faciebant, cutemque exulcerabant.

Quin imo venenoſam plane indolem acquiſiverant aquae ſtagnando, immenſa inſectorum copia conſpurcatae. Quo ipſo & acorem & abominabilem foetorem ſpirabant, hominum ideo non minus, quam beſtiarum naribus & linguis intolerabiles.

Magno inde rei pecuariae damno eveniebat, vt animantibus & deficeret potus ſalubris, & pabula exhiberentur aquarum vitio corrupta. Quo ipſo carnes & ſucci illorum morbida labe inficiebantur, quam proxime ad homines, qui illis veſcebantur, tranſitura.

## *Status epidemicus.*

Hac coeli, terrae & rerum facie, ſaluberrima alias Sileſia noſtra ſequenti anno in valetudinarium mutabatur, pluribus incolarum millibus fatale. Scilicet elumbes, tot lubricorum retro menſium ſqualoribus, fibrae minus pares erant iuſtis & ad debitas functiones ſuffecturis tenſionibus ſiue erectionibus. Fatiſcebat macerata earum compages, ubi poſtmodum vel ſiccis caloribus, vel frigoris rigoribus tentaretur. Et viſa mihi tunc princeps & vera ſic dictae *malignitatis* febrium illarum ratio latere in hebetato, ſi non penitus deſtructo, fibrarum & vaſorum minimorum elatere. Quanquam culpa neutiquam vacarent, ſpurca illa humiditatum effluvia, corporis noſtri ſpiraculis recepta, humoribuſque inquilinis admixta. Fas erit rem declarare exemplis! Fas etiam erit, Hippocratico more, mortuos praecipue memorare. Hi enim prae convaleſcentibus morbi atrociam loquuntur.

# SECTIO II.

## *Aeger I.*

Anteſignanum epidemiae vernae ſiſto hiemalem aegrum, Februar. IV.
ruricolam XL. annos natum. Febris hunc prehendebat
continua. Comites febris erant ſubitus virium lapſus,
capitis & praecordiorum dolor gravis, fluxio alvi, pervigilium, I.
inquies, delirium. Quae inſuperabilia morbi ſymptomata exci- IV.
piebat die vndecima his ipſis inſuperabilior obitus. XI.

Plures pagatim habitantes tali ratione decumbebant, labem quam proxime urbi tradituri. In his inter alios bini ad rabiem deliri, adſtantes pugnis caedentes eoſque conſpuentes, ſervabantur.

*Aeger*

## *Aeger II.*

Primum in urbe malignae epidemiae exemplum ſe mihi offerebat Liberi Baronis de S. vxor. Foemina tenella, adverſaeque
I. fortunae miſeriis immerſa. Hæc, triginta annos nata, ſubito
II. elanguida febriebat. Dolor capitis illico atrox. Sitis, & ſequenti die importuni menſes. Exin vomitus bilis alvuſque bilioſa. Sputa viſcida. Syncopticus rigor. Ardor partium inter-
IV. nus. Linguae, quaſi candente ferro compreſſae, ſicca glabri-
VII. ties & reſtrictio. Vox arentibus faucibus nulla. Angina ſine
IX. tumore peſſima. Repetebant interdum tenacis pituitae vomitus
XIII. aluique deleterius fluor. Os ſine medela ſiccum. Iactatio. Supinus torpor. Mors inter convulſiones gemebunda.

Binae foemellae, idem fatum oppetiturae, feliciter eluctabantur, internis ignibus mature in externas partes verſis. Alteram faciei eryſipelas tertia die ſecuram reddebat. Alteram carbunculoſa digiti exulceratio, ſecunda die oborta. Sed hæc menſtruo demum ſpatio convaluit.

## *Aeger III.*

Februar. XXIV. Pari fere raptu jugulabatur foemina nobilis, viginti ſeptem annos nata, florida, ſed articularium dolorum longinquitate
I. vitiata. Inopinato hanc deſtituebant conſueti articulorum dolores. Mox languor aderat adeo anxius, vt primo morbi momento algida exſpirare videretur. Poſt tale morbi deleterii gelu aeſtus adeo vehemens, vt aegra, comburi ſe exiſtimans, vociferaret ſine remiſſione: *Emorior! Emorior! celerrima mors properat!* Parcum tandem ab effuſe depluente ſudore levamen. Articularium dolorum poſt noctem irrequietam reditus. Sed hic internas partes non liberans. Quarum vires verendo alvi profluvio corruebant, milio ardente externam ſuperficiem deſtruente.

ſtruente. Quarta die ſpes reſtitutionis inter ſudores & acerri- IV.
mas alvi evacuationes colliqueſcebat. Vrgebant ſimul & ſum-
mae praecordiorum anxietates, & intolerabile artuum rheuma, V.
& miliares ardores. Aegra poſt noctem calamitoſam rigida, inani VI.
gulae ſpaſmo, & irrito vomendi conatu vexabatur. Mens levi-
ter aliena. Dimisſio involuntaria lotii. Stillae narium. Sputa VII.
viſcida. Pavores. Mors epileptica.

Ex rebus fere aeque anguſtis ſe extricabat vir L. annorum, bilioſus et fuſcus, talisque per omnia, quales prae reliquis epidemiae ſuccumbebant. Non levarat immanem praecordiorum & capitis dolorem copioſe miſſus tertia die ſanguis. Vigil permanebat & delirus uſque ad vndecimam morbi diem, qua mori viſus ſervabatur graui ophthalmia, milio copioſo, effuſoque ſudore.

## *Aeger IV.*

Rapidiore adhuc incendii decurſu conflagrabat vir, ſicci & ad Mart.
cineres parati habitus, XL. annos natus. Ingens hunc ter- XX.
ror in febrem praecipitabat. Cardialgicus mox vomebat bilem. I.
Exin aeſtuabat, ferociſſime dolentibus capite & abdomine. Lo- II.
tium poſt inquietam noctem nigrum. Repetitio vomitus. Su- III.
dor effuſus. Tertia die delirus livebat totus, non ſecus atque apoplectici poſt obitum. Moriebatur inter ſaeva abdominis tormina, exactis morbi vix pluribus, quam quinquaginta horis.

Qui apoplexiam acutiſſimam febrem credunt, acutiſſimam febrem non inconcinne ſiderationis aliquam ſpeciem dixerint, cum aeque ſubito pereant, quos corripiunt ambae, quin imo non raro iunctis ſuccumbant.

## *Aeger V.*

Mart. XXII. I. Matrona nobilis, XLVI. annos nata, densi & obesi corporis, a nocturno amicae funere redux febriebat. Ansam morbo dederant moeror, & foeda, quae e tumulo spirabant, effluuia. Fluxerant modo ante menses. Vires protinus destruebat cardia-
II. cus dolor atrox. Nox inde vigil. Amaror oris. Mador sine le-
III. vamine. Vrina biliosa. Sitis. Algor cum fervore alternus. Mox
IV. sudor colliquativus. Quarta milii confluentis aderat copia. Huius pustulae adeo confertim extuberabant, vt multiplicato ordine sibi invicem insiderent. Turgebat illo ignitorum tuberculorum agmine corporis ambitus. Splendebat fusco rubore torva facies. Rugiebat venter. Vrgebat vesicae stimulus. Repetebant menses.
V. Artus rheumate torquebantur. Tali praecipitati funeris apparatu circumvallata nostra, quinta die anxia, quasi e vinculis se extricatura, se volvebat, suspiriosa, lurido pallore marcida, βλέφθαλμος, aphona, stertens, subito exspirans. Vasorum cutaneorum apicibus igne sacro, non secus ac pulveris pyrii accensione, destructis.

## *Aeger VI.*

Mart. XVII. Propius ad carbunculorum ingenium accedebant feralia eiusmodi exanthemata in foemina masculi roboris & egregiae
I. staturae. Hanc XXX. annos natam, tentabat subitum frigus cum nausea, artuum, praecordiorum & capitis acerbo dolore. Lactanti novem menses, inordinate simul, & ea die iterum florebat vte-
III. rus. Tertia morbi die facies, nucha, artus, mox totum corpus,
IV. quasi virgis caesa, vibicibus perfundebantur. Vibicati illi rubores protinus in vesiculas mutabantur, acerrimo halitu ardorem in-
VI. tolerabilem excitantes. Subsistebant istae vesiculae, praevio bilis vomitu. Inde cutis pallor & virium ad animi deliquium depressio.

preſſio. Sudor revocabat elevationem veſicularum, harumque VII.
ardorem, non vero ſpem vitae, quam praeſcindebant alvi bilioſa X.
fluxio, & vertiginoſus languor & vomitus repetitus bilis, totidem incendii interni teſtes. Inde in ſphacelum praeceps diſcede- XI.
bat noſtra fuſco livore offuſa.

Inter convaleſcentes comparanda cum hac alia quaedam foemina, cui anginoſa febre decumbenti tandem efflorebant decima ſexta demum die in humero & tibia carbunculoſae eiusmodi veſiculae, ex macularum & miliarium confluxu exſurgentes, cutem adurentes, alte depaſcentes, aegram vero menſtruo ſpatio ſalvam dimittentes.

# SECTIO III.

Cum increbreſcerent effervente magis magiſque epidemia & morbi & mortes, iisdemque praevertendis minus paria eſſent iuncta Medicorum conſilia; excitabatur attentio aulae, iubebaturque ſingulis dierum ſeptimanis denuntiare, quot quisque Medicorum aegros, et qua ſpe in ſe ſuſceperit, & quos ex his vel ſervaverit, vel amiſerit. Vbi quidem, ſubducto poſtmodum calculo, comparuit, Vratislaviam noſtram duplo maiorem ſolito civium ſuorum numerum iſto anno amiſiſſe. Tria quippe mortuorum millia intra vrbis moenia ſepulta.

Experiebamur tunc Medici, quam appoſite olim malignae epidemiae characterem in eo poſuerit HIPPOCRATES, quando, quae alias a prudente Medico in morborum curationibus cum fructu ſuſcipiuntur, omni fere ſucceſſu carent. Aeque enim parum proficiebant, qui reiterata ſanguinis miſſione praevertere incendii vniverſalis progreſſum annitebantur, quam qui illa penitus abſtinebant; quin panicus quidam terror ſuſpectam multis

reddiderat venae ſectionem, eo, quod ex orci faucibus eripere non valuerat eos, qui illam admiſerant protinus. Erat autem & tam praeceps periculi maturitas, & tam ſubitus vbiuis virium lapſus, vt antequam quid facto opus eſſet decerneret auxiliaturus, fato proximus ſaepe haberetur aeger, ſola analepſi refocillandus.

His rerum anguſtiis, & conſilio patris ſenis excitatus, ignis elemento deſtructori, inuſitata methodo, opponere decernebam infeſtum ignibus elementum aquae, iugi abluitione frigida vel praevertere, vel delere tentans ignes ſacros, tot florentibus & vegetis corporibus ruinoſos.

## *Aeger VII.*

Aprilis

XVIII. Mercator XXXII. annos natus, floridus natura, ſed inter moe-
I. rores fuſcus in orthoſtadio, mox febriens, capitiſque do-
II. lore & nauſea affectus. Permittentibus id viribus altera die mit-
III. tebamus ſanguinem, qui inflammatorius. Veſperi vomebat ae-
IV. ger, tertia die maculoſus. Maculae morbillis aemulae, incon-
V. ſtantes. Mador. Mox praecordiorum intolerabilis dolor & delirium. Quaſi ex temulentia vacillans extra lectum vagabatur
VI. ſiccus. Oculo altero dilatato, altero connivente, vtroque gramioſo & caliginoſo, lingua laevi, arida, candente; ſputo reſinoſo; vrina bilioſa. Enimvero his omnibus cum minus prompte mederentur conſuetae potiones, citratae, nitratae, aceto analeptico gratiſſimae, affatim aegro, ſibi parum conſcio, ingeſtae, tum ad externas illas humectationes confugiebamus, indefeſſa
VIII. opera ſpongiis omnem corporis ambitum demulcentes. Id conſequamur, vt ſenſim ſputa reſinoſa fierent magis mobilia; vt flaccida & fuſca facies conſpiceretur magis turgidula; vt felicius procederet blandus mador; vt reſipiſceret, hactenus vel loquax ni-
XIV. mium, vel taciturnus ex delirio aeger.

*Aeger*

## *Aeger VIII.*

Inierat autem ſocietatem cum epidemica febre noſtra apparatus quidam apoplexiae, ex oculorum inaequalitate in praecedente aegro diiudicandus, in pluribus aliis funeſti eventus praecurſor. Vir athleta, XLVI. annos natus, decubuerat tres dies febre con- IIII.
tinua, quam malus epidemiae mos vnice ſuſpectam reddebat. Quarta vero, ecce! die oculi ſiniſtri conniventia latentem in her- IV.
ba anguem prodebat. Linquebatur aeger animo, alvumque largius ſolutam experiebatur. Dolores capitis, a primo morbi mo- V.
mento praeſentes, increſcebant. Totum latus ſiniſtrum ſubdebile. Lingua balbutiens. Vrina involuntaria. Mens confuſa. VI.
Sudor excedens. Singultus. Vellicatio lecti. Milium. Puden- VII.
dorum tubercula carbunculoſa, inflammato ambitu & dolente. Sedes nigrae effuſae, cum herniae ſcrotalis, qua laborabat noſter, diſparitione. Vndecima frigebant anima & ſudor & mox exa- XI.
nimis aeger, recuſata abluitione, illotis manibus tumulum petiturus.

## *Aeger IX.*

Abluitionis e contra promptum auxilium experiebamur, in pe- Maii die XXVIII.
riculo magis quam hic evidenti. Nobiliſſima foemina, conſanguinitatis mihi vinculo iuncta, XLIII. annos nata, inter domeſticas occupationes quaſi conquaſſata concidebat. Facies pri- I.
mo momento Hippocratica, artubus glacie perfuſis & tremulis. Tenesmus vteri, veſicae & alui, cum impetuoſa contentorum exturbatione. Horror repetitus ad quemvis aëris attactum. Vomitus poſt quaevis ingeſta. Turgor abdominis. Videbatur mihi advolanti non morbo corripi aegra, ſed ſiderata mori, vix-

que amplius cum morte colluctari. Pharmaco, ob vomitus, non erat locus, neque venae sectioni, ob algida &
II. emarcida membra. Iugi abluitione artuum glacies diffluebat inter gemebundos angores. Sitis tandem invitabat potum. Calorem excipiebat aestus. Clysmi solabantur partes abdominis in-
IV. ternas. Quarta die magis sibi conscia aegra caput quasi a percussione dolere conquerebatur. Abdomen mire inflatum. Faeces albae. Ichor vterinus cum conatu aliquo abortibus solenni.
V. Non enim fluxerat vterus binos menses. Stupor femoris sinistri
VIII. quasi a paralysi. Octava demum die certa rediturae sanitatis spes duorum tandem mensium spatio confirmata. Quo transacto
LX. calculus reddebatur. Uterus iterum florebat. Vires recuperabantur.

## *Aeger X.*

Maii die XXX. Omni remediorum genere, vna abluitione excepta, instructus servari non poterat Vir LXIV. annos natus, inter mercatorum primos spectabilis. Robustus corpore, mente feruidus, in omni actione rapidus. Represserat modo morbi, eum quasi praetentantis, insidias venae sectione consueta vernali; cum nihil
I. mali veritus aliquo vespertini frigoris sensu monitus lectum peteret, per tres horas non bene refocillandus. Nullus aderat gra-
II. vioris morbi apparatus, praeter absentiam adsuetae alacritatis,
III. qua lecto continebatur noster, tertia die sparsas per thoracem
IV. miliares pustulas observans. Quarta demum calor febrilis exsurgebat, viribus sine causa magis fractis, milioque evanido. Epidemiae malitia cautus, verebar, ne externis parcens tecte saeviret in interna morbus. Huiusque eventus indicium futurum adstantibus declaro, si vel bilis vomitus, vel sedes tales proxime sequantur. Vtrumque succedebat, bile bis per vomitum, ter per

per alvum reddita. Quo ipſo momento homini hernioſo, vti Aegro VIII. vndecimam diem exitialem futuram pronuntio; idque eo maiore cum fiducia, quo magis in ea ſuſpicione me confirmarent preſſo pede inſequens ſopor, cum cardialgia, ructu & VI.
ſputo tenaci. Adiungitur mihi Medicus copioſa praxi non incelebris. Accitur Chirurgus, herniam diiudicaturus. Vterque ſecuros nos eſſe de interna inflammatione iubebat; praecipue, cum extra lectum ſedentem deprehenderent aegrum, dentes expurgantem, mihique vel ob ſolam taciturnitatem ſuſpectum, ſeptima vero die balbutientem, ſubſtupidum & quaedam incaute VII.
eloquentem. Cum in ea praedictione perſeverarem, vitae & morbi eundem futurum exitum, convocatur Medicus tertius. Adplicantur noſtro omnium conſenſu Veſicantia. Propinantur pharmaca, quae cuiuis videbantur ſelectiſſima. Sequitur nox, VIII.
adſtantium teſtimonio, ſat pacata. Redditur vrina naturali propinqua. Micat pulſus vel HIPPOCRATEM fallere aptus. Madet cutis. Reſpondet alvus. Suſcitatam interim tot ſpecioſis circumſtantiis reſtitutionis ſpem deprimunt ſiccior lingua, facies vltra, quam aegrum decebat, ſplendens, calor auctus, micturitio, impudens conſurgendi libido, hacque repreſſa, vrinae involuntaria dimiſſio. Accedebant ad haec lenia deliria & vix pro talibus agnita, quia, circa nummos & numeros occupata, decere mercatorem videbantur. Suſpectiſſima mihi nihilominus, mortisque certiores praenuntii, quam ſiniſtra cornix. Mentis quippe errores illi nona die poſt comatoſam noctem magis declarati. IX.
Luridae tunc maculae comparebant. Totidem nova mortis properantis ſymbola, emarcidae cuti inſculpta. Ad quorum conſpectum parum aberat adſtantium vnus, quin ſine febre deliraſſet. Victoriam in Medicorum manibus eſſe ratus, eo, quod exanthe-

mata

mata critica eruperint feliciter. Critica certe! ſed ad mortem!
X. maturius, quam praemonueram, decima nempe die, conſequentem.

## *Aeger XI.*

In ſtationem aegri praecedentis, quem vix amplius reſpiran-
I. tem inviſeram, ſuccedebam ipſe. Pranſurus domum
redux menſae loco lectum occupo, quadrageſimo quarto
aetatis anno conſtitutus. Perſenſeram inter vix ſuperabiles labores
infeſtum aliquamdiu nuchae dolorem. Hic iſto mane ſolito
ferventior febrem epidemicam invitabat absque praevio horroris
ſenſu. Saevus ille dolor, ex nucha ortum ducens, totum
tunc ambiebat caput. Funeſta experientia me edocturus quid ſit
periculoſa illa HIPPOCRATIS περιοδυνίη ſiue *corona dolorum.* Fervebat
caput, frigentibus pedibus, ſpasmo ad abdomen rigidis.
Augeſcente de momento in momentum dolore, horror aderat
ad quemvis aëris attactum. Languor mox ab initio extremus.
II. Nox inquieta & ſudans. Oculi graviſſime dolentes. Rheuma
III. omnes artus quaſi comminuens. Parca tertio mane remiſſio dolorum,
mox intenſiorum; febre, praevio torpore, aucta. Nox
IV. clamoſo nuchae & capitis cruciatu atrox. Poſt hanc dies no-
V. cte peior. Pedum glacies nondum egelata. Triſtibus his ſym-
VI. ptomatibus iungebantur pavores, mentisque debilitas ſuſpecta;
manibus hoc biduo vibicatis, tendinumque ſubſultu tremulis;
VII. milio per dorſum ſparſo. Vomitus praeterea, aphtharum ventriculi
teſtis. Ab hac die abluitio frigida univerſalis in vſum
VIII. vocata, cum antea particularis tantum obtinuiſſet. Octavo pulſus
tremulus obſervabatur. Gemitus a dolorum ferocia perennes.
IX. X. Nona vomitus grumum cruoris emoliebatur. Obtinebat
tunc

tunc rerum ab aliquo mentis deliro ſtupore incuria. Vndecima XI.
ſudor, armiſtitium aliquot horarum producens, opportuno corticis vſui locum concedebat, cum iam exitialis languor quaevis peſſima minaretur. Loquela difficilis & balbutiens. Angina aphthoſa. Stridor dentium. Riſus Sardonicus. Spaſmi cynici. XII.
Obauditio. Screatus. Id interim conſequebamur corticis vſu, XIII.
vt quotidiana exacerbatio tardius, & die decima quarta, quae XIV.
tota comatoſa fuerat, ſub noctem demum ingrueret. Sed gravitate tarditatem compenſabat, violento frigore totum corpus quatiente. Mox algidus aderat ſudor, deficiente loquela; dimiſſa citra voluntatis imperium vrina. Media nocte glaciali iſto XV.
frigore rigidus, mori viſus, frigida abluitione revocor. Redeunte XVI.
cum auditu aliqua ſpe vitae. Loquela diu difficilis & tarda, quaſi aparalyſi. Nec niſi operoſo corporis conatu, et parturiente quodam niſu verba emoliebar praeter morem ſeſquipedalia. Dentium repurgatione occupatus, quod ſymptoma, non optimae notae (Aeger X. dies II), partim aphthoideae oris cuti defluae, partim novis aphthis germinantibus tribuo. Ea die ſuſpectiſſima extra lectum XVIII.
verſandi libido ſtatim ſumma infirmitate reprimebatur. Abhinc tamen prima cibi cupiditas. Impetu in cucumeres & carnem bubulam acto, deſiderio vix cito ſatis implendo. Sudor abunde defluebat dum caperem cibum. Hoc deglutito, ſomno abripiebar. XX.
Quivis tunc ſtrepitus aures feriebat moleſte; praecipue curruum XXII.
praetervehentium. Oculis recentia & peregrina erant obiecta XXV. II
quaevis. Collectis tantillum viribus, ſubita noctu aderat cholera, XXXVI
effuſam per diem exturbans contentorum copiam. Morbus quadraginta dierum ambitu iudicabatur. Surarum ſpaſmis cum XLVIII.
duritie negotium adhuc facientibus. Epidermis ſenſim omnis deflua. Vnguium emortuorum & incurvorum regeneratio ru-

bella menſe demum Auguſto malorum agmen claudebat. Vigente morbo alvus bis officii monita cremore tartari.

Teſtabitur fuſior paulo haec hiſtoria de gravitate morbi. Teſtetur iam quoque aliqua commemoratio curationis de ſuſceptorum aequitate. Dubia quidem ea nonnullis viſa, mox frequenti experientia & imitatione comprobata. Obieceram febri, more mihi ſolenni, mox a principio potiones largas ſaturate nitratas, citratas, analepticas ipſamque aquam ſimplicem ſaccharo blande ſaponaceam, gulaeque, deſtillatas aquas faſtidienti, acceptam. Fraena inieceram ſaevienti dolori remedio nocturno, ſemper ad dolorum gradus demenſo, ſumtis nempe vel pilularum de cynogloſſo ſex, ſeptem granis, vel extracti aquoſi Opii grano vnico. Vtrumque pharmacum magno ſemper mihi ſolatio erat, aut praevertendo febrile pervigilium, aut moderando ineffabiles dolorum cruciatus. Ab alexipharmacis calidis adeo alienus, vt cum aliquando Eſſentiam alexipharmacam obtruderet, mihi tunc opem laturus Dn. *de* HELWIG non renuerem tantum, ſed more febrientibus, dum calent, ſolenni, quaſi levi temulentia actus regererem: *me ne nomen quidem eiusmodi pharmaci ferre poſſe, nedum pharmacum ipſum.* Quam ingenuitatem ſaepe dein riſu proſecuti ſumus ambo. Cum interim increſceret morbus, isque meo, aegri ſenſu, & Medicorum practicotaton judicio pro inexpugnabili aeſtimaretur; tum ſeptima die advolans Pater optimus, aqua frigida reſtinguere protinus febriles ignes, auctoritate ſenem Medicum decente, jubebat. Iugiter ergo ſpongiis abluebar. Sancteque teſtor, nunquam non refici ad breve temporis momentum languentes marcidae cutis fibras me perſenſiſſe. Succedebat, repurgatis hac ope poris, perſpiratio liberior ac ſudor

dor modeſtus, videbanturque cutis obturacula promptius ſpongia remota, quam pharmaci interni virtute. Recreabat praeterea hiantia, & purum aërem ſitientia cutis ora, liberior aëris acceſſus. Neque enim ſalutarem iudicabamus atmoſphaeram, aegri & circumſtantium exhalationibus impraegnatam. Feneſtris ergo apertis, ſecus atque id noſtratium mos ferebat, libero aëri aditum concedebamus. Lectum de die alium occupabam, alium de nocte, peraccommodo interrumpendis caloribus inſtituto. Induſia frequentius permutabam, ne ſcilicet, quae exhalabant, ſanguinis recrementa reſorberentur per vias patulas. Cautela a circumſpecto ſeculi decimi ſexti Medico, RONSSEO, in elegantibus Epiſtolis commendata: *An terſa mundaque linteamina puerperis & aegrotis conveniant?*

Die morbi decima, dubio valde rerum eventu, conſilium inibam cum patre, de ſalute mea ſollicito, de Cortice ſumendo. Prima ergo temporis momenta ſequentis noctis arripiebamus, ſumendo vndecima die ab hora tertia matutina ad ſeptimam ſingulis horis ſelectiſſimi huius drachmam vnam. Bene adhucdum recordor, me non tantum pharmacum hoc tanquam delicioſum quendam cibum, maſticando devoraſſe, ſed et mox a prima doſi gratiſſimum quendam ſenſum per totum corpus diffuſum, me percepiſſe. Quinque adeoque ea die deglutitae drachmae, duodecima quatuor iisdem horis, decima tertia tres tantum, & quarta decima non niſi vnica. Deſtituente me illo guſtu grato. Ea interim ipſa die viſa febris ſe recepiſſe, repetito ſub noctem frigore omnes adhuc nervos intendebat, aut perditura aegrum, aut peritura. Et quanquam parum abeſſet, quin tunc ſuccumberem morbo, apoplecticum apparatum in ſocietatem adſciſcenti,

perſenſi tamen, illo ipſo impetu fractas eius vires rediturae valetudinis ſpem revocaſſe. Iuges illae abluitiones, quibus hucusque recreatus fueram, ea ipſa die, qua mori videbar, non negligebantur. Licet enim totus algidus algido ſudore perfunderer, non ſecus ac liquefactae glaciei immerſus; frigida tamen abluebar; maritum ſervatura chariſſima coniuge lethales madores ocius diluente. Morbi tandem reliquiae menſtrua equitatione feliciter ſubactae.

Humida tali medendi methodo plures abhinc ſervati etiam e deſperatiſſimis. Meo quippe exemplo excitati non facile contranitebantur aegri. Quanquam non defuerant, qui, ſiniſtro prius iudicio abrepti, publice aſſeruerant: Moriendum mihi neceſſario quidem ex capitali lethalis morbi ratione. Quodſi vero vel hoc minime eſſet, moriendum mihi tamen ob medendi rationem perverſam, contra medicae artis leges mihi filio a patre applicatam. Sumſit autem ſibi hanc provinciam coniunctiſſimus frater, Svidnicenſium Medicus, vt antiquiſſimam hanc medendi methodum contra iniquos obtrectatores ſingulari tractatu:

*Krafft und Würckung des friſchen Waſſers*,

vindicaret, quali labore hic ſuperſedere commode poſſum.

JOAN-

# JOANNIS JACOBI RITTERI

MEDICINAE DOCTORIS

ET IMPERIALIS ACADEMIAE NATVRAE CVRIOSORVM COLLEGAE

TENTAMEN

# HISTORIAE NATVRALIS

DITIONIS

# RIEDESELIO-AVIMONTANAE

IN

QVATVOR PARTES,

NEMPE

FLORAM,

MINERALOGIAM,

FAVNAM ET

COMMENTATIVNCVLAM

DE AERE, AQVIS ET LOCIS ETC.

DIVISVM.



# LECTOR BENEVOLE.

Ratio et consuetudo suadent, vt quaedam ob huius opusculi imperfectionem moneam. Deliciae studii naturalis ex SCHEVCHZERI Patriis scriptis haustae, BOVRGVETI et HALLERI commercio fotae, mobili praeter spem vita, mutata saepius licet sede, immobiles haesere animo. Hinc quoque in Ditione RIEDESELIO-AVIMONTANA Physicus Ao. 1744. constitutus, intuens eam, me temperare nequiui, quin statim consilium de perlustranda, iuxta recepta tria regna, hac Ditione, deque consignando visorum catalogo caperem. Mense Augusto eiusd. anni me prima vice huic applicans proposito, parergon hoc inter praxin medicam et labores iuuentuti dicatos annis 1744 1745. 1746. et trimestri primo anni 1747. magna prosequutus fui voluptate. Quo tempore ad Cathedram Frisiae Franequeranam medicam vocatus, hanc deserui inuitus regionem, simulque cepto metam posui; schedas vero mecum vehens in ordinem redigere, easque sub *Tentaminis Historiae naturalis Auimontanae* Titulo, et auspicio Illustr. *Riedeseliorum* (*) luci exponere publicae, sic dulce dulcis morae monumentum perennare in animo statueram, de negato ibi proposito, ex Frisia in Heluetiam, inde in Germaniam Silesiamque schedas vectas, varias ob ratio-

* Ex Illustrissima hac Familia ab omni aeuo non modo Viri sago Togaque clari, sed etiam Botanophili prodiere, teste TABERNAEMONTANO, MATHIOLI commentatore, vernaculo Opere *Francof. ad Moen* Fol. 1586. qui GEORGII RIEDESEL, Hassiae Mareschalli, Haereditarii in *Ludwigs E k.* sub articulo: *Stoechas*, p. 238. honorificam facit mentionem.

tiones obliuioni iam destinaram. Stetissem huic proposito, nisi ab ILLVSTRI Academ: Natur: Curiosorum Praeside BüCHNERO, litteris tam publicis, quam priuatis, exhortatus, officiique membri Societatis vt et Symboli: *Nunquam otiosus*, memor; opusculum tandem ex schedis operose collectum, aliquali systematico ordine concinnare, mutassem animum et quicquid sit, imperfectum potius, quam nullum offerre malui obsecundans, praecipue, quum nihil oblatu dignius mihi ad manus sit. Collaturus vires meas, laborem medicum primarium, subiecti ambitum, morae breuitatem, parergon cum hoc conamine, me plura non praestitisse facile largiturus erit aequus Lector. Praestiti quid et quantum valui absque vlla gloriae cupidine; contentus etenim sorte mea vltra tumulum, nec gloriolam, nec famam, nec aliud quodcunque munus ambio, satur horum omnium. In asylo et terrae angulo

- - - - - quo fontes adire remotos
atque haurire queam vitae praecepta beatae,

locatus, quem nec elogia, nec epicrises eruditorum turbare valent vnquam, quo

priuatusque magis viuo beatior rege. HORATIVS

Opusculum ob materiae diuersitatem in quatuor diuisi partes. Prima sistit *Floram*; secunda *Mineralogiam*; tertia *Faunam Riedeseliam* iuxta LINNAEI Systema; quarta *Commentatiunculam de aëre, aquis et locis, indole, morbis et medicina incolarum.* Synopsin historico-ecclesiastico-politico-litterariam, nisi a scopo alieni quid fuisset, addidissem; sed lubricam hanc prouinciam suscipiat me aptior; qui enim lapsu in Historia naturali erronea profert, sibi soli; qui vero in Historia politica, sint falsa, aut vera, v. gr. circa feudorum praecipue originem, producit, duobus nocet simul. Vestigia me terrent; quoad Historiam naturalem tentasse sufficit; nunc addere facile.

(Dabam *Peilauiae* Silesiorum, *festo Paschatis*, 1772.)

PRAE-

# PRAEMONENDA
circa
# FLORAM RIEDESELIAM.

Ratio reddenda huius Florulae, ne negligentiae tribuatur, quod otium non ſuppeditauit. Incepi plantas legere menſe Auguſto 1744, deſii Martio 1747. Operam in plantis colligendis ZEHNERVS, Pharmacopoeus peritiſſimus, gratusque comes, contulit, qui ſolers multas a me praeteruiſas plantas apportauit. Plantas iuxta methodum RIVINO-RVPPIANAM vtplurimum; claſſem primam et ſecundam iuxta ILLVSTR. HALLERI *Enumerationem Stirpium Helueticarum*, ſequentes vero iuxta RVPPII *Floram Jenenſem* diſpoſui.

Plantis transmiſſis plerisque nomina *Praeceptor* HALLERVS impoſuit, falſa emendauit, impropria correxit beneuolus; et ſi quae adhuc incongrua remanſerint, id mihi tribuendum. Haec iterum grato animo profiteri jubet religio erga tantum Virum (*). Synonyma plantarum, nominum extenſio, ex *Eius Enumeratione* deſumta, mei ſunt laboris. Quibusdam plantis RVPPII denominationem primam appoſui; reliquis aut RVPPII, aut TOVRNEFORTII aut *Praeceptoris* nomen tanquam primum ſynonymum addidi. Synonyma ſparſim haud accuratius determinanda adiunxi; eo quod Botanici, veteres praeſertim, vni eademque plantae diuerſa, aut diuerſis plantis idem apponant. Methodum RVPPIANAM potiſſimum ſequutus, genera retinui quaedam ſeparata, quae opportune iunxit HALLERVS Opere citato; v. gr. Viſcariam a Lychnide, etc. quaedam monente Eo in notis ad RVPPIVM v. g. pagg. 57. 88. 96. 100. 131. etc. mutaui, ſe-



* Confer BOERNERI *Leben der Aerzte und Naturforscher*, Tom. II. Faſc. I. p. 149. ſeq.

paratas RVPPIO iunxi plantas; quaedam vero confcius reliqui immutata, quae acutioribus modernis Botanicis errores forte, et quidem iure, videbuntur; mutaffem lubens, fi vires et inftituti ratio, et relegendarum plantarum tam recentium, quam ficcarum (Hortus ficcus enim in Heluetia iacet) occafio, tuliffent. Sed notandum rogo, me Florulam, non Syftema Plantarum tentaffe, nec me lites intendere Botanicas, nec Botanici famam ambire. Correctiones aequo feram animo, nec regeram Correctori critico. Auctores confului fequentes:

(1) *Illuftr.* Halleri *Enumerationem Stirpium Heluetícarum*, fol. Göttingae 1742. per H. E. breuitatis gratia indicatam. (2) *Eiusd. Opufcula Botanica* 8vo 1748. (3) *Eiusd* RVPPII *Floram Jenenfem* Edit. fecund. 8vo Jenae 1745. (4) *Inftitutiones Rei Herbariae* TOVRNEFORTII 4to Parifiis 1719. (5) LINNAEI *Amoenitates Academicas* 8vo Holmiae et Lipfiae 1749. reliquos in hoc opufculo citatos ad fidem horum transfcripfi.

Quemadmodum fynonyma moleftam confufionem, fic termini: *maximus, minimus, medius*, etc. fpeciebus diftinguendis adhibiti, ambiguitatem, (nonne fcala Botanicis communi recepta tollendam?) creant. Tempus, quo plantae flores exhibent, quantum licuit, addidi, variabile fingulo anno reiteraffem, fi copia morae ibi fuiffet mihi maior, tumque fequentia adftruxiffem Corollaria:

1) An inter loca Ditionis Riedefeliae fub iisdem foli, aprici aut vmbrofi, ficci aut humidi qualitatibus, fit Climatis varietas?

2) Ex huius regionis plantarum tempore flores protrudendi cum vicinarum regionum, v. gr. Wetterauiae, Franconiae, Haffiae collatione conftitiffet, num citius vel ferius, qua magnitudine, quo tempore prodeant flores, habita tempeftatum ratione?

3) Ob-

3) Obſeruationibus botanicis ſub diuerſae longitudinis locis inſtitutis innoteſceret; quo tempore plantae citius aut tardius progerminarent? an citius verſus aequatorem, an ſerius verſus polos? an proximitas vel diſtantia ab aequatore, telluris inclinatio ad ſolem, ſit vnica ratio huius variabilis temporis florendi? an ſoli indoles inde excludenda?

4) Num lex conſtans vbique terrarum, quod Lichenes corticibus arborum, lapidibus, tegulis; plantae bulbiferae vdoſis, plerumque acres; Viſcum arboribus, muſci ſyluis, etc. radices infigant? Cur muſci Lichenesque hyeme potiſſimum, Thymelaea menſe Februario, reliquae plantae Germaniae etc. a Martio ad Septembrim floreant? an ex indole plantae aut ſoli?

5) An quibusdam regionibus ſit planta annua, quae aliis perennis? vti acute monet LINNAEVS *Amoen. Acad. de viribus plantarum* p. 428.

6) An vera amicitia plantarum exſtet? v. gr. moſchatellinae cum acetoſella; arnicae cum ſphagno molliſſimo, rorella, etc.?

Frumenta, quae vere exotica ſunt, enumerare methodice omiſi ſtudio. In vires plantarum denuo, et quidem clinice inquirere, operae pretium foret, vt tandem aliquid certi ſtatuatur, erroresque Diſpenſatoriorum, operum de materia medica, et Chymicorum (differunt enim vires partium igne extortarum a ſubſtantiae plantarum toto coelo,) emendarentur; ne amplius in Medicinam cadat iuſtum alias vituperium: quartam modo partem eius veram, caetera inania eſſe. Labor certe Academicarum quaeſtionum ieiunarum et in Praxi clinica inutilium: de Theoria lunae, motu planetarum, de legibus et communicatione motus, de directione ventorum, figura grandinis, propagatione luminis, etc. ſolutionibus dignior. Dolendum ſane, vires plantarum,

adhibita licet vltra ducentorum ſeculorum ſpatium opera, tanta premi incertitudine: Nonne ſuperſtitio; ſchola chemica; praeiudicia auctoritatis; nimia iam notitiae virium opinio; confuſa in formulis ſesquipedalibus earum farrago; huius neglectus cauſſa? Solus huic disquiſitioni impar publice haec propoſui candidus, hinc dubia, circa vim plantarum in propria praxi inuito nata, ſparſim adieci.

# CLASSIS PRIMA.

## PLANTAE APETALAE

## STAMINIBVS CONSPICVIS.

### SECTIO PRIMA.

Simpliciſſimae ſimilares Semine inconſpicuo, ILLVSTR. de HALLER *Enum. ſtirp. Heluet. p. 1.*

Flore carentes RVPPII *Flor. Jenenſ. Claſſ. XVII. p. 351.*

I. *Conferua Plinii.*

*Conferua filis longiſſimis et ſimpliciſſimis.* HALLER *Enum. n. 6. p. 2.* RVPP. p. 352. prope *Lauterbach* in riuis.

II. *Boletus* petiolo rugoſo, pileolo celluloſo ouali. HALLER *Enum. n. 3. p. 24.* RVPP. p. 361. ibidem cum praecedente.

2. *Boletus* pileolo conico. HALLER *Enum.* n. 4. p. 6. RVPP. cit. pag. circa arcem *Eiſenbach* in agris.

III. *Agarico-polyporus* lineis verſicoloribus violaceis et ochroleucis in Fago. HALLER. *Enum.* n. 4. p. 426. *in der Schneiſſe am Schoenberg.*

2. *Agarico-polyporus* lineis nigricantibus, oris paululum flaveſcentibus. *in der Hard.* Varietas prioris.

3. *Aga-*

3. *Agarico-polyporus* lineis ſuperne e flauo viridibus, inferne flaueſcentibus ſtramine perforatus, in malo putrida ſylueſtri, poris tenuiſſimis. Forte eſt *Agarico-polyporus fulvus poris tenuiſſimis* HALLER *Enum.* p. 27. n. 6. RVPP. p. 361?

4. *Agarico-polyporus maximus*, digitatus, flaueſcens, laminis breuiſſimis HALLER *Enum.* n. 12. p. 28. RVPP. p. 362. *ad Fagum am Ochſenkopf.* Incolis edulis. An Agaricus eſculentus TOVRNEFORTII?

5. *Agarico-polyporus fimbriatus.* An varietas prioris? creſcit ibid. cum praeced.

IV. *Fungus* pileolatus maior, gelatinoſus, coccineus.

an *fungus exiguus conicus ſtriatus, dilute rubellus*? HALLER *Enum.* n. 78. p. 49. *bey der Steinmühle zu Lauterbach.*

2. Fungus oris intus reflexis, lamellis ſpadiceis HALLER *Enum.* n. 98. p. 54. *bey der Thongrube.*

# SECTIO SECVNDA.

## *Plantae*

*quibus Florum et Seminum analoga corpuſcula ſimul. Lichenes.* HALLER *Enum.* p. 62. RVPP. p. 374.

(a) *Corniculati et Pyxidati.* HALLER *Enum.* p. 63—67.

1. *Lichen* pyxidatus cinereus tubuloſus. HALLER *Enum.* n. 9. p. 64. RVPP. p. 381. in Fago bey *Rigsfeld.*

2. *Lichen* tubulatus, pyxidatus prolifer. HALLER *Enum.* n. 15. p. 65. RVPP. l. c. ad ſaxa *auf dem Eichberg.*

3. *Lichen* corniculatus et pyxidatus albidus, minor et gracilior MICHELI HALLER *Enum.* n. 22. p. 66. ad ſemitam verſus arcem *Eiſenbach.*

(b) *Fruticoſi.* HALLER *Enum.* p. 70.
*Vſneae* DILLENII.

4. *Lichen* cinereus capillaceo folio minor. I. R. H. HALLER *Enum.* n. 46. p. 70.
*Muſcus arboreus cum orbiculis trichodes* RVPP. p. 383. ad ſaxa et arbores zu *Eiſenbach.*

(c) *Pulmonarii.* HALLER *Enum.* p. 71—82.

5. *Lichen* pulmonarius, mollior, dichotomus, ſuperne cinereus, inferne albus, receptaculis florum interna parte ferrugineis. MICHELI. HALLER. *Enum.* n. 57. p. 71.
*Lichen arboreus, capillaceus, ramoſus, cinereus.* RVPP. p. 376. forte? in Pruno.

6. *Lichen* cinereus latifolius ramoſus MICHELI. HALLER *Enum.* n. 52. RVPP. cit.
— puluerulentus in ramis quercus putridis.

7. *Lichen* cinereus anguſtior ſcutis in marginibus ſegmentorum *Vaillant.* HALLER *Enum.* n. 53. p. cit. RVPP. cit.
— in Oxyacantha DIOSCORIDIS. *zu Eiſenbach.*

8. *Lichen* pulmonarius rufeſcens durior in amplas lacinias diviſus MICHELI. HALLER *Enum.* n. 54. p. 72. in Pruno ibid.

9. *Lichen* arboreus, ſiue Pulmonaria arborea. J. B. HALLER *Enum.* n. 56. p. 73. RVPP. p. 375. ad quercus circa *Rigsfeld.*

10. *Lichen* pulmonarius, maior, inferne obtuſus, deſuper è cinereo-virescens, receptaculis florum nigricantibus primum circinatis, deinde teretibus. MICHELI. HALLER *Enum.* n. 58. p. 73. ad terram in ſyluis et *Landenhauſerſtein.*

11. *Lichen* pulmonarius cruſtae modo ſaxis adhaerens pullus MICHELI. HALLER *Enum.* n. 68. p. 75. in ramis quercus putridis RVPP. p. 378.

12. *Li-*

12. *Lichen* pulmonarius arboribus adnaſcens, tenuiter diuiſus, inferne nigricans, ſuperne obſcurus et verrucis, perexiguis vndique exaſperatus, receptaculis florum concoloribus MICHELI. HALLER Enum. n. 69. p. 76. RVPP. p. 379. Creſcit cum praecedente.

13. *Lichen* DIOSCORIDIS et PLINII ſecundus colore flaueſcente. HALLER Enum. n. 70. p. 76.

— *cruſtaceus flauus, arborum pariter atque ſaxorum tegularumque.* RVPP. p. 378 in ramis quercus putridis.

14. *Lichen* ſaxatilis flaueſcens DIOSCORIDIS, odore myrrhae. An varietas prioris, an noua ſpecies? ad ſaxa.

15. *Lichen* pulmonarius criſpus, inferne nigerrimus et glaber, ſuperne cinereus, receptaculis florum ſubobſcuris MICHELI. HALLER Enum. p. 77. n. 35. RVPP. p. 372. ad ſaxa *zu Eiſenbach.*

16. *Lichen* pulmonarius foliis eleganter diuiſis, inferne nigerrimis et ſcirrhoſis, ſuperne lacunatis et glauco-cinereis, receptaculis florum fuſco-virentibus MICHELI. HALLER *Enum.* n. 76. p. 77.

An Lichenoides vulgatiſſimum cinereo-glaucum lacunatum et cirrhoſum DILLENII, RVPP? ibid. ad ſaxa.

17. *Lichen* pulmonarius ſaxatilis cinereus tenuius laciniatus, ſeminibus craſſiſſimis cylindricis. HALLER *Enum.* n. 77. p. 77. infrequens ad ſaxa.

18. *Lichen* pulmonarius foliolis tenuiter diuiſus, ſcutellis nigris albo margine cinctis.

An *Lichen pulmonarius vulgatiſſimus, ſuperne albo cinereus, inferne nigricans, ſegmentis anguſtis et eleganter diuiſis, receptaculis florum nigricantibus* MICHELI? HALLER *Enum.* n. 78. p. 77.

— cruſtaceus, cinereus, arborum, ſaxorum et tegularum. RVPP. p. 378. ad ſaxa et arbores circa *Eiſenbach.*

19. *Li-*

19. *Lichen* pulmonarius arboribus adnaſcens, deſuper cinereus, ſubtus anthracinus, ſegmentis teretibus, tubuloſis crebre diuiſis, ad extremitates hiantibus, et veluti criſtatis, receptaculis florum rubris MICHELI. HALLER *Enum.* n. 80. p. 78. ad ſaxa circa *Eiſenbach.*

20. *Lichen* cinereus, arboreus, marginibus fimbriatis VAILLANT. HALLER Enum. n. 85. p. 79. I. R. H.

*Muſcus arboreus, capitulis cauis* C. B. P. RVPP. p. 379. in Horto zu *Eiſenbach.*

21. *Lichen* cinereus minor, marginibus piloſis VAILLANT. HALLER *Enum.* n. 86. p. 79. creſcit ibid. cum praeced.

22. *Lichen* pulmonarius ſaxatilis farinaceus, coloris aurantii, foliis magis adpreſſis, receptaculis florum coccineis MICHELI. HALLER Enum. n. 100. p. 81.

(d) *Cruſtacei, ſcutis floralibus ornati* HALLER Enum. p. 82—85.

23. *Lichen* ſaxo adhaerens, cruſtaceus, verrucoſus, candicans, ſcutellis concoloribus. HALLER. Enum. n. 109. p. 83. RVPP. p. 379. creſcit ibid.

24. *Lichen* cruſtaceus, arboribus adnaſcens, ex cinereo-albicans, receptaculis florum crebris ſubfuſcis, limbo albo crenato cinctis MICHELI. HALLER. Enum. n. 111. p. 83. RVPP. cit. cum praeced.

25. *Lichen* cruſtaceus ſaxatilis, farinaceus, ſubobſcurus, receptaculis florum nigris, minoribus et tumentibus, MICHELI. HALLER *Enum.* n. 114. p. 83. RVPP. ibid. ad ſaxa nigra verſus *Eiſenbach.*

26. *Lichen* cruſtaceus ſaxatilis, luteus, nigris lineis varius, MICHELI. HALLER *Enum.* n. 123. p. 84. creſcit cum praeced.

affine Lichen-Agaricis.

27. Cera-

27. *Ceratoſpermum* nigrum, diſcoides minimum ex cortice Pruni. HALLER *Enum.* p. 768. a. & MICHELI. infrequens *zu Eiſenbach.*

## SECTIO TERTIA.

### *Plantæ*

### *corpuſculis ſtaminum & ſeminum analogis donatæ.*

MUSCI. HALLER *Enum. Helvet.* p. 92. RUPP. Claſſ. XVII. p. 388. ſeq.

I. *Lycopodium* caule repente, foliis patulis, pediculis ſpica gemina terminatis LINNÆI. HALLER *Enum.* n. 1. p. 92.

— — *Officinarum &* TABERNÆMONT. RUPP. p. 385. in pratis aridis *bey Angersbach.* De uſu & incolis ſuperſtitioſo confer. RUPP. p. 386.

II. *Fontinalis major*, foliis triangularibus, complicatis, capitulis foliorum alis ſeſſilibus DILLENII. HALLER *Enum.* n. 1. p. 95. *Muſcus apocarpos, aquaticus, foliis triangularibus complicatis acutiſſimis, in flagellis longis, Potamogetonis cujusdam inſtar fluitantibus* RVPP. p. 387. in rivis *zu Friſchborn.*

III. *Sphagnum* paluſtre candicans, molliſſimum, anguſtifolium. HALLER *Enum.* n. 2. p. 96. *auf der alten Wieſe zu Angersbach*, an *Muſcus ſquamoſus, paluſtris candicans molliſſimus,* TOURNEF. RUPP. 388?

IV. *Polytrichum* vulgare & majus, capſula quadrangulari DILLENII. HALLER *Enum.* n. 1. p. 106.
*Muſcus capillaceus major, pediculo & capitulo craſſioribus* T. RUPP. 394.

2. *Polytrichum* vulgare ſeu femina. Varietas, utrumque *in der Schneiſſe am Schœnberg.*

V. *Bryum* aureum capitulis reflexis pyriformibus, Calyptra quadrangulari, foliis in bulbi formam congeſtis DILLENII. HALLER *Enum.* n. 34. p. 115.

*Muſcus capillaceus folio rotundiore, capſula oblonga incurva.* J. R. H. RUPP. p. 400. creſcit cum Arnica, Sphagno (III) Rorella, copioſe *auf der alten Wieſe* circa *Angersbach.* An amicitia earum?

2. *Bryum* trichoides, capitulis reflexis, pediculis in medietate rubris, ſumma luteo virentibus DILLENII. HALLER *Enum.* n. 38. p. 116.

*Muſcus capillaceus minimus, capitulo nutante, pediculo purpureo.* J. R. H. RUPP. cit. *zu Friſchborn.*

3. *Bryum* trichoides, hirſutie caneſcens, capitulis ſubrotundis reflexis in perbrevibus pediculis DILLENII HALLER *Enum.* n. 40. p. 117. RUPP. ibid. ubique ad ſaxa nigricantia, *gegen Maar, Sickendorf, Eiſenbach.*

4. *Bryum* peranguſtis foliis & cauliculis foliis rarioribus cinctis, capitulis erectis, e ſurculis annotinis egredientibus DILLENII. HALLER *Enum.* n. 16. p. 111. *in der Schneiſſe* cum N° IV.

5. *Bryum* nitidum, Serpylli rotundis foliis HALLER *Enum.* n. 33. p. 115. *Muſcus paluſtris major Serpylli folio* J. R. H. RUPP. p. 399 ad lapidem ſcaturiginis *am Huttenberg.*

6. *Mnium* majus ramulis longioribus bifurcatis DILLENII. HALLER *Enum.* n. 1. p. 119. *bey Lauterbach.*

## *Muſcis adfines Plantæ.*

I. *Marchantia* major capitulo ſtellato, radiis teretibus, capſularum ſeminalium crenis in longiuſculum quaſi pilum deſinentibus MICHELI. HALLER *Enum.* n. 1. p. 127.

*Lichen*

*Lichen petræus latifolius, ſive Hepatica officinarum* C. B. P. 362. RVPP. 405. *In der Schneiſſe am Schœnberg.*

2. *Marchantia* capitulo non diſſecto. HALLER *Enum.* n. 2. p. cit. *Lichen petræus umbellatus* C. B. P. ibid. RVPP. cit. *bey Eiſenbach.*

I. *Lenticula aquatica triſulca.* C. B.

*Lenticularia ramoſa monorrhiza, foliis oblongis, pediculis longioribus donatis* MICHELI. HALLER *Enum.* n. 2. p. 128. an RVPP. 55? ad fontes rivi in monte *Sonnenberg*, prope *Angersbach* M. Junio, & in palude prati *zu Blizenroth.*

## SECTIO QVARTA.
## PLANTAE SEMINIFERAE.

*Floribus & apicibus inconſpicuis.* HALLER *Enum.* p. 130.

*Epiphylloſpermæ.* RUPP. Claſſ. XVII. l. p. 342.

I. *Osmunda* foliis lunatis. HALLER *Enum.* n. 1. p. 130.

*Lunaria* RIVINI RVPP. p. 347. M. Majo *zu Eiſenbach und Eichberg*, infrequens, habitus pinguis, ægre ſicceſcens.

II. *Ophiogloſſum* HALLER *Enum.* n. 1. p. 131. RVPP. ibid. Majo & Junio in pratis aridis cum Hispidula & Osmunda, rara. *bey Maar.* Amicæ plantæ?

III. *Struthiopteris* CORDI. HALLER *Enum.* n. 1. p. 123. V. *Filicaſtrum ſeptentrionale & paluſtre.* AMMAN. *Plant. Ruthen.* p. 343. Junio *am Ochſenkopf* im *Rudloſer Wald.*

IV. *Filix femina* FVCHSII & Officinar.

*Thelypteris* DIOSCORIDIS. RVPP. p. 342.

*Filix pinnis ramorum non pinnatis pinnulis non dentatis.* HALLER *Enum.* n. 1. p. 133. floret Junio *auf dem Landenhauſer Stein.* Odoris expers.

*Nota:* Mons iste est acervus fragmentorum lapidis arenarii prismaticorum, parallelipedorum, inordinate, attamen humana quasi opera, cumulatorum. An diluvii, an terræ motus opûs?

2. *Filix major glabra*, mari accedens.
*Filix non ramosa, petiolis tenuissimis & tenuissime dentatis.* RVPP. p. 343.
*Polypodium ramorum pinnis obtusis ellipticis, crenis imis pinnarum bifidis.* HALLER *Enum.* n. 6. p. 139. Augusto, *am Huttenberg.*

3. *Filix* mollis minor, sive glabra, vulgari mari, non ramosæ, accedens. RVPP. ibid.
an *Polypodium pinnis ramorum integris frequentibus, ordinatim decrescentibus*, HALLER *Enum.* n. 4. p. 139? *auf der Wartenbach* M. Junio.

4. *Filix* mas non ramosa, dentata C. B. RVPP. ibid.
*Polypodium fronde duplicato-pinnata, foliolis obtusis crenatis, petiolo strigoso.* HALLER *Enum.* n. 5. p. 139. Junio *zu Freyensteinau.*

5. *Filix* major, non ramosa, dentata. Varietas præcedentis aut num. I? Olet uti Geranium Robertianum. Habitus succulentus. Crescit cum omnibus Filicum speciebus ibid. cum num. I.

6. *Filix* ramosa minor I. B. III.
*Filix ramosa minor, pinnulis dentatis.* RVPP. ibid.
*Polypodium pinnis ramorum pinnatis, pinnulis confertis, oblongis, integerrimis.* HALLER *Enum.* n. 11. p. 144. Junio *bey der Steinmühle*; inter saxa *am Ochsenkopf.*

7. *Filix* nigris maculis punctata C. B. Varietas præcedentis. HALLER *Enum.* n. 11. II. ibid. RVPP. 344. ad margines sylvarum.

8. *Fi-*

8. *Filicula* ſaxatilis regia Fumariæ pinnulis VAILLANT. *Filicula fontana major, ſive Adianthum album Filicis folio.* RVPP. p. 255.
*Polypodium fronde duplicato-pinnata, pinnis remotis, foliolis ſubrotundis inciſis.* HALLER *Enum.* n. 9. p. 140. Majo *am Hopfenberg*, infrequens.

9. *Filix Rhætica tenuiſſime dentata* I. B. III. RVPP. 344. ſubalpina Helvetis planta.
*Polypodium pinnis ramorum laxe pinnatis, pinnulis acute dentatis.* HALLER *Enum.* n. 10. p. 140. Junio *an der Wartenbach* infrequens.

V. *Trichomanes* ſive Polytrichum officin. C. B. P. 356. RVPP. 346.
*Aſplenium fronde pinnata foliolis ſubrotundis crenatis* LINNÆI. HALLER *Enum.* n. 3. p. 135. Maio ad rivum *bey der Steinmühle* circa ſaxa copioſe.

VI. *Ruta muraria* I. R. H.
*Muraria* RIVINI. RVPP. 347.
*Aſplenium ramis duplicato ramoſis pinnis ſerratis æqualibus & laxe diſpoſitis.* HALLER *Enum.* n. 7. p. 137. Majo ad ſaxa murosque infrequens.

VII. *Polypodium vulgare* C. B. P. RVPP. 346.
*Polypodium pinnatum, pinnis lanceolatis integris* LINNÆI. HALLER *Enum.* n. 1. p. 137. Junio *bey Eiſenbach und Landenhauſer-ſtein.*

VIII. *Equiſetum* aruenſe, longioribus ſetis. C. B. P. 16. RVPP. p. 348.
*Equiſetum caulibus floriferis a foliolis diverſis.* HALLER *Enum.* n. 7. p. 144 *zu Angersbach.*

2. *Equiſetum* paluſtre minus polyſtachion C. B. P. RVPP. p. 349.
*Equiſetum multiflorum, caule tetragono, verticillis rarioribus*

*bus.* HALLER *Enum.* 3. p. 143. *im Reichloser-Wald im Grund nach Frischborn.*

3. *Equisetum* palustre polystachion minus cum capitulo absque setis. An Varietas vetustior prioris? HALLER *Enum.* V.

4. *Equisetum* palustre majus cum capitulis absque setis maturius; an *Equisetum caule simplicissimo vaginis profunde sectis.* HALLER *Enum.* n. 1. p. 143?
an *Equisetum foliis nudum, non ramosum, sive junceum* RUPP. ibid.? *bey Angersbach auf der Hermansvviese.*

5. *Equisetum palustre majus.*
an *Equisetum sulcis in caule plurimis verticillis densissimis* HALLER *Enum.* n. 4. p. 143? *bey Heblos.*

6. *Equisetum* palustre longioribus setis. C. B. P. 15. RVPP. 348. *Equisetum caule non sulcato, latissimo, verticillis densissimis.* HALLER *Enum.* n. 6. p. 144. Augusto *zu Reichloos* ad stagna, *gesuncknen Wiese*, paludes.

7. *Equisetum* sylvestre tenuissimum densissimis setis I. R. H. RVPP. ibid.
*Equisetum verticillis ad folia numerosis* HALLER *Enum.* n. 5. p. ibid. Junio circa *Eisenbach*, ad stagnum.

*Nota:* Plantarum harum genera ILLVSTR. HALLERI servato proposui ordine; sequentia vero Alphabetice disponam, ut Indicis vice fungatur ordo. Adfinitatem exposuere systematici. Liceat & mihi hunc selegisse ordinem, donec lex sancita prodeat, cui se omnes Botanici adstrinxerint, quorum systemata hucusque ingenii potius, quam naturæ fœtus videntur.

CLAS-

# CLASSIS SECVNDA.
# PLANTAE APETALAE.

*Seminiferæ & Staminiferæ* HALLER *Enum. Helvet.* p. 145. *Flore imperfecto conglomerato* RVPP. Claſſ. XVI. p. 326. ſeqq.

## SECTIO PRIMA.
### *Coniferæ.*

I. *Abies* rubra TRAGI.

*Abies tenuiore folio, fructu deorſum inflexo* I. R. H. RVPP. 335.

*Abies foliis apice acuminatis* LINNÆI. HALLER *Enum.* n. 1. p. 147. ſata fuit *bey Maar* a termite læditur, quem alit.

II. *Juniperus* vulgaris fruticoſa C. B. P. RVPP. p. 336.

*Juniperus* foliis ſeſſilibus patentibus ROYEN. HALLER *Enum.* n. 1. p. 146. Varietas humilior dumoſa α (arboream β non vidi) *bey Landenhauſen*.

III. *Pinus* ſylveſtris vulgaris RUPP. 335.

*Pinus foliis geminis, cono pendulo, nucleis ſtrigoſis.* HALLER *Enum.* n. 1. 149. *auf der Wartenbach und zu Wernges.*

## SECTIO SECVNDA.
### *Juliferæ.*

I. *Alnus* rotundifolia, glutinoſa viridis C. B. P. HALLER *Enum.* n. 1. p. 157. RVPP. 329. *am Waſſer nach Angersbach.*

II. *Betula* foliis acuminatis ſerratis LINNÆI. HALLER *Enum.* n. 1. p. 158. *Betula* DODON. Pempt. RVPP. 330.

*Betula*

*Betula foliis cordatis ſerratis* LINNÆI *Flor. Lappon.* p. 345.
*Betula mas.* BVRGHARDT *iter Sabothicum* p. 126. Plura ſynonyma vide in LINNÆI *Amœnit. Academ.* ſub titulo *Betula Nana.* p. 3.

2. *Betula* foliis orbiculatis crenatis LINNÆI. *Flor. Lappon.* 266. Tab. VI. fig. 4. HALLER *Enum.* n. 2. ibid.
*Betula pyri folio.*
*Betula folio rotundiore ſerrato.*
Plura ſynonyma vid. in LINNÆI *Amœnit. Academ.* p. 4. Vtraque im *Angersbacher Forſt* copioſe. Livoni è ſucco fermentato ſpiritum potabilem ſtillant. Haſce duas ſpecies jam diſtinxeram antequam ILLVSTR. HALLERI LINNÆIque Opera pervoluiſſem.
*Obſervat.* Folia juniorum majora, quam adultorum fruticum.

III. *Carpinus* RVELLII. RVPP. 329. HALLER *Enum.* n. 1. p. 158. copioſe *im Wald* verſus *Schliz* (Siliciam).

IV. *Corylus* ſylveſtr. ſeu vulgar. RVPP. cit.
*Corylus ſtipulis ovatis obtuſis* LINNÆI. HALLER *Enum.* n. 1. p. 159. vbique ad ſepes.
* *Nux juglans* I. B. 1. 241. RVPP. cit. im *Burg-Garten*, infrequens. An indigena?

V. *Fagus* RVELLII. RVPP. 328. HALLER *Enum.* n. 1. p. 160. pleræque ſylvæ ſpontaneæ ex eo, quercubusque conſtant.

VI. *Populus* tremula C. B. RVPP. p. 334.
*Populus foliis ſubrotundis, dentato-angulatis, utrinque lævibus* LINNÆI. HALLER *Enum.* n. 2. p. 156. *zwiſchen Eiſenbach und Friſchborn*, infrequens.

VII. *Quercus latifolia*, mas, quæ brevi pediculo eſt C. B. P. RVPP. p. 328. *Quercus foliis annuis, oblongis, ſuperne latioribus,*

*ſinubus*

*ſinubus acutioribus*, *angulis obtuſis* LINNÆI. HALLER *Enum.* n. 1. p. 159.

VIII. *Salix* amygdalino folio, utrinque uirente I. B. RVPP. 331.
*Salix foliis ellipticis lanceolatis*, *utrinque glabris & rigentibus non auriculatis* HALLER *Enum.* n. 4. p. 152. ad rivum verſus *Angersbach.*

2. *Salix* anguſtis & longiſſimis foliis criſpis, ſubtus albicantibus I. B. HALLER *Enum.* n. 22. p. 155. ibid. cum præced.

3. *Salix* folio ex rotunditate acuminato RVPP. 333.
*Salix folio rugoſo obiter ſerrato*, *ſubtus lanuginoſo*, *julo craſſiſſimo* HALLER *Enum.* n. 17. p. 155. creſcit ibid.

4. *Salix* caprea rotundifolia TABERNÆMONTANI.
*Salix latifolia*, *rotunda* C. B. P. RVPP. 332. ILLVSTR. de HALLER hanc ſpeciem ad priorem refert p. 155. RVPPIVS p. 333. ſeparat. Creſcit ibid. cum prioribus.

# Sectio Tertia.

## *Non Juliferæ.*

Petalis obſcuriſſimis, fructu vario. HALLER *Enum.* p. 161. Iſoſtemones plerumque?

I. *Cerui Spina* RIVINI & CORDI. RVPP. 94.
*Rhamnus catharcticus* C. B. P.
*Rhamnus ſpinoſus*, *foliis ovatis*, *acuminatis*, *ſerratis*. HALLER *Enum.* n. 1. p. 163. ad viam *nach Dirlamen*, ad ſepes der *Spittal- Wieſe*, infrequens.

II. *Frangula* DODON. I. R. H. RVPP. p. 44.
*Frangula ora folii integra.* HALLER *Enum.* 1. p. 164. *in der Münz am Hopfenberg.*

III. *Hedera* arborea C. B. RVPP. 158.
*Hedera foliis lobatis & ovatis* HALLER *Enum.* n. 1. β.

p. 65. *zu Eisenbach* ad muros. Folia aceto macerata fonticulis inflammatis imponunt incolæ.

IV. *Viscum* baccis albis C. B. P. RVPP. 42.

— — HALLER *Enum.* n. 1. p. 162.

— — Corylinum, rarum.

— — Pyrinum, frequentius ad urbem.

— — Tiliaceum, rarum. Varietates ex relatione ZEHNERI.

## SECTIO QVARTA.

*Isostemones monosperma.* HALLER *Enum.* p. 167.

I. *Bistorta* foliis imis appendiculatis, semine triquetro HALLER *Enum.* n. 1. p. 178.

*Bistorta major radice magis intorta* C. B. RVPP. p. 98. copiose in pratis circa *Blizenroth.* Aqua stillatitia fatua.

II. *Chenopodium* Betæ folio RVPP. 339.

*Chenopodium foliis integris, obtuse acuminatis, racemis per caulem nudis, ramosis* HALLER *Enum.* n. 7. p. 176. M. Augusto ad agrorum margines.

2. *Chenopodium* folio sinuato candicante I. R. H. RVPP. 338.

*Chenopodium foliis inferioribus ovatis, acutis, summis lineari-lanceolatis* LINNÆI. HALLER *Enum.* n. 5. p. 175. M. Julio inter olera, ad sepes circa *Angersbach.*

3. *Chenopodium* foliis sinuatis candicantibus minoribus. Varietas prioris, forte β HALLER l. c.? Augusto ad mœnia murosque, habitus lignosus.

4. *Chenopodium* folio subrotundo. Forte varietas II.? ad margines agrorum.

5. *Chenopodium folio triangulo* RVPP. 338.

*Chenopodium foliis triangularibus sagittatis, margine integerrimis* LINNÆI. HALLER *Enum.* n. 1. p. 174. In suburbio ad sepes.

6. *Che-*

6. *Chenopodium.* Pes anſerinus II. TABERNÆMONTANI. RVPP. 337.
*Chenopodium Stramonei folio* VAILLANTII.
*Chenopodium folio leui, paucis et ampliſſimis dentibus inciſo, ramis floriferis laxis & ramoſis* HALLER *Enum.* n. 2. p. 174. ad agrorum margines.

III. *Fagopyrum ſcandens vulgare* RVPP. 99.
*Fagopyrum ſcandens ſemine calyce incluſo* HALLER *Enum.* n. 2. p. 173. Auguſto ad ſaxa ſemitae *am Hopfenberg*.

IV. *Fraxinus excelſior* RVPP. 334.
*Fraxinus apetala* HALLER *Enum.* n. 1. p. 167. rara circa *Eiſenbach.* Vis decantata ligni vulneraria vana.

V. *Herniaria glabra* I. B. RVPP. 340.
*Herniaria calycibus bractea nudis* LINNÆI. HALLER *Enum.* n. 1. p. 182. am *Rothen Rain.* M. Auguſto, & urbe infrequens.
An ſemen ejus repetitis vicibus ante paroxysmum, ad drachmæ pondus oblatum, febrim fuget, periculum faciendum?

VI. *Lapathum* acetoſum ſexu diſtinctum, foliorum ſagittatorum hamis longis & divergentibus HALLER *Enum.* n. 1. p. 168.
*Acetoſa arvenſis lanceolata* RVPP. 58. *am Eichberg* copioſe.

2. *Acetoſa minima lanceolata.* Varietas.
*Acetoſa minima tota rubra* MENZELII. HALLER l. c. Majo ad viam verſus *die Schlagmühle.*

3. *Lapathum* acetoſum ſexu diſtinctum, foliorum ſagittatorum hamis brevibus HALLER *Enum.* n. 2. p. 168. ibid.
*Acetoſa pratenſis latifolia, imis foliis lanceolatis* C. B. I. R. H.

4. *Lapathum* folio minus acuto RVPP. 58.
*Lapathum involucro ſeminis dentato, foliis obtuſis, ora criſpula* HALLER *Enum.* n. 13. p. 172. Creſcit ad altitudi-

 nem

nem 8. pedum in ſylva umbroſa ad arcem dirutam *Nax-burg.* Julio.

5. *Lapathum* involucris ſeminis planis, foliis criſpis HALLER ex ſchedis.

*Lapathum ſylveſtre folio ſubrotundo, ſeminis involucro recto, ſeu plano* MORISONII. HALLER *Enum.* n. 7. p. 171. *an der Steger.*

6. *Lapathum* aquaticum folio cubitali RVPP. 57. HALLER *Enum.* n. 9. p. ibid.

*An Lapathum aquaticum ſeminis valvis levibus?* HALLER ex ſchedis.

*Lapathum maximum aquaticum* RVPP. cit. Copioſe floret Junio ad rivum *in der Steger.* Aqua ſtillatitia fatua.

VII. *Perchepier* HALLER *Enum.* n. 1. p. 184.

*Alchymilla montana minima* RVPP. p. 64. copioſe in ſuburbio.

VIII. *Perſicaria* mitis maculoſa RVPP. 97.

*Perſicaria foliis non ſerratis, pene glabris, vaginis florum ciliaribus ſpicis denſioribus* HALLER *Enum.* n. 2. *a.* p. 180. Septembre ad rivum verſus *die Schlagmühle* copioſe. Vulgus amuletum ex hac planta contra odontalgiam parat.

2. *Perſicaria* mitis maculis ferrum equinum referentibus RVPP. cit. Varietas β HALLER cit. Auguſto in udoſis copioſe. Aqua ſtillatitia fatua.

IX. *Polygonum* vulgare, oblongo anguſtoque folio C. B. RVPP. 96.

*Polygonum* LINNÆI. HALLER *Enum.* n. 1. p. 182. flores longo pediculo ex alis foliorum; *bey Angersbach.*

2. *Polygonum* brevi anguſtoque folio RVPP. cit. Varietas prioris HALLER l. c. ad vias publicas copioſe *im Eiſenbacher Wald.* Julio. Folia dimidiæ longitudinis prioris, habitus lignoſus, repens.

X. *Pl-*

X. *Vlmus* campeſtris C. B. RVPP. 338.
*Vlmus fructu membranaceo* LINNÆI. HALLER *Enum.* n. 1. p. 167. *Stockhauſen* & *Rudloos* infrequens.

XI. *Vrtica* urens maxima C. B. RVPP. 327.
*Vrtica foliis oblongo cordatis* LINNÆI. HALLER *Enum.* n. 1. p. 177. Majo *zu Hopmansfeld.*

2. *Vrtica* urens minor C. B. P. RVPP. ibid.
*Vrtica foliis ovatis, amentis cylindraceis, androgyna* LINNÆI. HALLER *Enum.* n. 2. p. 178. Auguſto floret ad mœnia. Aqua ſtillatitia fatua.

# Sectio Qvinta.

## *Plantæ, quibus pauciora ſtamina, quam ſegmenta floris.*

1. *Alchymilla* vulgaris C. B. P. 319. RVPP. 64.
*Alchymilla folio integro ſtellato polygonio* HALLER *Enum.* n. 1. p. 184. Auguſto *am Eichberg*; ad vias publicas copioſe.

# Sectio Sexta.

## *Plantæ quibus ſtamina duplo plura, quam ſegmenta floris.*

Diploſtemones. HALLER *Enum.* 186.

I. *Chryſoſplenium* foliis amplioribus I. R. H. RVPP. 73.
*Chryſoſplenium foliis alternis* HALLER *Enum.* n. 1. p. 189. Maio floret ad ſaxa rivuli, quibus itur ad *Eiſenbach*, infrequens.

II. *Knavvel* RIVINI. RVPP. p. 3.
*Knavvel annuum majus flore minori.* HALLER *Enum.* n. 1. p. 186. in agris.

III. *Laureola* folio deciduo RVPP. 40.

1. *Thymelaea floribus spicatis sub foliis ellipticis modice acuminatis, levibus, mollibusque* HALLER *Enum.* n. 3. p. 188. *in der Schneisse am Schoen.* Februario *zwischen Eisenbach und Frischborn.* Cortex ejusdem cum nucleo acredinis.

2. *Thymelaea* Lauri folio non deciduo. I. R. H.
*Thymelaea floribus inter folia acuminata laevia duraque* HALLER *Enum.* n. 4. ibid. Folia superne virentia, inferne incana laevia, in apice caulis in umbellam disposita, fructus niger. *Im Rudloser Wald, in der gesuncknen Wiese* frequens.

## Sectio Septima.

### *Plantae, quibus ter & quater plura stamina quam segmenta floris sunt.*

I. *Asarum* DIOSCORIDIS RVPP. 62. HALLER *Enum.* n. 1. p. 195. Julio *am Eichbergs-Gipfel* & circa urbem copiose in incultis.

II. *Mercurialis* montana perennis RVPP. 327.
*Mercurialis caule simplicissimo foliis scabris* LINNÆI. HALLER *Enum.* n. 2. p. 195. *am Hopfenberg*, Junio.

2. *Mercurialis* spicata sive femina RVPP. ibid.
*Mercurialis caule brachiato foliis glabris* LINNÆI. HALLER *Enum.* n. 1. p. 194. Julio, *Naxburg*, *Landenhauser-Stein*, *Blauekappe.* Junior letalis ovibus; adultiori antidotum Theriaca.

III. *Potamogeton* foliis crispis, seu lactuca ranarum C. B. P. 193. RVPP. 63.
*Potamogeton foliorum oris plicatis & molliter spinosis* HALLER *Enum.* n. 5. p. 200. im *Stockhauser Teich* copiose.

2. *Potamogeton* rotundifolium RVPP. 64.

Pota-

*Potamogeton foliis oblongo ovalibus petiolatis* LINNÆI. HALLER *Enum.* n. 1. p. 199. ibid.

IV. *Tithymalus cypariſſias*, foliis punctis croceis notatis C. B.
*Eſula punctis croceis notata* C. B. RVPP. 269.
*Tithymalus foliis ad caulem linearibus obtuſis, radiis umbellæ plurimis petalis lunatis* HALLER *Enum.* n. 11. p. 193. β. floret Majo *zu Eiſenbach*, infrequens.

2. *Tithymalus helioſcopius* C. B. P. 291.
*Eſula ſoliſequa* RVPP. 272.
*Tithymalus non acris, foliis ſerratis, rotunde terminatis, radiis umbellæ quinis, latiſſimis* HALLER *Enum.* n. 14. p. 194. circa urbem copioſe.

3. *Tithymalus* leptophyllos CAMERARII.
*Eſula tenuifolia ſeu exigua Tragi* RVPP. cit.
*Tithymalus foliis ad caulem linearibus, obtuſis, ſub floribus lanceolatis, petalis argute bicornibus* HALLER *Enum.* n. 12. p. 193. floret Auguſto, infrequens ad margines agrorum.

4. *Tithymalus* rotundifolius non crenatus I. R. H.
*Eſula rotundifolia non crenata* RVPP. ibid.
*Tithymalus foliis ad caulem ovatis, ſub floribus binis cordatis, obtuſiſſimis, umbellæ radiis paucis vagisque* HALLER *Enum.* n. 13. ibid. ad ſepes, *bey Maar*, infrequens.

## SECTIO OCTAVA.
## GRAMINA.

HALLER *Enum. Helvet.* p. 203.
RVPP. Claſſ. XV. I. p. 304.

### (A.) SPICATA.

I. *Gramen* anthoxanton, ſpicatum I. B. RVPP. 327.

*Gramen*

*Gramen pratense, spica flavescente* C.B.P. 3. HALLER *Enum.* n. 1. p. 230. ubique in pratis.

2. *Gramen* avenaceum elatius, juba longe splendente RAII. HALLER *Enum.* n. 11. p. 225.
*An gramen avenaceum pratense glumis xerampelinis crassioribus & splendentibus praecocius* RVPP. p. 318? *am Hopfenberg* inter saxa.

3. *Gramen* (avenaceum) spica cristata subhirsutum C. B. HALLER *Enum.* n. 26. p. 127. in pratis *bey Steckhausen.*
*Gramen pratense cristatum, seu spica cristata levi* C. B. HALLER *Enum.* n. 1. p. 232.

## (B.) PANICVLATA.

1. *Gramen* avenaceum, panicula sparsa, locustis majoribus & aristatis I. R. H. HALLER *Enum.* n. 5. p. 228. RVPP. 315. in *der Steger.*

2. *Gramen* paniculatum, autumnale, panicula angustiore, ex viridi nigricante I. R. H. RVPP. 310.
*Gramen arundinaceum, enode, minus sylvaticum* C. B. HALLER *Enum.* n. 21. β. p. 216. ad vias publicas, *Blaue Kappe.*

3. *Gramen* capillatum I. B. II. 264.
*Gramen segetum altissima panicula sparsa* SCHEVCHZERI. HALLER *Enum.* n. 2. p. 229. in pratis frequens. Incolis *Acker-Strausgras.*

4. *Gramen* pratense paniculatum elatius, panicula laxa heteromalla SCEVCHZERI. HALLER *Enum.* n. 2. p. 210. *auf der Gesuncknen Wiese.*

5. *Gramen* paniculatum spicis crassioribus & breuioribus I. R. H. RVPP. 309.
*Gramen asperum* I. B.

*Gramen*

*Gramen ſpicatum folio aſpero.* HALLER *Enum.* n. 2. p. 231. im *Wald nach Hopmansfeld.*

6. *Gramen* pratenſe paniculatum molle. C. B. P. 2. RVPP. 312. HALLER *Enum.* n. 8. p. 225. I. R. H. Incolis *Schilmen* inter ſegetes copioſe depaſcit frumenta.

7. *Gramen* pratenſe, folio molliore, *an dem Bach zu Rümlos;* an varietas num. 5? infrequens.

8. *Gramen* ſylvaticum, panicula miliacea ſparſa. C. B. P. 8. RVPP. 313. HALLER *Enum.* n. 1. p. 219. *zu Hopmansfeld*, infrequens.

9. *Gramen* paniculatum, minus, locuſtis parvis, tremulis. I. R. H. RVPP. 315.

*Gramen tremulum minus panicula parva* C. B. HALLER *Enum.* n. 5. β. p. 213. *Blaue-Kappe* cum 2. Incolis *Fliederen.*

## (C.) TYPHOIDÆA.

1. *Gramen* typhoides, aſperum, alterum C. B. HALLER *Enum.* n. 3. p. 231. in aridis *gegen dem Huttenberg.*

2. *Gramen* ſpicatum, ſpica cylindracea molli & denſa. I. R. H. RVPP. 309.

*Gramen typhoides molle* C. B. HALLER *Enum.* n. 7. p. 229. in pratis copioſe.

3. *Gramen* ſpicatum, ſpica cylindracea longiſſima. I. R. H. RVPP. 308.

*Gramen typhoides maximum, ſpica longiſſima.* HALLER *Enum.* n. 5. p. 232. in pratis.

## (D.) GRAMINIBVS ADFINES.

HALLER 234. RVPP. 318.

### (a) CYPEROIDES.

1. *Carex* spicis obesis, subrotundis, in summo caule se alterne contingentibus. HALLER *Enum.* n. 7. p. 244.
An *Carex polystachos* RVPP. 324? in pratis frequens.

2. *Cyperoides* nigro-luteum vernum majus. HALLER. *Enum.* n. 30. p. 240. infrequens. RVPP. 320. I. R. H.

3. *Cyperoides nigro-luteum vernum minus* I. R. H. RVPP. cit. HALLER *Enum.* n. 31. p. cit. ubique.

4. *Cyperoides* spica pendula longiore & angustiore I. R. H. RVPP. 322.
*Cyperoides latifolium, spicis seminalibus semimasculis, ex longis petiolis pendulis.* HALLER *Enum.* n. 26. p. 239. in pratis *zu Eisenbach.*

5. *Cyperoides* latifolium, spica ruffa, seu caule triangulo. I. R. H. RVPP. 320.
*Cyperoides foliis latis & asperis spicis plurimis fere sessilibus duabus androgynis.* HALLER *Enum.* n. 29. p. 239. in paludosis.

6. *Cyperoides* spica ruffa, capsulis tumidioribus.
An *Cyperoides spicis nigris nutantibus* RVPP. 321?
*Cyperoides spicis femininis pendulis turgidis & obtusis, atrorubentibus* HALLER *Enum.* n. 33. p. 240.

7. *Cyperus* minimus, panicula sparsa, flavescente. I. R. H. RVPP. 319. HALLER *Enum.* n. 1. p. 246. ad rivum versus *Eisenbach.*

8. *Cyperus* minimus, panicula sparsa nigricante I. R. H. RVPP. cit. HALLER *Enum.* n. 2. p. 247.

9. *Cyperoides* vesicarium majus DILLENII.
*Cyperoides spicis maribus gracillimis, femininis rectis, capsulis ventricosis, collo longo & bifido.* HALLER *Enum.* n. 38. p. 281. infrequens *zu Eisenbach.*

(b) JVNCI. HALLER p. 252.

1. *Acorum legitimum.* RVPP. 325.
*Acorus* HALLER *Enum.* n. 1. p. 259. in ſtagno *bey der Papiermühle und Scharfrichters Teich*, juncoidi proximus MICHELI.

2. *Juncus* foliis articuloſis, floribus umbellatis I. R. H. RVPP. 145. Claſſ. VI.
*Juncus foliis articuloſis ramoſa panicula ramis ſemel ramoſis.* HALLER *Enum.* n. 11. p. 255. *bey dem Steg zwiſchen Rigsfeld und Altenschlirf*, infrequens.

3. *Juncus* foliis planis, latioribus, panicula umbellata, floribus minimis HALLER *Enum.* n. 20. p. 258.
*Cyperella altiſſima montana* RVPP. 144. *in der Schneiſſe auf dem Schœnberg.*

4. *Juncus* foliis planis, panicula ſparſa ramoſa HALLER *Enum.* n. 15. p. 256.
*Cyperella nemorenſis, capitulis in ſingulis petiolis latifolia* RVPP. ibid. creſcit ibid.

5. *Juncus* levis panicula ſparſa major C. B. P. RVPP. 145.
*Juncus culmo aphyllo, durior, panicula magis ſparſa.* HALLER *Enum.* n. 1. p. 252. *in der Hard bey Stockhauſen*, ad corbes naſſasque utilis HALLER l. c. p. 253.

6. *Juncus* levis panicula non ſparſa C. B. P. 12. RVPP. ibid.
*Juncus caule aphyllo mollior, panicula compactiori* HALLER *Enum.* n. 2. ibid. in pratis udoſis *bey der Wartenbach*, ad lucernas utilis HALLER l. c.

7. *Juncus* paluſtris humilior, panicula laxiſſima RVPP. 145.
*Gramen junceum bufonium Tab.* 225.
*Juncus foliis angulatis, culmo trichotomo, floribus ſolitariis ſeſſilibus* ROYEN. HALLER *Enum.* n. 8. p. 254. in udoſis.

8. *Juncus* villosus capitulis Psyllii I. R. H.
*Cyperella capitulis Psyllii.* RVPP. 143.
*Juncus foliis planis, pilosis, panicula in spicas congesta.* HALLER *Enum.* n. 14. p. 256. in pratis udosis circa *Eisenbach.*

9. *Linagrostis*, spica multiplici RVPP. 325.
*Linagrostis foliis planis, spicis multiplicibus.* HALLER *Enum.* n. 1. pag. 250. copiose in udosis circa *Stockhausen*; signum soli sterilis, Germ. *Riedfeder.*

10. *Scirpus* planifolius, caule triquetro, panicula foliis insidente. HALLER *Enum.* n. 1. p. 247. ad fossas irriguas *bey Rudloos.*

11. *Scirpus* palustris altissimus I. R. H.
*Scirpus teres, panicula sub apice culmi ramosa.* HALLER *Enum.* n. 2. ibid. *bey der Leim-Grube zu Angersbach.*

12. *Scirpus* Equiseti capitulo majori I. R. H. RVPP. 319.
*Scirpus caule aphyllo, spica imbricata terete.* HALLER *Enum.* n. 5. p. 248. in pratis circa *Maar.*

(c) *Graminibus adfine.*

13. *Sparganium* ramosum RVPP. 325.
*Sparganium culmo erecto, foliis triquetris.* HALLER *Enum.* n. 1. p. 259. in rivis *zu Rumloos.*

NB. Penuriam forte miratus sciat B. L. collectionem plantarum tribus periodis: prima, arbores, frutices, herbasque; secunda, gramina; tertia, muscos, fungos, lichenes adfinesque, absolvendam mihi proposuisse; sed prima nondum absoluta avocatus hanc deserui regionem; cursorie lectas heic tantum recensui plantas. Reliquarum successori Botanophilo spicilegium relicturus largum.

CLAS-

# CLASSIS TERTIA.

Methodo Riviniano - Ruppiana.

## PLANTÆ

*Flore regulari monopetalo.* RVPP. Claff. I. p. I.

## *Petalodeæ.*

Seminiferæ Staminiferæ HALLER *Enum. Helvet.* 422.

## *Isostemones.*

### I. *Seminibus nudis gemellis* RVPP. 3.

I. *Aparine* vulgaris. C. B. P. p. 334. RVPP. p. 5.

*Galium caulis angulis foliique ora & nervo serratis.* HALLER *Enum.* n. 3. p. 459. Julio ad sepes.

II. *Asperula* sylvatica RVPP. 6.

*Rubeola foliis octonis, seminibus hispidis ex summo caule paniculata.* HALLER *Enum.* n. 1. p. 457. floret Junio, Julio, Augusto *bey Eisenbach am Ochsenkopf, Rudloos.*

III. *Cruciata* hirsuta. RVPP. 5. C. B.

*Galium foliis quaternis, flosculis in alis confertis* LINNÆI. HALLER *Enum.* n. 10. p. 462.

IV. *Galium* album latifolium pratense. RVPP. p. 4.

*Galium caule quadrangulo, foliis octonis, glabris, acuminatis* HALLER *Enum.* n. 7. p. 461. Incolis *Weis Gelenck-Kraut;* exsiccata calide tumoribus frigidis imposita incolis, discutit eos. Frequens.

2. *Galium* luteum C. B. RVPP. p. 3.

*Galium foliis octonis, gracilissimis, confertissimis, spica flava, caulem terminante.* HALLER *Enum.* n. 9. p. 461. in udosis.

3. *Galium* album, latifolium, sylvaticum. RVPP. 4.

*Galium caule tereti, fulcrato, foliis octonis, glaucis & obtusis.* HALLER *Enum.* n. 8. p. ibid. Julio floret *in der Steger.*

II. *Seminibus nudis quaternis.* RVPP. 8. (III.)

I. *Buglossum* angustifolium C. B. RVPP. 12.

*Buglossum floribus longe spicatis.* HALLER *Enum.* n. 1. p. 523. *Naxburg.* Aqua stillatitia fatua.

II. *Consolida* RIVINI. RVPP. 8.

*Consolida flore albo* RVELLII.

*Symphytum foliis ovato-lanceolatis, caule alato.* HALLER *Enum.* n. 1. p. 514. ad sepes *gegen der Mühle zwischen Lauterbach und Angersbach.*

III. *Cynoglossum majus vulgare.* C. B. RVPP. 12.

*Cynoglossum foliis amplexicaulibus, lingulatis, mollibus, hirsutis.* HALLER *Enum.* n. 2. p. 52. floret Junio ad vias sepesque circa *Eisenbach.*

IV. *Echioides* flore albo RIVINI. RVPP. 218.

*Lithospermum seminibus rugosis, corollis vix calycem superantibus.* HALLER *Enum.* n. 3. p. 518. Majo *zu Eisenbach auf der Mauer des Thores zu Burgfriedberg in Wetteravia:* infrequens.

1. *Echioides* flore coeruleo RIVINI. RVPP. ibid.

*Lycopsis foliis lingulatis, sinuatis, coeruleo flore.* HALLER *Enum.* n. 1. p. 523. floret Julio ad sepes *gegen dem Steinbruch. Naxburg.*

V. *Myosotis* aruensis subhirsuta flore majore. I. R. H.

*Alsine hirsuta, magno flore, vasculo corniculato.* RVPP. III. class. XV.

*Myosotis foliis oblongis, obtusis, flore calycem excedente.* HALLER *Enum.* n. 3. p. 384. floret Junio *am Billstein*, bey *Frischborn*, am *Eichberg*, copiose.

2. *Myo-*

2. *Myosotis* minor aruensis. RVPP. p. 10.
*Scorpiurus annuus flore parvo.* HALLER *Enum.* n. 1. 519.
Junio in agris.

3. *Myosotis* palustris minima flore albo. Varietas β. HALLER l. c. *bey Frischborn im Grund.*

4. *Myosotis* palustris major perennis. RVPP. 10.
*Scorpiurus perennis* floribus majoribus. HALLER *Enum.* n. 2. p. 520. crescit ibid.

*III. Seminibus nudis plurimis.* RVPP. 13. (IV.)

I. *Alcea* folio rotundo, laciniato. C. B. P. RVPP. 16.
*Malua caule erecto, foliis imis subrotundis, superioribus tenuiter divisis.* HALLER *Enum.* n. 4. p. 363. floret Septembri *zu Altenschlirf, zwischen Eisenbach und Frischborn*, inter saxa.

2. *Alcea* hirsuta C. B. P.
*Althaea foliis trifidis.* HALLER *Enum.* n. 1. p. 364. Floret Julio *in der Naxburg.* Lanugo longa, incolis *Flug-Kraut.* Aqua stillatitia fatua.

II. *Malua sylvestris* folio rotundo. C. B. RVPP. 13. flore albo.
*Malua caule repente, foliis cordato-orbicularibus obsolete quinquelobis* LINNÆI. HALLER *Enum.* n. 2. p. 363. β. floret copiose Julio ad muros viasque publicas.

2. *Malua sylvestris* folio sinuato C. B. RVPP. ibid.
*Malua caule erecto foliis fere palmatis, obsolete serratis.* HALLER *Enum.* n. 1. p. 362. *im Reichloser-Wald.* Aqua stillatitia fatua officin.

*IV. Seminibus tectis, Capsula*

1. *Simplici.* RVPP. 16. V.

I. *Anagallis* flore phœniceo. C. B. P. 252. RVPP. 19. HALLER *Enum.* n. 1. p. 481. floret Junio in agris *bey der Münz.*

II, *Cen-*

II. *Centaureum* flore phœniceo. RVPP. 22.
*Centaureum minus* C. B. P. p. 278.
*Gentiana foliis trinerviis, ovatis, floribus umbellatis, tubo strictissimo.* HALLER *Enum.* n. 4. p. 475. floret Augusto, Septembri in pratis siccis infrequens; variat solum quovis anno.

III. *Gentianella* cœrulea oris pilosis. C. B. P. RVPP. 21. Aqua stillatitia fatua.
*Gentiana pratensis flore lanuginoso* HALLER ex schedis.
*Gentiana foliis amplexicaulibus floris fauce barbata.* HALLER *Enum.* n. 1. p. 473. floret Julio *bey dem Steinbruch zu Freyensteinau.*

IV. *Menyanthes* TOVRNEFORTII & RIVINI. RVPP. 22. Aqua stillatitia fatua.
*Trifolium fibrinum* TABERNAEMONTANI & Officin.
*Menoanthes foliis ternatis* LINNÆI. HALLER *Enum.* n. 1. p. 487. Junio *bey Blizenroth und Rumlos* copiose.

V. *Nummularia erecta* RIVINI. RVPP. 18.
*Lysimachia lutea major qua* DIOSCORIDIS. C. B. P. 245.
*Lysimachia foliis ovato-lanceolatis, floribus ad summos ramos spicatis.* HALLER *Enum.* n. 1. p. 480. floret Julio *zu Altenschlirf, Eisenbach,* frequens.

2. *Nummularia* supina sive officin. RVPP. ibid.
*Lysimachia, foliis subrotundis, solitariis, caule procumbente* LINNÆI. HALLER *Enum.* n. 2. p. 481. Majo in saxosis, Junio *zu Eisenbach* floret.

VI. *Primula veris* major, floribus luteis, odoratis DODONÆI. RVPP. 17.
*Primula foliis rugosis, hirsutis, spica inclinata, flore flavo majori odoro.* HALLER *Enum.* n. 3. p. 483. floret Majo in pratis.

2. *Pri-*

2. *Primula* sylvatica flore pallido & inodoro. RVPP. ibid.
*Primula foliis rugosis, hirsutis, spica inclinata, flore pallido majori inodoro* HALLER *Enum.* n. 2. p. ibid. Majo *bey Blizenroth.*

(2) *Capsula bipartita.* RVPP. p. 24.

I. *Cuscuta* minor RVPP. 27. C. B. P.
*Cuscuta aphyllos minor* HALLER *Enum.* n. 1. β p. 469. legi Junio ad viam versus stagnum *zu Eisenbach.* Vrticas obrepit.

(3) *Capsula tripartita.* RVPP. 27.

I. *Campanula* minor rotundifolia. RVPP. 31. not. (a)
*Campanula cærulea* GESNERI.
*Campanula foliis radicalibus serratis cordatis, caulinis linearibus integris.* HALLER *Enum.* n. 4. p. 495. *in der Münz*; floret Junio *zwischen Altenschlirf und Stockhausen.*

2. *Campanula* Echii folio. C. B. P. RVPP. 29.
*Campanula foliis amplexicaulibus asperis, floribus fasciculatis exiguis.* HALLER *Enum.* n. 5. p. 492. Junio in *der Steger* copiose ad altitudinem 8. 9. 10. pedum.

3. *Campanula* hortensis rapunculi radice. C. B. P. p. 94. RVPP. 30.
*Campanula foliis subasperis, imis longius cordatis, reliquis longe acuminatis, serratis ala uniflora.* HALLER *Enum.* n. 2. p. 491. floret Julio cum prima.

4. *Campanula* pratensis, flore conglomerato cœruleo. RVPP. 29.
a. *Campanula floribus sessilibus congestis, latioribus foliis insidentibus.* HALLER *Enum.* n. 4. p. 492. ad saxa *am Hopfenberg.* floret Julio.
b. — — flore albo β. varietas ibid.
c. — — — ex albo & cœruleo variegato.

d. *Campanula* floribus in alis foliorum. An varietas? crescit cum præcedente.

5. *Campanula* persicæ folio CLVSII. RVPP. 30.
*Campanula foliis linearibus, serratis, floribus dissitis, longissime petiolatis.* HALLER *Enum.* n. 12. p. 494. crescit ibid.

6. *Campanula* vulgatior, foliis urticæ, vel major et asperior. C. B. P. 94. RVPP. 29.
*Campanula foliis asperis, imis cordatis, reliquis longe acuminatis, serratis, calycibus hirtis, ala multiflora.* HALLER *Enum.* n. 1. p. 490. floret Junio *am Huttenberg und Eisenbach.*

7. *Campanula* radice esculenta, flore cœruleo. RVPP. 30.
*Campanula* foliis undulatis, subhispidis, caule ramosissimo. HALLER *Enum.* n. 11. p. 494. ibid. cum præced. frequens.

II. *Colchicum commune.* C. B. RVPP. 35. HALLER *Enum.* n. 1. p. 283.
*Hermodactylus* CÆSALPINI, L. X. floret Septembre in udosis *im Grund nach Frischborn und Wartenbach.* Semen etiam gallinis lethale.

III. *Convolvulus* minor aruensis, flore roseo. C. B. P. pag. 294. RVPP. 28.
*Convolvulus foliis sagittatis, mucrone longissime coëunte petiolo unifloro.* HALLER *Enum.* n. 2. p. 489. floret Julio *am Hopfenberg.*

IV. *Jasione.* LINNÆI *Gen.* 677. ed. II. 819.
*Rapuntium capitulis Scabiosæ* C. B. RVPP. 31.
*Jasione foliis lineari-lanceolatis, obsolete serratis.* HALLER *Enum.* n. 1. p. 496. in pratis *bey Lauterbach;* floret Junio copiose.

V. *Iris* palustris lutea TABERNÆMONTANI. RVPP. 33.
*Iris inberbis, lutea, neruo folii eminente.* HALLER *Enum.* n. 4.

n. 4. p. 281. Majo & Junio floret *an der Bach ob Stockhausen; am kleinen Teich zu Eisenbach*; infrequens.

VI. *Polemonium* vulgare cœruleum I. R. H. LINNÆVS n. 131. HALLER *Enum.* n. 1. p. 490. RVPP. 31. floret Augusto *am rothen Rain*, qua itur versus *Frischborn*, in acclivi rarissimum. Planta Helvetis alpina.

(4) *Capsula quadripartita.* RVPP. 37. (4)

I. *Chamænerion* altissimum sylvaticum. RVPP. 37.
*Epilobium spicatum, flore difformi, foliorum nervo eminente, ora leuiter serrata.* HALLER *Enum.* n. 1. p. 408. copiose *im Stockhauser Wald* ad 6. 8. pedum altitudinem.

2. *Chamænerium* glabrum angustifolium. I. R. H.
*Chamænerium palustre, folio saligno, molli & angusto.* I. R. H. RVPP. 37? corrupte. (a)
*Epilobium foliis angustis, obiter dentatis.* HALLER *Enum.* n. 6. p. 410. in palude intra *Rudlos* & *Landenhausen*.

3. *Chamænerion* glabrum latifolium maius. RVPP. ibid.
*Epilobium foliis ex ovato lanceolatis, serratis, levissime hirsutis.* HALLER *Enum.* n. 5. p. 409. floret Augusto ad vias rivosque *Blizenroth*.

4. *Chamænerion* palustre, hirsutum, parvo flore. RVPP. 38. C. B.
*Epilobium foliis longis, dentatis, villosis, flore parvo.* HALLER *Enum.* n. 7. p. 410. floret Augusto ad ripas *gegen der Oehlmühle*. Folia sicca succedaneum *Thee Boy*.

II. *Stramoneum* sive *Datura.* RVPP. ibid.
*Stramonium fructu erecto (oblongo) calyce pentagono.* HALLER *Enum.* n. 1. p. 489. Augusto floret in suburbio *gegen der Mühle*, cum Solano.

2. *Stramonium* pomo rotundo erecto I. R. H. 118.
An *Stramonium fructu rotundo, deorsum spectante & aspe-*

*ro*, RVPP. 39, *aut varietas prioris?* in fimetis & marginibus agrorum.

V. *Seminibus tectis*, *bacca* (*seu fructu molli*)

(1) MONOPYRENA. RVPP. VI. p. 40. &c.

I. *Opulus* RVELLII p. 281. HALLER *Enum.* n. 1. p. 463. RVPP. p. 42. *bey Schadges.*

(2) BACCA TRIPYRENA. RVPP. 44. (3)

I. *Sambucus* fructu in umbella nigro. C. B. P. RVPP. 44. *Sambucus arborea*, *umbellatis floribus.* HALLER *Enum.* n. 1. p. 466. ad hortos urbis.

2. *Sambucus* racemosa acinis rubris I. B. RVPP. 45. *Sambucus arborea floribus spicatis* HALLER *Enum.* n. 3. p. 467. *bey Schadges.*

(3.) BACCA TETRAPYRENA. RVPP. (5) p. 45.

I. *Ligustrum* I. B. RVPP. ibid. HALLER *Enum.* n. 1. p. 527. copiose ad sepes.

(4) BACCA POLYPYRENA. RVPP. (4) p. 46.

I. *Lilium Convallium* TOVRNEFORTII & Officinar. RVPP. 51. *Polygonatum bifolium scapo florigero aphyllo* HALLER *Enum.* n. 1. p. 286. floret Majo, *zu Eisenbach*, infrequens. In fundo floris adsunt punctula purpurea circularia. HALLER species Polygonati.

II. *Moschatellina* TOVRNEFORTII. RVPP. 52. HALLER *Enum.* n. 1. p. 412. floret Majo, ad semitam versus *Eisenbach* sub Oxiacantha DIOSCORIDIS, infrequens. Jungitur opportune.

III. *Plantago* latifolia, incana C. B. RVPP. 88. *Plantago foliis ovato-lanceolatis pubescentibus* LINNÆI Hort. CLIFF. HALLER *Enum.* 4. p. 472. Incolis *Rippe-*

*kraut*;

*kraut*; floret Junio *am Eichberg*, *Blizenroth* copiose. Aqua stillatitia fatua.

2. *Plantago* angustifolia major C. B. RVPP. 89.

*Plantago foliis lanceolatis, spica subovata* LINNÆI. HALLER *Enum.* n. 2. p. 471. floret Majo ad saxa *am Hopfenberg*, infrequens.

3. *Plantago* latifolia glabra C. B. RVPP. 88.

*Plantago foliis ovatis* LINNÆI. HALLER *Enum.* n. 5. p. 472. in pratis siccis, quæ, juxta HALLERVM & RVPPIVM simul, ad Sectionem *monopetalarum capsula biloculari* pertineret, si innovare RVPPIVM animus foret.

IV. *Polygonatum* latifolium vulgare C. B. RVPP. 51. *Sigillum Salomonis* I. B.

*Polygonatum foliis alternis petiolis pendulis multifloris.* HALLER *Enum.* n. 4. p. 487. floret Majo & Junio copiose *im Obervvald*, raro circa urbem. ZEHNERVS legit.

V. *Solanum scandens*, seu Dulcamara RVPP. 49.

*Solanum foliis aliis trifidis*, *aliis simplicibus* HALLER *Enum.* n. 1. p. 507. floret Julio, Augusto, ad rivos infrequens.

2. *Solanum* Officinar. acinis nigricantibus. RVPP. 48.

*Solanum foliis angulosis*, *undulatis caule levi.* HALLER *Enum.* n. 2. α. p. 507. in incultis locis.

3. *Solanum* hortense baccis rubris CAMERARII. Varietas prioris β. HALLER *Enum.* n. 2. p. 507. Junio *am Hopfenberg*. Aqua stillatitia fatua.

VI. *Vaccinium* RIVINI. RVPP. 52.

*Vitis idæa* I. R. H. *Myrtillus* TABERNÆMONTANI.

*Vaccinium caule angustato*, *foliis serratis annuis* LINNÆI. HALLER *Enum.* n. 3. p. 415. fructum fert Julio, Augusto. In sylvis passim versus lapidicinam & *Eisenbach*.

2. *Vaccinium* foliis oblongis crenatis fructu albo. RVPP. ibid. HALLER β. l. c. *bey Stockhausen*, infrequens.

3. *Vaccinium* foliis Buxi, semper virens, baccis rubris. RVPP. ibid.

*Vaccinium foliis perennantibus obverse ovatis* LINNÆI. HALLER *Enum.* n. 1. p. 414. in sylvis versus *Rigsfeld* copiose.

4. *Vaccinium* altissimum, foliis subrotundis exalbidis. RVPP. ibid.

*Vaccinium foliis annuis exalbidis* LINNÆI. HALLER *Enum.* n. 2. p. 414. *bey Freyenstein* in sylvis.

# CLASSIS QVARTA.

## *Plantæ*

### *Flore regulari dipetalo.* RVPP. Class. II. p. 54.

I. *Circæa Lutetiana* LOBELII. RVPP. 55.

*Circæa major foliis longioribus obiter crenatis.* HALLER *Enum.* n. 1. p. 56. floret Julio, circa rudera arcis *Naxburg*; infrequens.

# CLASSIS QVINTA.

## *Plantae*

### *Flore regulari tripetalo.* RVPP. Class. III. p. 56.

(1) *Semine nudo unico.* RVPP. ibid. (1)

RVPPIVS hic recenset *Lapatha*; quæ vero jam duce ILLVSTR. HALLERO cum Fagopyro, Chenopodio ad Class. secundæ Sect. IV. retuli vid. ejus not. (a) p. 57. RVPP.

(2) *Seminibus nudis plurimis.* RVPP. (III.) p. 60.

I. *Alisma* RIVINI CORDI & RVPP. 60.

*Plantago aquatica latifolia.* C. B. P.

*Dama-*

*Damaſonium panicula verticillata, petiolis ramoſis, ſiliquis monoſpermis.* HALLER *Enum.* n. 1. p. 300. Floret Auguſto, Septembri copioſe in foſſis *bey Blizenroth, Stockhauſen & Eiſenbach.*

# CLASSIS SEXTA.

## *Plantæ*

*Flore regulari tetrapetalo.* RVPP. Claſſ. IV. p. 62.

(1) *Seminibus binis proprio loculo incluſis.*

I. *Sanguiſorba* major pratenſis. RVPP. 63.

*Pimpinella tetraſtemon, foliis oblonge cordatis, ſpica brevi,* HALLER *Enum.* n. 1. p. 469. Junio copioſe in pratis ſiccis *bey Maar.* Incolis *Smid-Kraut.*

Bis poſita RVPPIO hæc planta p. 3. ad Claſſ. I. p. 63. ad Claſſ. IV. Dubius eam ad hanc claſſem retuli, cum nunc ad monopetalas regulares referenda videatur. I. R. H. 156. imo proprium in hac methodo titulum requirat, HALLER in not. (a) p. 64. ob ſemina tecta loculis.

(2) *Seminibus nudis plurimis.* RVPP. (III) p. 68.

I. *Tormentilla* ſylveſtris C. B. P. RVPP. 67.

*Potentilla foliis quinatis, flore tetrapetalo, caule recto.* HALLER *Enum.* n. 11. p. 341. Junio in ſaxis am *Eichberg.* Aqua ſtillatitia fatua.

(3) *Seminibus tectis, Capſula*

(1) *ſimplici.* RVPP. p. 70. IV.

I. *Chelidonium*, ſeu *Chelidonia* I. B. RVPP. 71.

*Chelidonium lobis ſubrotundis,* HALLER *Enum.* n. 1. p. 305. floret Julio in ſuburbio, ad arcem *Eiſenbach.* Aqua ſtillatitia fatua.

II. *Papaver erraticum majus* C. B. RVPP. 70.

*Papaver foliis pinnatifidis, hiſpidis, fructu ſubrotundo* LINNÆI.

NÆI. HALLER *Enum.* n. 2. p. 303. in agris *zu Freyensteinau* copiose, variat fertilitas ejus quotannis. Extractum ejus dupla dosi succedaneum Opii.

III. *Raphanistrum* segetum, flore luteo. I. R. H. RVPP. 72.
*Raphanus siliquis teretibus articulatis, unilocularibus* LINNÆI. HALLER *Enum.* n. 1. p. 555. II. Junio ad agrorum margines, *Eisenbach.*

2. *Raphanistrum* folio rotundiore, varietas ibid.

(2) *Bipartita*

(α) *Longiori siue Siliqua.* RVPP. 74. (3)

*Meizostemones.* HALLER l. c. p. 547. seqq. staminibus sesquialteris.

I. *Accipitrina* RIVINI & LONICERI. RVPP. 81.
*Sisymbrium pinnis foliorum pinnatis, pinnulis subhirsutis, linearibus.* HALLER *Enum.* n. 7. p. 554. Augusto floret, in suburbio, infrequens.

II. *Alliaria* MATHIOLI. RVPP. 78.
*Hesperis allium redolens* MORISONI.
*Sisymbrium foliis cordatis retusis.* HALLER *Enum.* n. 15. p. 553. legi Junio *auf der Wartenbach.*

III. *Cardamine* sylvatica hirsuta, flore lacteo, parvo RVPP. 80.
*Cardamine foliis pinnatis, imorum pinnis angulosis, superiorum oblongis & strictis.* HALLER *Enum.* n. 4. p. 559. Majo floret in pratis frequens.

IV. *Dentaria* heptaphyllos, baccifera, C. B. P. RVPP. 80.
*Dentaria foliis inferioribus pinnatis, supernis simplicibus* LINNÆI. HALLER *Enum.* n. 3. p. 557. im *Rudloser Wald, am todten Kinde*, (adest ibi tumulus occisi infantis) copiose, & *zu Hopmansfeld.* Helvetia ea caret. HALLER *Opusc. Botan. Iter Hercyn.* §. X. p. 100. & *Enum. Helvet.* l. c.

V. *Erisymum vulgare* C. B. RVPP. 82.

*Sisym-*

*Siſymbrium foliis pinnatis, extremo lobo triangulo, ſiliquis erectis, cauli appreſſis.* HALLER *Enum.* n. 9. p. 551. floret Auguſto in ſuburbio & ad rivos, infrequens.

* *Napum* ſylveſtrem C. B. P. RVPP. 83. in foſſis irriguis *bey Angersbach*, indigenis annumerare non audeo.

VI. *Raphanus* minor oblongus C. B. RVPP. 72.

*Siſymbrium foliis ſimplicibus dentatis ſerratis.* HALLER *Enum.* n. 1. p. 548? legi Septembri ad rivum prope *der Schlagmühle:* an indigena?

VII. *Siſymbrium* aquaticum MATHIOLI. RVPP. 80.

*Siſymbrium foliis pinnatis, anguloſis, floribus ſuper folia vix elatis.* HALLER *Enum.* n. 5. p. 549. legi Julio *an dem Bach der Papiermühle.*

2. *Siſymbrium* annuum, Naſturtii folio ſupinum.

An varietas ſupina *Siſymbrii pinnis profunde ſerratis diſſitis.* HALLER *Enum.* n. 5. p. 548?

An *Cardamine foliis pinnatis, pinnis ſubrotundis anguloſis* HALLER *Enum.* n. 3. p. 558?

*Cardamine flore majore, elatior,* RVPP. 80? Junio in rivis *bey Angersbach.*

3. *Siſymbrium* Erucæ folio glabro. I. R. H. RVPP. ibid.

*Barbarea* I. B. DODON.

*Siſymbrium foliis pinnatis, pinna extrema ampliſſima, ſubrotunda.* HALLER *Enum.* n. 6. p. 549. ad rivos & foſſas irriguas circa *Angersbach* & *Eiſenbach*, floret Julio copioſe.

N°. I. II. V. VI. VII. Siſymbrii ſpecies ſub RVPPII denominatione poſitæ exſtant.

VIII. *Turritis* foliis inferioribus cichoraceis, ceteris perfoliatæ I. R. H. RVPP. 78.

*Turritis foliis radicalibus dentatis, hiſpidis, caulinis in-*

*tegerrimis*, *amplexicaulibus* LINNÆI. HALLER *Enum.* n. 2. p. 560. Junio floret *auf der Wartenbach*, infrequens.

(β) *breviori vel silicula* RVPP. 83.

I. *Alysson* segetum, foliis auriculatis, acutis. I. R. H. RVPP. 85. *Alysson foliis scabris, sagittatis, leviter dentatis.* HALLER *Enum.* n. 1. p. 537. floret Julio in pratis *gegen Angersbach.*

2. *Alysson* Polygoni folio, caule nudo. RVPP. 84. *Draba caulibus nudis, foliis incisis* LINNÆI. HALLER *Enum.* n. 1. p. 538. floret Aprili ad margines agrorum *gegen Maar.*

3. *Alyssum* incanum, luteum, Serpylli folio majus I. R. H. RVPP. ibid. *Clypeola annua, siliqua biloculari emarginata, stylo brevi.* HALLER *Enum.* n. 1. p. 540. floret Augusto.

II. *Bursa pastoris* major, folio sinuato RVPP. 87. *Nasturtium siliquis verticaliter cordatis* LINNÆI. HALLER *Enum.* n. 6. β. floret Junio *bey Lauterbach*, *an dem Hopfenberg und Wartenbach.*

2. *Bursa pastoris* folio oblongo non sinuato. Varietas β HALLER l. c. prioris RVPP. ibid. Legi Majo *am Hopfenberg* & *Eisenbach.*

3. *Bursa pastoris* folio acuminato. An *Iberis* MATHIOLI RVPP. 86? An *Nasturtium foliis imis multifidis*, *superioribus integris*, *perangustis.* HALLER *Enum.* n. 1. p. 543? floret Majo ibid. cum præced.

4. *Bursa pastoris* minima LOBELII. *Iberis foliis pinnatis*, *caule nudo*, *non ramoso.* HALLER *Enum.* n. 1. p. 542. floret ibid.

III. *Thlaspi* aruense, siliquis latis C. B. RVPP. 86. *Nasturtium* (Thlaspi) *siliculis orbiculatis*, *foliis oblongis* *den-*

*dentatis glabris* LINNÆI. HALLER *Enum.* n. 5. p. 545. floret Majo *zu Eiſenbach und bey der Schlagmühle.*

2. *Thlaſpi* vulgatius I. B. RVPP. 85.
*Naſturtium* (Thlaſpi) *ſiliculis ſubrotundis, foliis ſagittatis dentatis incanis* LINNÆI. HALLER *Enum.* n. 3. p. 544. ad agrorum margines.

(3) *Quadripartita.* RVPP. (3.) p. 89.

I. *Erica* vulgaris flore purpureo. RVPP. 90.
*Erica foliis imbricatis glabris.* HALLER *Enum.* n. 1. p. 419. Legi florentem Julio in ſylva arida ad lapidicinam *und Kuhlberg* copioſe. Planta Helvetis ſubalpina.

4. *Seminibus tectis, bacca* RVPP. 92. (5.)

(r) *Dipyrena et bipartita* (2.)

I. *Vnifolium* DODONÆI. RVPP. 93. HALLER *Enum.* n. 1. p. 288. floret Majo am *Huttenberg, geſuncknen Wieſe*, infrequens.

(2) *Polyprena.* RVPP. 94. (4).

I. *Paris* RIVINI RVPP. ibid.
*Paris foliis quaternis* LINNÆI. HALLER *Enum.* n. 1. p. 412. floret Majo am *Eichberg, geſuncknen Wieſe, bey Angersbach, Ochſenkopf.*

II. *Chriſtophoriana* vulgaris noſtras racemoſa, & ramoſa MORISONII. RVPP. ibid.
*Chriſtophoriana* HALLER *Enum.* n. 1. pag. 306. Incolis *Feuer-Kraut*, floret Junio *auf der geſuncknen Wieſe*, infrequens.

# CLASSIS SEPTIMA.

RVPP. Claſſ. V. p. 95.

*Plantæ*

*Flore regulari pentapetalo.*

*Dyplostemones* HALLER l. c. p. 364.

I. ***Semine nudo unico.***

I. *Agrimonia* officinar. RVPP. 100.

*Agrimonia foliis pinnatis, fructibus hispidis* ROYEN. HALLER *Enum.* n. 1. p. 407. Septembri floret in agris montosis circa *Eisenbach.*

II. *Polygonum* littoreum minus, flosculis spadiceo- albicantibus C. B. RVPP. 96.

*Corrigiola caule florum fasciculis terminato* LINNÆI. HALLER *Enum.* n. 1. p. 391. ad ripas arenosas infrequens.

II. *Seminibus nudis geminis.* RVPP. 101.

1. *Acer* campestre & minus C. B. RVPP. ibid.

*Acer foliis semitrilobis, lobis obtuse incisis.* HALLER *Enum.* n. 1. p. 421. *bey Stockhausen.*

2. *Acer* montanum candidum C. B. RVPP. ibid.

*Acer major* CORDI.

*Acer foliis quinquangulis, undique serratis.* HALLER *Enum.* n. 2. p. ibid. ad sepes.

III. *Seminibus nudis plurimis.* RVPP. ibid.

*Gymnopolyspermæ* HALLER p. 319. seq.

I. *Caryophyllata* vulgaris C. B. RVPP. 108.

*Caryophyllata pinnis paucioribus, rhomboideis tubarum fine uncinato* HALLER *Enum.* n. 1. p. 835. Junio floret ad sepes *zu Schatges, Stockhausen*, frequens.

2. *Caryophyllata* aquatica nutante flore C. B. RVPP. ibid.

*Caryophyllata pinnis frequentioribus, extrema semitrifida, flore connivente, nutante.* HALLER *Enum.* n. 4. p. 336. Junio ad rivos, udosa, frequens.

II. *Fragaria* vulgaris C. B. fructu rotundo RVPP. 108.

*Fragaria flagellis reptans* LINNÆI. HALLER *Enum.* n. 1. p. 343. floret Junio ubique ad sepes sylvasque.

2. *Fra-*

2. *Fragaria* vulgaris, fructu rubro oblongo.
An varietas, an ſpecies diſtincta? poſterius videtur, ob fructus veram differentiam, folia rhomboidea hiſpidiora; floret Julio in arenoſis *zu Stockhauſen.*

III. *Pentaphylloides* alatum argenteum. RVPP. 107.
*Anſerina* officinarum.
*Potentilla repens, ſcapo unifloro, pinnis plurimis confertis, minoribus intermixtis.* HALLER *Enum.* n. 2. p. 338. floret Junio copioſe in ſuburbio. Aqua ſtillatitia fatua.

IV. *Quinquefolium* minus repens, lanuginoſum luteum C.B.RVPP. 106. HALLER *Enum.* n.* 7. p. 340. Majo ad arenoſa v. gr. *am Hopfenberg.*

2. *Quinquefolium* folio argenteo C. B. RVPP. 106.
*Potentilla foliis quinatis, anguſtiſſimis ſubtus tomentoſis, caule erecto.* HALLER *Enum.* n. 10. p. 341. floret Junio ad margines viarum *zu Freyenſteinau.*

V. *Ranunculus* aruenſis echinatus C. B. RVPP. 103.
*Ranunculus ſeminibus aculeatis, foliis decompoſitis linearibus* LINNÆI. HALLER *Enum.* n. 5. 323. floret Junio in aruis.

2. *Ranunculus* aquaticus folio rotundo & capillaceo C. B. RVPP. 104.
*Ranunculus foliis inferioribus capillaceis, ſuperioribus peltatis* LINNÆI. HALLER *Enum.* n. 16. p. 328. floret Majo *zu Friſchborn*, *Sonnenberg*, bey *Angersbach*, copioſe.

3. *Ranunculus* aquaticus Cotyledonis folio RVPP. 103. flore albo, caule geniculato, I. R. H.
An *Ranunculus foliis omnibus capillaceis circumſcriptione oblongis* HALLER *Enum.* n. 19. p. 329? Majo ad ſtagnum *zu Eiſenbach*, forte No. 18. ob folia rotundiora.

4. *Ranunculus* pratenſis, erectus, dulcis. RVPP. 102.
*Ranunculus caule ex geniculis radicato foliorum lobis petiolatis.* HALLER *Enum.* n. 7. II. p. 324. floret Majo ubique.

5. *Ranunculus* rectus flore pleno.
*Ranunculus* caule erecto, multifloro, folio pentagono, lobis sessilibus, flore pleno. HALLER *Enum.* n. 7. γ. crescit ibid.

6. *Ranunculus* erectus acris, flore saturate luteo C.B. RVPP. 102.
*Ranunculus* caule erecto, multifloro, folio pentagono, lobis sessilibus. HALLER *Enum.* n. 7. p. 324. Junio im *Rudloser Wald.*

7. *Ranunculus* longifolius, palustris major C. B. RVPP. 104.
*Ranunculus erectus, foliis longis sessilibus, capitulo squamulis distincto.* HALLER *Enum.* n. 2. p. 322. floret Junio in fossis *zu Angersbach.*

8. *Ranunculus* pratensis, repens hirsutus C. B. RVPP. 102. an varietas No. 4. copiose *bey Lauterbach.*

9. *Ranunculus* montanus, folio Aconiti, magno flore. RVPP. 102.
*Ranunculus hirsutus Geranii columbini majoris folio* CORDI.
*Ranunculus foliis quinatis, lanceolatis, inciso serratis* LINNÆI. HALLER *Enum.* n. 9. p. 325. Majo *am Eichberg,* & prato cui nomen: *grose Eisenbach.*

10. *Ranunculus* radice verticilli modo rotunda C. B. P. 178. RVPP. 103.
*Ranunculus radice simplici, subglobosa* LINNÆI. HALLER *Enum.* n. 6. p. 323. *zu Eisenbach.*

11. *Ranunculus* ramosus, vel sylvaticus, folio rotundo. C. B. RVPP. 101.
*Ranunculus foliis radicalibus, reniformibus, crenatis, caulinis digitatis sessilibus.* ROYEN. HALLER *Enum.* n. 14. p. 327. Majo in pratis copiose.

IV.

VI. *Tilia femina*, folio majore C. B. RVPP. 100.
*Tilia foliis amplioribus, ſubhirſutis.* HALLER *Enum.* n. 1. p. 375. *ad templum cœmeterii.*

2. *Tilia* folio minore I. B. 1. RVPP. ibid.
*Tilia folio glabro, duriori, minori.* HALLER *Enum.* n. 2. p. 358. ad mœnia ex ſylvis allata.

IV. *Seminibus tectis, capſula*

(1) *Simplici* RVPP. 109.

I. *Alſine* altiſſima nemorum C. B. RVPP. 109.
*Alſine aquatica major* HORT. OXON.
*Alſine foliis cordatis petalis bipartitis.* HALLER *Enum.* n. 4. p. 386. floret Julio *an dem Bach bey der Stadt*, folia fugacia tenerrima.

2. *Alſine* gramineo folio, flore minore. RVPP. 110.
*Alſine foliis gramineis, petalis bipartitis.* HALLER *Enum.* n. 2. p. 306. floret Junio *am Billſtein* & pratis.

3. *Alſine* gramineo folio ampliore. RVPP. 109.
*Alſine foliis gramineis, aſperis, petalis ſemibifidis.* HALLER *Enum.* n. 3. p. 386. floret Julio *am Huttenberg* paſſim.

4. *Alſine* media C.B. RVPP. 109.
*Alſine pentaſtemon, petalis bipartitis.* HALLER *Enum.* n. 5. p. ibid. legi florentem Februario 1747. alias floret Aprili.

5. *Alſine* minor multicaulis RAII. in aridis.
*Arenaria multicaulis Serpyllifolia.* RVPP. 114.
*Alſine foliis lanceolatis, petalis integris calycis magnitudine.* HALLER *Enum.* n. 16. p. 389.

6. *Alſine* minima flore fugaci. I. R. H.
*Spergula graminea, annua, foliis obſcure virentibus, flore tetrapetalo.* RVPP. 73.

*Alſine*

*Alſine tetrapetala, foliis anguſtis, in origine lateſcentibus.* HALLER *Enum.* n. 20. p. 390. Junio ad culmen montis *bey Schadges* & vias publicas.

*Nota.* Ad tetrapetalas merito pertinentem retinui, ob nominis affinitatem ovariique formam.

7. *Alſine* folio Plantaginis CHABR. I. B. III. 363.

*Arenaria Plantaginis folio* RVPP. 113.

*Alſine foliis lanceolatis, trinerviis, petalis integris.* HALLER *Enum.* n. 18. p. 390. creſcit ibid. cum præced.

8. *Alſine*, Spergula dicta major C. B. P. 251.

*Arenaria aruenſis vulgatior.* RVPP. 112.

*Alſine foliis verticillatis, petiolis ramoſis, petalis integris.* HALLER *Enum.* n. 7. p. 387. legi unice ad margines agrorum verſus *Wallenroda.*

II. *Caryophyllus* montanus I. TABERNÆMONT.

*Tunica ſylveſtris, vulgaris multiflora.* RVPP. 118.

*Tunica calyce univerſali ariſtato floribus breviori* HALLER *Enum.* n. 4. p. 382. legi Junio ad aprica *zu Stockhauſen am Weinberg* dicta.

2. *Caryophyllus* ſylveſtris prolifer. C. B. P. 209.

*Tunica ſylveſtris, faſciculatis floribus.* RVPP. 119.

*Tunica calyce univerſali peculiaribus majori, cartilagineo mutico.* HALLER *Enum.* n. 2. p. 381. floret Septembri ad *rivum der Schlagmühle.*

III. *Lychnis ſylveſtris* ſive aquatica purpurea ſimplex. C. B. P. 264. RVPP. 115.

*Lychnis ſexu diſtincta foliis ovatis acutis.* HALLER *Enum.* n. 3. p. 377. Flores ſpicati in meo ſpecimine, floret Junio *zu Stockhauſen* ad ſepes.

2. *Lychnis* purpurea pratenſis anguſtifolia flore laciniato.

*Lych-*

*Lychnis pratensis flore laciniato simplici.* RVPP. 116.
*Lychnis petalis quadrifidis longissimis.* HALLER *Enum.* n. 4. p. 378. legi Junio *zu Stockhausen.*

3. *Lychnis* flore laciniato albo. Varietas β. HALLER *Enum.* n. 4. p. 378. Junio *am Eichberg.*

4. *Lychnis* sylvestris, alba, simplex C. B. RVPP. 115. Forte varietas No. 1. HALLER *Enum.* n. 3. II. p. 377? floret ad rivos *zu Stockhausen*, an vere differat?

5. *Lychnis* montana latifolia alba; lecta *Blizenroth, Eisenbach, Frischborn*?

6. *Lychnis* segetum major C. B. RVPP. ibid.
*Lychnis calycis laciniis petalorum longitudinem superantibus.* HALLER *Enum.* n. 2. p. 376. Julio inter segetes *bey Altenschlirf.*

7. *Lychnis* segetum folio latiore hirsuta. Varietas prioris. Junio *auf der alten Wiese.*

IV. *Parnassia* RIVINI. RVPP. 114. floret Augusto in udosis ad suburbium. Baccas ad Erysipelas valere, incolis fertur.

V. *Rorella* vulgaris & officinarum. RVPP. ibid.
*Ros solis folio subrotundo* C. B. P. 309.
*Rorella caule simplici, foliiss rotundis, retusis.* HALLER *Enum.* n. 2. p. 372. legi Augusto in udosis circa *Rudlos, Stockhausen.* Acris, nociva, licet laudet WEDELIVS.

(2) *Gemella.* RVPP. 122.

I. *Saxifraga* rotundifolia, alba. RVPP. ibid.
*Saxifraga foliis reniformibus, lobatis, caule ramoso, radice granulosa* LINNÆI. HALLER *Enum.* n. 6. p. 401. floret Majo in pratis copiose. Ejus vires tam nephriticæ, quam lithontripticæ ex analogia soli arenosi, quo crescit, falsæ. Aqua ejus stillatitia fatua. TROLLES *Examen rigor. Diss.* p. 2. 3. 4to 1740.

(3) *Capsula tripartita.* RVPP. 123.

*Hypericum* vulgare C. B. P. 279. RVPP. ibid.

I *Hypericum floribus trigynis, caule annuo, foliis punctatis, obtusis* LINNÆI. HALLER *Enum.* n. 1. p. 360. floret Junio *am Hopfenberg* & *Naxburg.*

2. *Hypericum* minus supinum; vel supinum glabrum. C. B. P. RVPP. 124.
*Hypericum humifusum foliis perforatis, punctis in margine nigris notatis.* HALLER *Enum.* n. 2. ibid. floret Julio, Augusto, ad rivum frigidissimum *zu Eisenbach*, infrequens.

3. *Hypericum* elegantissimum non ramosum. RVPP. 124.
*Hypericum foliorum ora punctata, calyce serrato.* HALLER *Enum.* n. 4. p. 361. Julio in *der Steger hinter Stockhausen.*

II. *Muscipula* pratensis, vesicaria. RVPP. 125.
*Lychnis quæ Been album* C. B. P. 205.
*Viscago calyce inflato, ovali, petalis serratis, calyce serrato.* HALLER *Enum.* n. 2. p. 373. *am Hopfenberg.*

(4) *Capsula quinquepartita* RVPP. 126.

I. *Anacampseros* maxima I. B. III. RVPP. 129.
*Sedum foliis ovalibus, serratis, umbellis ex alis foliorum.* HALLER *Enum.* n. 6. p. 395. legi Augusto in petrosis *am Hopfenberg.* Amuletum vanum.

II. *Acetosella* vulgaris & officin. RVPP. 127.
*Oxys radice dentata, foliis ternatis, scapo nudo, unifloro* HALLER *Enum.* n. 1. p. 364. floret Majo ad viam versus *Blizenroth* cum Moschatellina, infrequens. Aqua stillatitia fatua.

III. *Geranium Robertianum* RIVINI. RVPP. 287.

*Gera-*

*Geranium Cicutæ folio minus & supinum* C. B.

*Geranium pedunculis multifloris, calycibus pentaphyllis foliis duplicato pinnatis* LINNÆI. HALLER *Enum.* n. 14. p. 369. floret Majo *zu Eisenbach*, Junio *Freyensteinau*, Augusto *zu Stockhausen.*

2. *Geranium Robertianum* officin. RVPP. 286.

*Geranium pedunculis bifloris, foliis quinquepartitis, lobis pinnatifidis* LINNÆI. HALLER *Enum.* n. 12. p. 369. floret Julio ad muros arcis *Eisenbach.*

3. *Geranium Robertianum*, flore albo, varietas β. HALLER l. c. floret Julio ad agrorum margines *am Eichberg*, semitam saxosam.

4. *Geranium Robertianum* flore albo & rubro in eodem caule. Varietas prioris. Legi ibid.

5. *Geranium Batrachioides*, seu gratia Dei Germanorum. C. B P. p. 89. I. R. H.

*Gruinalis pratensis, foliis Ranunculi, Aconitive*, RVPPIO falsum nomen. 129.

*Geranium pedunculis bifloris, foliis peltatis, multipartitis, rugosis, pinnato-laciniatis, acutis* LINNÆI. HALLER *Enum.* n. 8. p. 367. habitus hirsutus. Majo *zu Eisenbach.*

6. *Geranium* folio Maluæ rotundo C. B.

*Gruinalis folio Maluæ rotundo.* RVPP. 131.

*Geranium foliis reniformibus, semiquinquifidis, mollibus & latissimis.* HALLER *Enum.* n. 5. p. 366. Junio *zu Eisenbach Rothen Rain.*

7. *Gruinalis* aruensis flore cæruleo purpureo, radice ruberrima. RVPP. ibid.

*Geranium columbinum maximum foliis dissectis* RAII. *Geranium foliis ad nervum quinquifidis, pediculis breviori-*

 *bus,*

*bus, caule erecto.* HALLER *Enum.* n. 6. p. 366. legi Junio in agris *zvviſchen Schadges und Stockhauſen am Rothen Rain.*

8. *Gruinalis* aruenſis foliis Maluæ profunde ſectis, floribus longis, pediculis inſidentibus. RVPP. ibid.
*Geranium foliis ad nervum quinquifidis, pediculo longiſſimo, caule proſtrato.* HALLER *Enum.* n. 7. p. 367. Julio *Naxburg*, infrequens.

9. *Geranium* batrachioides paluſtre flore ſanguineo. RVPP. 287. idem quod:
*Gruinalis pratenſis maxima, folio Aconiti; minus profunde laciniato.* RVPP. 129.
*Geranium aconitifolium noſtras* RIVINI.
*Geranium foliis rugoſis, ſemitrilobis, latioribus, lobis dentatis, lateralibus bipartitis, floribus purpureis.* HALLER *Enum.* n. 9. p. 367. Julio *am Eichberg* copioſe, *Stockhauſen.*

*Nota.* Hæc planta flore regulari: *Gruinalis* p. 129. flore vero irregulari: *Geranium* audit RVPPIO p. 286. Præſtat tamen ob characterem utrique communem conjungere ad modum *Illuſtr.* HALLERI l. c. p. 365. licet ob levem floris irregularitatem RIVINVS & ex eo RVPPIVS ſeparent.

IV. *Sedum* minus luteum, folio acuto C. B. RVPP. 128.
*Sedum foliis teretibus, in ſpinulam terminatis, umbella ſparſa.* HALLER *Enum.* n. 15. p. 397. legi Junio *bey Eiſenbach* & mœnia frequens.

2. *Sedum paluſtre*, ſubhirſutum purpureum. C. B. P. 285. RVPP. ibid.
*Sedum foliis planioribus, ellipticis, petiolis ſubhirſutis, in ſummo caule congeſtis.* HALLER *Enum.* n. 16. p. ibid. Junio *am Hopfenberg* ad ſaxa.

3. *Se-*

3. *Sedum* minimum luteum, non acre. RVPP. ibid.
*Sedum foliis conicis, floribus in alis ſeſſilibus majoribus, luteis.* HALLER *Enum.* n. 12. p. 396.

4. *Sedum* minus teretifolium album C. B. RVPP. ibid.
*Sedum foliis oblongis, obtuſis teretiuſculis, ſeſſilibus, patentibus, panicula ramoſa* LINNÆI. HALLER *Enum.* n. 18. p. 398. *Billſtein.* Aqua ſtillatitia fatua.

V. *Viſcaria* RIVINI. RVPP. 126.
*Lychnis ſylveſtris, viſcoſa, rubra, anguſtifolia* C. B. P. 205. an eadem HALLERO vocata:
*Viſcago foliis imis petiolatis, floribus verticillatim ſpicatis, petalis indiviſis, ſexu diſtinctis.* HALLER *Enum.* n. 5. p. 375? ſaltem eadem deſcriptio, ſynonyma licet differant. Floret Junio ad culmen montis ſaxoſi *bey Schadges*, infrequens.

(5) *Capſula decem loculamntis diſcreta.* RVPP. (5) 131.

I. *Linum ſativum.* C. B. P. 214. RVPP. ibid.
In agris copioſe ſeritur, optimeque ſuccedit, ut ſubjectum ſit maximi incolarum commercii. Linum maturum abſciſſum, in faſciculos ligatum, rivis, lapidibus oneratum immergunt ſpatio 14. dierum circiter. Hinc caules putreſcunt; rivi vero odorem & ſaporem piſcibus letalem, hominibusque gravem contrahunt. Invaluit mos, retinuit eum conſuetudo, antiquitatis amor. Sileſiaci illud Soli exponunt absque immerſione in aquas. Vtilitas & uberior proventus locum *Lino* inter floras concedunt merito.

(6) *Capſula multiplici* RVPP. 132.
*Multifiliquæ* HALLER l. c. p. 298.

I. *Caltha* paluſtris flore ſimplici. C. B. RVPP. ibid.
*Populago* DILLENII. HALLER *Enum.* n. 1. p. 319. floret Majo in foſſis irriguis cum *Chelidonio* minore verſus *Blizenroth.*

II. *Vlmaria* DODONÆI & CLVSII. I. B. III. RVPP. 101.
*Regina prati* DODONÆI.
*Filipendula foliis ex ovalibus acutis extremo trilobato, minimis pinnulis intermistis.* HALLER *Enum.* n. 2. p. 306.
Legi Septembri ad rivos *zu Stockhausen.*

V. *Seminibus tectis, bacca*

(1) *Monopyrena.* RVPP. 132.
*Pomiferæ.* HALLER 345. l. c.

I. *Cerasus* sylvestris fructu subdulci, nigro colore inficiente. RVPP. 134. C. B.
*Cerasus foliis ovato lanceolatis.* ROYEN. HALLER *Enum.* n. 1. p. 356.
2. *Cerasus* fructu subdulci rubro. I. B. varietas HALLER l. c. γ. ad margines sylvarum infrequens *auf der gesuncknen Wiese.*

II. *Prunus sylvestris* C. B. RVPP. 133.
*Prunus spinosa, foliis obtusis, sæpe trifidis* LINNÆI. HALLER *Enum.* n. 6. p. 355. Martio floret *bey Wernges und Blizenroth,* infrequens.

(2) *Tripyrena.* RVPP. (3) p. 136.

I. *Oxyacantha* vulgaris. RVPP. ibid. DIOSCORIDIS.
*Crataegus spinosa, foliis obtusis, sæpe trifidis.* HALLER *Enum.* n. 4. p. 354. *bey Blizenroth,* ad sepes.

(3) *Polypyrena.* RVPP. (5) p. 158.

I. *Malus sylvestris* fructu valde acerbo. RVPP. 141.
*Pirus foliis serratis, pomis basi concavis* LINNÆI. HALLER *Enum.* n. 2. p. 351. in agris sterilibus *Lanzenhayn.*

II. *Pirus* sylvestris. C. B. RVPP. 140.
*Pyrus foliis serratis, pomis basi productis* LINNÆI. HALLER *Enum.* n. 1. ibid. *Rigsfeld.*

III. *Rosa* ſylveſtris foliis odoratis C. B. I. R. H.
*Rosa Eglanteria* TABERNÆMONTANI. RVPP. 139. not. (a).
*Rosa foliis ſubtus rubiginoſis & odoratis.* HALLER *Enum.* n. 7. p. 350. floret Julio *zu Hopmansfeld* & *Blizenroth* ad ſepes.

2. *Rosa ſylveſtris* vulgaris flore odorato incarnato C. B. P. I. R. H. RVPP. l. c.
*Rosa foliis & fructu rotundo levibus, calycis foliolis diviſis.* HALLER *Enum.* n. 5. p. 349. Julio *Freyenſtein.*

IV. *Rubus repens fructu caeſio.* C. B. RVPP. 143.
*Rubus caule aculeato foliis ternatis* LINNÆI. HALLER *Enum.* n. 2 p. 344. Auguſto ad ſepes *bey Maar.*

2. *Rubus vulgaris*, ſeu Rubus fructu nigro. RVPP. 142.
*Rubus foliis ternatis & quinatis, coſta ſpinoſa, fructu nigro & levi.* HALLER *Enum.* n. 4. p. 345. *zu Freyenſteinau* in ſylva.

3. *Rubus idæus ſpinoſus.* C. B. RVPP. ibid.
*Rubus idæus ſpinoſus fructu rubro.* I. B.
Rubus foliis ternatis & quinatis, coſta plerumque inermi, fructu rubro, villoſo. HALLER *Enum.* n. 3. p. 344. ubique ad ſepes. Aqua ſtillatitia fatua.

V. *Sorbus aucuparia* I. B. 1. 62.
*Aucuparia* RIVINI. RVPP. 140.
*Sorbus foliis pinnatis, glabris, fructu minimo.* HALLER *Enum.* n. 1. p. 350. *Naxburg.*

2. *Sorbus* foliis pinnatis, inferne tomentoſis, fructu majori. HALLER *Enum.* n. 2. p. 351.
*Sorbus domeſtica Auctorum* HALLER ibid. *zu Eiſenbach* circa urbem: an vere indigena?

CLAS-

# CLASSIS OCTAVA.

RVPP. VI. p. 143.

## PLANTÆ

## *Flore regulari hexapetalo*

### *Liliaceæ.* HALLER 279. l. c.

I. *Seminibus tectis capsula*

(1) *bipartita.* RVPP. (2) p. 146.

I. *Salicaria* vulgaris purpurea, foliis oblongis I. R. H. RVPP. ib. *Salicaria floribus spicatis, foliis conjugatis.* HALLER *Enum.* n. 1. p. 405. floret Julio in udosis *bey Blizenroth, zwischen Altenschlirf und Stockhausen.*

(2) *Tripartita.* RVPP. 148.

I. *Martagon* sylvaticum. RVPP. 148.
*Lilium floribus reflexis montanum flore rubente*, C. B. P.
*Lilium foliis verticillatis, floribus reflexis, corollis revolutis.* HALLER *Enum.* n. 1. p. 289. Legi Junio *an der Münz, am Hopfenberg, und Hopmansfeld*, infrequens.

II. *Ornithogalum luteum* C. B. seu pallidum majus C. B. RVPP. 149.
*Phalangium radice subrotunda, foliis & floribus umbellatis.* HALLER *Enum.* n. 5. p. 293. floret Aprili in agris *bey Sickendorf*, cum Veronica Hæderulæ folio, & *Eisenbach*, infrequens. An amicitia?

2. *Ornithogalum* angustifolium bulbiferum. C. B. RVPP. 150. Varietas ibid. cum præced.

II. *Semine tecto*

*Bacca dipyrena.* RVPP. 150. (1)

I. *Berberis* vulgaris & officinarum. RVPP. ibid.

*Berbe-*

*Berberis ſpinis triplicibus* LINNÆI. HALLER *Enum.* n. 1. p. 424. in ſepibus & dumetis circa *Eiſenbach und Stockhauſen.* Ex relatione ZEHNERI.

# CLASSIS NONA.

RVPP. VII. p. 158.

## PLANTÆ

## *Flore regulari polypetalo.*

*Gymnopolyſperma.* HALLER & BOERHAAVE.

I. *Seminibus nudis.*

I. *Ficaria* vulgaris. RVPP. 159. HALLER *Enum.* n. 1. p. 321. *Chelidonium minus* RVELLII & officin. Floret Majo cum Caltha paluſtri *bey Blizenroth*; infrequens.

II. *Nemoroſa* flore roſeo, albo expanſo. RVPP. 160. *Anemone ſemine lævi, petalis ſenis ellipticis.* HALLER *Enum.* n. 2. p. 330. floret copioſe in ſylva verſus *Eiſenbach.*

2. *Nemoroſa* flore albo: an *Anemone ſylveſtris alba, major* C. B. RVPP. 161? varietas? ibid. cum præcedente.

II. *Seminibus tectis capſula multiplici.* RVPP. 162.

I. *Aquilegia* ſylveſtris C. B. RVPP. 164. *Aquilegia foliis rotundo-lobatis.* HALLER *Enum.* n. 1. p. 310. floret Junio *zwiſchen Altenſchlirf und Stockhauſen.*

II. *Trollius.*
*Ranunculus flore globoſo, quibusdam Trollius flos.* I. B. III. RVPP. p. 162.

*Helleborus uniflorus*, petalis & filiquis plurimis. HALLER *Enum.* n. 4. p. 318. ad fepes *gegen Maar*, infrequens.

# CLASSIS DECIMA.

RVPP. VIII. p. 167.

## *Plantæ*

### *Flore regulari compofito.*

### I. *ex regularibus & irregularibus fimul.*

### (1) *Seminibus folidis.*

*Radiatæ* HALLERO plerumque.

I. *Bellis* fylveftris minor C. B. RVPP. 172.

*Bellis fcapo nudo unifloro* LINNÆI. HALLER *Enum.* n. 1. p. 722, floret Augufto in pafcuis fuburbanis. Aqua ftillatitia fatua.

II. *Chamæmelum* vulgare. RVPP. 173.

*Leucanthemum* DIOSCORIDIS. C. B. P.

*Matricaria foliis pinnatis, pinnis latis, capillariter multifidis.* HALLER. *Enum.* n. 1. p. 718. Junio copiofe am *Eichberg* & margines agrorum.

2. *Chamæmelum* foliis pene glabris, pinnis pinnatis, pinnulis latiusculis. HALLER *Enum.* n. 3. p. 717. ibid. *gegen Angersbach.*

III. *Leucanthemum vulgare.* I. R. H. RVPP. 170.

*Bellis major* DODONÆI.

*Matricaria foliis imis petiolatis, ad caulem auritis & ferratis.* HALLER *Enum.* n. 3. 8. p. 720. floret Junio, Augufto ad urbem, *Eichberg*, *Wartenbach*, *Altenvviefe*, ad fepes.

2. *Leucanthemum montanum*, folio obtufo crenato. I. R. H. HALLER l. c. g. ad fepes circa urbem; *Kalbfaug* Incolis.

IV. *Ma-*

IV. *Matricaria vulgaris.* C. B. RVPP. 173.

*Matricaria foliis pinnatis, pinnis latis, inciſis, ſemifloſculis breviſſimis.* HALLER *Enum.* n. 2. p. 719. Junio in ruderoſis; *am Stockhauſer Garten.*

V. *Millefolium* vulgare album C. B. RVPP. 174.

*Achillea pinnis foliorum plurimis, longe aequalibus, pinnatis, pinnulis trifidis & quinquefidis.* HALLER *Enum.* n. 8. p. 715. floret Junio & Auguſto in pratis ſiccis *zu Freyenſteinau.* Vires nimium decantatae.

2. *Millefolium* vulgare purpureum minus C. B. P. RVPP. ibid. varietas, ad agros.

VI. *Ptarmica vulgaris* folio longo ſerrato, flore albo. I. B. III. RVPP. ibid.

*Achillea foliis integris, minutiſſimae ſerratis* LINNÆI. HALLER *Enum.* n. 1. p. 712. Julio in humectis circa *Angersbach*, *Altenſchlirf*, *Nax[illegible]rg*, frequenter.

No. II. III. & IV. ſunt ſpecies *Matricariae* HALLERO l. c. V. & VI. ſpecies *Achilleae* HALLERO; *Millefolii* TOVRNEFORTIO.

VII. *Verbeſina* foliis tripartito diviſis. RVPP. 168.

*Bidens foliis tripartito diviſis.* HALLER *Enum.* n. 1. p. 709. ad fimeta, aquas ſtagnantes, foſſas *bey Blizenroth.*

2. *Verbeſina* minima DILLENII.

*Verbeſina ſemine bi-vel-tridentato, folio integro.* RVPP. ibid.

*Bidens foliis longe ellipticis, ſerratis, indiviſis.* HALLER *Enum.* n. 2. varietas β. autumno *zu Blizenroth*, ad fimeta.

(2) *Seminibus papposis.* RVPP. 175.

I. *Arnica* SCHROEDERI RVPP. ibid.

*Arnica foliis ovatis integris, conjugatis.* HALLER *Enum.*

n.2. p. 737. floret Junio copioſe, &, quantum innotuit, unice *auf der Altenvvieſe* cum Rore ſolis & Sphagno molliſſimo. Vnicum exemplar am *Stockhauſer Weeg.* Vires adeo decantatae, mihi, præter motus, dubiæ; ulterius & quidem clinice explorandæ.

II. *Aſter* pratenſis autumnalis Conyzæ folio I. R. H. RVPP. 181.
*Aſter foliis amplexicaulibus, criſpis ſubtus incanis, luteo flore radiato.* HALLER *Enum.* n. 3. p. 726. Julio am *Eichberg*, infrequens.

2. *Aſter* montanus luteus, ſalicis folio glabro. C. B. P. RVPP. 180.
*Aſter foliis longiſſime lanceolatis, utrinque lævibus, rariter dentatis, floribus luteis in umbella infrequente.* HALLER *Enum.* n. 9. p. 728. Julio *am Eichberg*, infrequens.

III. *Jacobæa* vulgaris laciniata. C. B. RVPP. 176.
*Senecio foliis pinnatis, pinnis multiformibus dentatis, floribus umbellatis luteis.* HALLER *Enum.* n. 3. p. 731. Auguſto ad urbem, & in monte verſus *Angersbach.*

2. *Jacobæa* viſcoſa & hirſuta. RVPP. 177.
*Senecio foliis pinguibus, pinnatis, pinnis alterne breuiſſimis, radiis perexiguis.* HALLER *Enum.* n. 5. p. 732. floret Auguſto ad ſepes.

3. *Jacobæa Alpina* foliis longioribus ſerratis I. R. H. RVPP. 176.
*Conſolida aurea* TABERNÆMONTANI.
*Senecio foliis longe ellipticis acute ſerratis, floribus umbellatis,* HALLER *Enum.* n. 9. p. 734. Julio *im Obervvald* copioſe, inde ZEHNERVS.

4. *Jacobæa* nemorenſis, latiore, rigidiore folio RVPP. 177.
*Senecio foliis ovato-lanceolatis, ſubtus hirſutis, floribus umbel-*

*umbellatis.* HALLER *Enum.* n. 10. p. 734. floret Julio in ſylvis arcis *Naxburg*, frequenter, jungitur ad modum HALLERI.

IV. *Senecio* minor vulgaris C. B. RVPP. 191.
*Senecio foliis pinnato-ſinuatis, amplexicaulibus, floribus nudis ſparſis.* HALLER *Enum.* n. 7. p. 733. floret Augusto copioſe *gegen Angersbach.* Officinalis quibusdam.

V. *Tuſſilago* Officinarum I. R. H. RVPP. 176.
*Petaſites ſcapo unifloro, floſculis in ambitu ligulatis.* HALLER *Enum.* n. 6. p. 708. copioſe in agris & ad ripas. Agreſtis folia minora, craſſiora, lanuginoſiora. Aqua ſtillatitia fatua.

VI. *Virga aurea* latifolia ſerrata C. B. RVPP. 181.
*Solidago caule erecto, racemis alternis erectis.* LINNÆI. HALLER *Enum.* n. 1. p. 721. floret Auguſto in ſaxoſis *am Hopfenberg*, ſemitas, copioſe *zu Naxburg.* Aqua ſtillatitia fatua.
No. III. IV. ſunt ſpecies *Senecionis* LINNÆI & HALLERI p. 730. *Jacobaea* I. R. H.

## II. *Ex regularibus tantum*

(1) *Seminibus pappoſis.* RVPP. 185.
*Capitatæ, floribus omnibus androgynis.* HALLER l. c. p. 674.

I. *Carduus* caule criſpo. I. B. III. RVPP. 186.
*Carduus in avena proveniens* TRAGI.
*Cirſium foliis ſemipinnatis, ſpinoſis, capitulis oblongis mitioribus.* HALLER *Enum.* n. 5. α. p. 680. Varietas glabra in ſegetibus. Vulgatiſſimum ad ſepes viasque.

2. *Carduus* Eriocephalos DODONÆI.
*Carduus capite rotundo, tomentoſo* C. B. P. RVPP ibid.
*Cirſium foliis ſpinoſis, hirſutis, ſemipinnatis, pinnis ſemibi-*

 *lobis,*

*lobis, capite rigente, tomentoso sphærico.* HALLER *Enum.* n. 6. ibid. rarum, *am Eichberg*, floret Septembri.

3. *Carduus* nutans I. B. III. 56. RVPP. ibid.
*Carduus foliorum laciniis complicatis & spinosis, capitulo spinoso nutante.* HALLER *Enum.* n. 1. p. 676. Septembri ad saxosa, arida.

II. *Cirsium* acanthoides, flore ochroleuco VAILLANT.
*Cirsium inerme, floribus inter flavescentia folia congestis* HALLER *Enum.* n. 4. p. 679.
*Cnicus pratensis, Acanthifolio, flore flavescente.* I. R. H. RVPP. 189. floret Julio, Augusto, ad sepes rivosque *zu Blizenroth, Stokhausen.*

2. *Cirsium* acaulos flore albo I. R. H. RVPP. 188.
*Cirsium caule floris longitudine* HALLER *Enum.* n. 11. p. 682. placenta edulis æstate. Junio *am Eichberg.* Sicca variationem cœli indicat.

3. *Cirsium* acaulos flore purpureo I. R. H. varietas γ. HALLER l. c. Junio *zu Eisenbach.*

4. *Cirsium* pratense polycephalon vulgare I. R. H. RVPP. ibid.
*Cirsium caule pene nudo, alis crispis obducto, capitulis mitibus, in vertice congestis.* HALLER *Enum.* n. 8. p. 681. floret Julio versus Lapidicinam.

III. *Cyanus* montanus latifolius I. R. H. RVPP. 182.
*Cyanus foliis integris, subtus tomentosis, caule alato.* HALLER *Enum.* n. 5. p. 692. Calycis squamæ ciliis nigris cinctæ. Floret Junio, in cacumine monticuli saxosi *zu Schadges.*

2. *Cyanus* segetum flore cœruleo C. B. RVPP.
*Cyanus flosculis radicalibus latissimis, septifidis.* HALLER *Enum.* n. 4. p. 691. Junio copiose in agris *am Eichberg.*

IV. *Elichrysum montanum*, folio rotundiore. RVPP. 193.

*Gna-*

*Gnaphalium sexubus tota planta distinctis.* HALLER *Enum.* n. 1. p. 698. floret Junio *am Eichberg und Billstein*, in aridis.

2. *Elichrysum* flore albo, folio longiore C. B.
*Gnaphalium flore albo* &c. HALLER *Enum.* n. 1. β. varietas flosculis omnibus femininis.

3. *Elichrysum* flore ex albo & purpureo variegato. Varietas No. 1. α. flosculis omnibus androgynis; floret ibidem cum prioribus.

4. *Elichrysum* spicatum I. R. H. RVPP. ibid.
*Gnaphalium ramis spicatis frequentissimis, alis foliorum insidentibus.* HALLER *Enum.* n. 5. p. 700. floret Augusto *zu Eisenbach.*

5. *Elichrysum* annuum, floribus conglobatis, saxatile. RVPP. ibid.
*Gnaphalium foliis mollissimis, tomentosis obtusis, umbella argentea caulem terminante.* HALLER *Enum.* n. 4. p. 699. Augusto ad acclivia paludesque.

6. *Filago* seu herba impia DODONÆI.
*Gnaphalium vulgare majus* C. B. P.
*Gnaphalium caule dichotomo, sphæris floralibus in angulo divisionis sessilibus.* HALLER *Enum.* n. 10. p. 702. in aridis circa *Eisenbach* abunde.

V. *Jacea* nigra, pratensis latifolia C. B. RVPP. 183.
*Rhaponticum foliis squalidis, tomentosis, inferioribus ad basin semipinnatis, superioribus integris.* HALLER *Enum.* n. 3. α. p. 688. floret Julio in pratis *bey Maar*, copiose circa *Eisenbach.*

2. *Jacea* pratensis folio integro Scabiosæ simili hirsuto. An varietas β vocata.

*Jacea*

*Jacea humilis pratensis incana, folio integro* AMBROS? legi *Naxburgi.*

3. *Jacea* vulgaris laciniata flore purpureo I.R.H. RVPP. 184.
*Cyanus foliis pinnatis, pinnis obtusis, dentatis* HALLER *Enum.* n. 2. p. 690. altissima crescit ibid.

No. I. 2. II. 2. 3. 4 HALLERO sunt Cirsia I. R. H. Cardui; III. 2. V. 3. HALLERO Cyani I. R. H. Jacææ.

VI. *Lappa* & *Bardana* officin. I. R. H. RVPP. 189.
*Lappa capitulis glabris majoribus* HALLER *Enum.* n. 2. p. 675. Junio copiose *bey Lauterbach und der Schlagmühle.*

2. *Lappa* minor montana, capitulis tomentosis, seu capitulis DIOSCORIDIS. An ea, quæ RVPPIO?
*Lappa major montana, capitulis tomentosis,* seu *Arcium* DIOSCORIDIS. p. 189?
*Lappa capitulis & foliorum facie inferiore tomentosis.* HALLER *Enum.* n. 1. p. ibid. *in der Hard.*

VII. *Petasites* major & vulgaris C. B. RVPP. 190.
*Petasites floribus spicatis, flosculis omnibus androgynis.* HALLER *Enum.* n. 1. p. 706. Aprili & Majo *in dem Bach zu Eisenbach* copiose.

(2) *Seminibus non papposis sive solidis.* RVPP. 195.

*Absinthium Ponticum* seu *Romanum officin.* RVPP. 196. ad hortulum suburbii legi, sed valde suspicor non esse indigenam plantam, sed inde elapsam.

I. *Artemisia* vulgaris major C. B. RVPP. ibid.
*Artemisia foliis planis semipinnatis, pinnis rariter dentatis, floribus erectis, dense spicatis.* HALLER *Enum.* n. 5. p. 696 floret Augusto ad rivum *auf denen Angersbacher Wiesen, beym Steeg gegen Eisenbach und Hopfenberg.*
Artemisia hæc, *virgis* scil. *rubentibus* (4) HALLER *Enum.*

l. c.

l. c. caulis lignoſior, ſummitatum folia in tres lacinias diviſa. Contra albæ ſeu *frutice candido* (β) caulis debilior, ex rubro & albo variegatus, apicis folia non laciniata, anguſta, oblonga; nonne cum BLAIRIO duæ potius ſpecies, quam varietates?

III. *Plantæ flore regulari, compoſito ex irregularibus tantum.*

(1) *Seminibus papposis* RVPP. 197.

*Compoſitæ Cichoraceæ.* HALLER p. 739.

I. *Dens leonis* latiore folio C. B. RVPP. ibid.

*Taraxacum pinnis foliorum triangularibus.* HALLER *Enum.* n. 1. α. p. 739. *am Hopfenberg.*

II. *Hieracium* majus anguſtifolium erectum, caule lævi C. B. RVPP. 198.

*Hieracioides foliis ad terram ſerratis ad caulem pinnatis, pinnis alterne majoribus, caule pene nudo multifloro.* HALLER *Enum.* n. 2. p. 750. floret Julio *in der Steeger.*

2. *Hieracium* Chondrillæ folio glabrum C. B.

*Hieracioides foliis variis, glabris, caule ramoſiſſimo.* HALLER *Enum.* n. 4. p. 751. α. Julio ad vias umbroſas.

3. *Hieracium* murorum, folio piloſiſſimo C. B. RVPP. 201.

*Pulmonaria Gallorum* GESNERI.

*Hieracium foliis ad terram piloſis, acute dentatis, caule brachiato, pene nudo.* HALLER *Enum.* n. 12. p 745. Infrequens *am Toden-Kinde, im Rudloſer Wald*, ad muros arcis *Eiſenbach.*

4. *Hieracium* fruticoſum, latifolium, hirſutum C. B. P. 129. RVPP. 200.

*Hieracium caule continuo folioſo, foliis ellipticis acuminatis, firmis, dentatis.* HALLER *Enum.* n. 17. p. 747. Julio *auf dem Eichberg.*

5. *Hieracium* latifolium glabrum RVPP. ibid.
*Hieracium foliis amplexicaulibus, minute dentatis* HALLER *Enum.* n. 20. p. 748. ibid.

6. *Hieracium* Dentis Leonis folio, obtuso majus C. B. RVPP. 197.
*Hypochoeris vulgaris major*, ex schedis HALLERI.
*Hypochoeris dentibus foliorum rectangulis, caule nudo ramoso.* HALLER *Enum.* n. 1. p. 759. Junio *zu Stockhausen, Freyenstein.*

7. *Hieracium* minus Dentis leonis folio subaspero C. B. RVPP. 199. Majo *zu Eisenbach, Hard*, ad sepes frequens. Varietas aut eadem?

III. *Pilosella* major repens, minus hirsuta. RVPP. 203.
*Hieracium piloselloides vulgare* VAILLANT.
*Hieracium foliis virentibus pilosis, ouato-lanceolatis, scapo simplici multifloro.* HALLER *Enum.* n. 3. p. 743. Junio ad vias publicas, *Eichberg, Huttenberg*, frequens.

2. *Pilosella* montana, hispida, parvo flore. RVPP. 203.
*Hieracium Pilosellæ folio erectum majus* I. R. H.
*Hieracium foliis longe lingulatis, pilosis, caule imo folioso, erecto, multifloro.* HALLER *Enum.* n. 5. I. p. 743. ad muros saxaque, *Eichberg.*

IV. *Prenanthes* flore luteo LINNÆI.
*Chondrilla Sonchi folio, flore luteo pallescente.* I. R. H. RVPP. 206.
*Prenanthes flosculis quinis, foliis pinnato-hastatis.* HALLER *Enum.* n. 2. p. 755. Junio *am Hopfenberg, Stockhausen, in der Hard* infrequens.

V. *Sonchus repens*, multis *Hieracium majus.* RVPP. 205.
*Sonchus foliis semipinnatis, rigidiusculis, calycibus nigris & hispidis.* HALLER *Enum.* n. 1. ... p. 752. Julio in agris.

2. *Son-*

2. *Sonchus* lævis laciniatus, latifolius. RVPP. 205.
*Sonchus foliis lævibus & teneris, calycibus glabris.* HALLER *Enum.* n. 3. γ. Julio ad mœnia, infrequens.
Sereno cœlo flores pandere, ingruentibus imbribus complicare vidit LINNÆVS ante me, & me inſcio. Vid. ejus *Amœnit. Botan.* (Sponſal. plantar.) p. 335. Borea complicatos, Fauonio expanſos; cœlo nubilo & tranquillo, horis matutinis, clauſos; meridianis ſole radiante apertos, itidem obſervavi in Friſia 17 $\frac{r}{8}$ 47. In plantæ hujus, ſociarumque irritabilitatem ulterius inquirendum Naturæ Curioſis. LINNÆI Opuſc. an. 1749. legi.

VI. *Taraxaconoides* vulgaris hirſutus VAILLANT.
An *Hieracium Dentis leonis folio monoclonon* C.B. RVPP. 197? (ad No. I. hujus Sect.)
*Taraxacum foliis aſperis, triangulariter dentatis, pappo plumoſo, calyce hiſpido.* HALLER *Enum.* n. 6. p. 741. floret Junio *zu Eiſenbach in der Hard, Stockhauſen.*

VII. *Tragopogon* pratenſe, luteum majus C. B. RVPP. 208.
*Tragopogon foliis carinatis amplexicaulibus, gramineis, flore luteo.* HALLER *Enum.* n. 1. p. 758. floret Julio, legi ad montem arcis *Eiſenbach*, in vicinia horti; an vere indigena? Aquæ ſtillatitiæ hujus Sect. III. fatuæ.
(2) *Seminibus non pappoſis ſive ſolidis.* RVPP. 208.

## *Cichoraceæ.* HALLER.

I. *Cichorium* ſylveſtre ſive officin. RVPP. ibid.
*Cichorium foliis pinnatis, pinnis triangularibus dentatis.* HALLER *Enum.* n. 1. p. 761. Julio in ſuburbio, ad viam *gegen Angersbach*, in ſterilibus frequens. Aqua ſtillatitia TRALLESIO fatua l. c.

II. *Lampſana* DODONÆI. RVPP. 209.

*Lampsana foliis imis ad petiolum pinnatis, superioribus lanceolatis serratis.* HALLER *Enum.* n. 1. p. 759. floret Augusto *am Hopfenberg* ad sepes, inter olera. Vires saponaceæ.

IV. *Plantæ flore composito ex polypetalo & regularibus* RVPP. 212.

*Capitatæ.* HALLER 675.

I. *Carlina* sylvestris, vulgaris CLVSII.

*Carlina caulescens, magno flore* C. B. RVPP. ibid.

*Carlina caule ramoso, floribus umbellatis.* HALLER *Enum.* n. 1. p. 685. floret Augusto, ad saxa viarum.

# CLASSIS VNDECIMA.

RVPP. IX.

## PLANTÆ

## *Flore irregulari monopetalo.*

I. *Semine nudo unico.*

*Gymnospermæ*, BOERHAAVE.

*Dypsaceæ* HALLERO 662.

I. *Scabiosa* pratensis hirsuta officin. RVPP. 215.

*Scabiosa caule & foliis subhirsutis, imis ovatis, superioribus semipinnatis.* HALLER *Enum.* n. 1. *a.* p. 669. Junio legi *am Huttenberg am Gipfel bey Schadges*, cum Cyano.

2. *Scabiosa* latifolia rubro flore C. B.

*Scabiosa foliis ovato-lanceolatis, per oram serratis & subhirsutis, caule hispido.* HALLER *Enum.* n. 4. p. 671. legi Junio *am Rothen-Rain.*

II. *Valeriana* palustris major C. B. RVPP. 214.

*Valeriana foliis omnibus pinnatis* LINNÆI. HALLER *Enum.* n. 1. p. 662. legi Junio *bey Lauterbach.*

2. *Va-*

2. *Valeriana* ſylveſtris nigra. An varietas prioris? in udoſis *zu Freyenſteinau* eod.

3. *Valeriana* paluſtris, floribus ex alis foliorum. HALLER ex ſchedis, RVPPIO non notata.

*An Valeriana foliis imis ovalibus, ſuperioribus plerumque pinnatis, ſexu diſtincta.* HALLER *Enum.* n. 2. p. 663? odor ſuaviſſimus, floret Majo *zu Eiſenbach und bey der Schlagmühle*, infrequens.

III. *Valerianella* aruenſis præcox, humilis, ſemine compreſſo MORISON. RVPP. 215.

*Valerianella caule dichotomo, foliis oblongis, rariter inciſis, ſeminis mucrone ſimplici.* HALLER *Enum.* n. 1. p. 666. floret Junio copioſe *zu Eiſenbach.*

2. *Valerianella* aruenſis, ſerotina, altior ſemine turgidiori, MORISON. RVPP. ibid.

*Valerianella caule dichotomo foliis oblongis plerumque ſerratis, ſeminis corona tridentata.* HALLER *Enum.* n. 2. ibid. floret Julio copioſe in aruis *gegen Eiſenbach und Angersbach.*

II. *Seminibus nudis quaternis.* RVPP. 218.

*Gymnotetraſperma verticillata* RIVINI.

*Ringentes.* ROYEN.

*Dimeizones.* HALLER.

I. *Acinos* RIVINI. RVPP. 233.

*Clinopodium verticillis paucifloris, ab imo ad ſummum diſperſis.* HALLER *Enum.* n. 3. p. 654. floret Septembri *am Eichberg.*

II. *Betonica* RIVINI & officin. RVPP. 230.

*Betonica purpurea* C. B.

*Betonica foliis inter verticillos in vertice congeſtos brevis-*

*ſimis & integris*, HALLER *Enum.* n. 3. p. 646. floret Junio *am Eichberg* & *Eiſenbach* copioſe: folia latiora, ſaturatius virentia.

2. *Betonica* purpurea, ſpica longiori ZAN. Varietas ſerotina, altior, ramoſior. HALLER *Enum.* n. ibid. III. p. cit. Planta alta, odoratior priore, folia anguſtiora, in apricis ad ſcopulos *am Eichberg*, RVPPIO non notata.

III. *Bugula* montana RIVINI. RVPP. 231.
*Bugula foliis anguloſe dentatis, caule ſimplici.* HALLER *Enum.* n. 3. p. 635. floret Junio in apricis *zu Freyenſteinau.*

IV. *Cardiaca* J. B. III. RVPP. 228. RIVIN.
*Cardiaca foliis trilobis.* HALLER *Enum.* n. 1. p. 639. floret Julio ad rudera arcis *Naxburg.*

V. *Caſſida* paluſtris vulgatior flore cœruleo I. R. H. RVPP. 223.
*Tertianaria* I. B. TABERNÆMONTANI.
*Caſſida foliis cordatis, longe decreſcentibus, ſerratis, floribus gemellis.* HALLER *Enum.* n. 1. p. 635. floret Junio *am Teich zu Eiſenbach und Steeger.* Differuit Amicus EICHROTH, Bada-Durlacenſis Med. D. de *Tertianaria* BASILEÆ 1737. 4to. Vires dubiæ Cortici Peruviano certiſſime ſecundæ. Legi eam quoque 1744. in Haſſia infer. ad Cataractas artificiales Rege haud indignas arcis *Weiſenſtein*, haud procul *Caſſellis* ſocio Cl. HVBERO P. P. &c.

VI. *Clinopodium* Origano ſimile elatius. RVPP. 233.
*Clinopodium verticillis denſiſſimis, diſſitis, foliis ex menta ovatis acuminatis.* HALLER *Enum.* n. 1. p. 653. floret Julio *bey Eiſenbach.*
Ob figuram floris ſeminumque nudorum numerum huc pertinet Aſperifolium.

VII. *Echium* vulgare C. B. RVPP. 218.
*Echium foliis lingulatis, hiſpidis ex ſingulis alis ſpicatum*

HAL-

HALLER *Enum.* n. 513. floret Junio *zu Freyenſteinau*, Auguſto *zu Eiſenbach*, ad vias publicas, copioſe.

VIII. *Galeopſis* procerior, calyculis aculeatis, flore purpuraſcente I. R. H.

*Cannabis* ſpuria RIVINI. RVPP. 226.

*Galeopſis, foliis & caule fulcrato hiſpidis, flore duplo, calyce longiore.* HALLER *Enum.* n. 1. p. 644. Legi Julio ad ſepes *zu Stockhauſen.*

2. *Galeopſis* patula ſegetum, purpuraſcente flore. I. R. H.

*Ladanum ſegetum* RIVINI. RVPP. ibid.

*Galeopſis foliis longe ellipticis, ſubhirſutis.* HALLER *Enum.* n. 4. p. 645. floret Septembri ad ſegetes.

IX. *Hedera* terreſtris RIVINI. RVPP. 232.

*Chamaeclema caulibus procumbentibus, radicatis, foliis cordiformibus, petiolatis.* HALLER *Enum.* n. 1. p. 652. floret Majo *zu Eiſenbach und an der Burgmauer zu Lauterbach.*

X. *Horminum pratenſe* RIVINI. RVPP. 222.

*Salvia foliis lanceolatis, verticillis raris & diſſitis* HALLER *Enum.* n. 1. p. 638. in apricis *zu Eiſenbach.*

XI. *Lamium* purpureum, non fœtens, folio oblongo C. B.

*Galeopſis* RIVINI. RVPP. 224.

*Laminum foliis diſſitis cordatis, acutis.* HALLER *Enum.* n. 1. *α.* p. 640. Septembri *bey Blitzenroth.*

2. *Lamium* vulgare album, ſive Archangelica flore albo PARKINSON. RVPP. 225. Varietas HALLERO alba prioris *β.* l. c. p. 641. floret Junio & Julio *bey der Steinmühle, Angersbach.*

3. *Lamium* flore luteo RIVINI.

*Galeopſis ſive Vrtica iners flore luteo* I. B. RVPP. 227.

*Cardiaca foliis cordiformibus.* HALLER *Enum.* n. 2. p. 640.

640. Majo *am Hopfenberg*, infrequens; juxta HALLERVM l. c. ad No. IV. pertineret.

4. *Lamium* purpureum fœtidum, folio ſubrotundo, ſeu Galeopſis DIOSCORIDIS. C. B. P. 230.
*Galeopſis minor* RIVINI. RVPP. 224.
*Lamium foliis cordatis, obtuſis, in ſummo caule congeſtis.* HALLER *Enum.* n. 2. p. 641. Junio copioſe *bey Lauterbach.*

5. *Lamium* folio caulem ambiente C. B. P.
*Galeopſis folio caulem ambiente* RIVINI. RVPP. 225.
*Lamium foliis ſuperioribus amplexicaulibus.* HALLER *Enum.* n. 3. p. ibid. Odor ſuavis; floret Junio in agris *bey der Münz.* Vires Lamii albi (2) dubiæ in fluore albo, a CARLIO licet in *Therapia* p. 293. decantatæ.

XII. *Lycopus* paluſtris, glaber I. R. H. RVPP. 230.
*Lycopus* HALLER *Enum.* n. 1. p. 660. *bey Blizenroth.*

XIII. *Mentha* aruenſis verticillata, hirſuta I. B. RVPP. 229. Odor nauſeoſus dulcis.
*Mentha floribus verticillatis, foliis ovatis, acutis ſerratis* LINNÆI. HALLER *Enum.* n. 4. p. 658. Julio in ſuburbanis pratis humidis frequens.
Nobilis Suecus inde *Thee* ſuccedaneum paravit teſte LINNÆO in Itin. Goth. Occid. *Stockholm*, 1747. Biblioth. raiſonneè Tom. 39. P. II. p. 2791.

XIV. *Origanum* ſylveſtre C. B. P. p. 65. RVPP. 235.
*Origanum ſpicis folioſis, breviſſimis, coloratis, umbellatis.* HALLER *Enum.* n. 1. p. 656. ad ſylvas.

XV. *Prunella* RIVINI. RVPP. 224.
*Prunella foliis dentatis, ſpica folio minore.* HALLER *Enum.* n. 1. p. 636. floret Auguſto *am Hopfenberg*, *Blizenroth*, ubique folia hirſuta inordinatim poſita.

2. *Pru-*

2. *Prunella vulgaris, flore minore albo, folio non dissecto.* Varietas c. HALLER l. c. Habitus glaber. Julio *in der Hard* & *in der Steeger.*

3. *Prunella folio non dissecto, flore rubro majore;* habitus glaber, folia conjugata pauca; immo longo insident pediculo. An *Prunella foliis integris vix dentatis, spica foliis majori.* HALLER *Enum.* n. 2. p. 637? ibid. infrequens.

4. *Prunella flore ex rubro & albo.* Varietas (n. 2.) crescit Julio *in der Hard*, infrequens cum Belladonna.

XVI. *Scorodonia* RAII. RVPP. 220.
*Chamaedrys foliis cordatis, scapis florigeris, nudis, spicatis, longissimis.* HALLER *Enum.* n. 3. p. 632. floret Majo *in der Steeger.*

XVII. *Serpillum vulgare minus* C. B. RVPP. 234.
*Thymus verticillis in summis ramis congestis, foliis ovalibus, basi ciliatis, flore minore.* HALLER *Enum.* n. 1. p. 654. floret Junio ad vias *zu Freyensteinau.*

2. *Serpillum citratum* RIVINI. RVPP. ibid.
Varietas prioris Citri odore HALLER γ. l. c. p. 655. floret Augusto *am Eichberg.*

3. *Serpillum vulgare majus, flore purpureo* C. B. RVPP. ibid.
*Thymus verticillis in summis ramis congestis, foliis ovatis,* basi ciliatis, *flore majore* HALLER *Enum.* n. 3. flore quatuor lineas longo γ. p. 656. crescit ibidem.

XVIII. *Stachys palustris* RIVINI. RVPP. 227.
*Stachys verticillis spicatis, foliis subhirsutis, ellipticis, ad basin emarginatis.* HALLER *Enum.* n. 4. p. 643. Julio *Naxburg.*

2. *Stachys sylvatica* RIVINI. RVPP. ibid.
*Stachys foliis cordatis, acuminatis, floribus laxe spicatis*

LINNÆI. HALLER *Enum.* n. 1. p. 642. Julio floret in ſylva *Naxburg*, *in der Hard und Eiſenbacher Wald.*

3. *Stachys* aruenſis minima RIVINI. RUPP.

An *Betonica foliis inter diſſitos verticillos longioribus ellipticis, ſerratis.* HALLER *Enum.* n. 1. p. 645? Auguſto ad muros arenoſaque infrequens.

XIX. *Verbena* RIVINI. RVPP. 236.

*Verbena foliis laciniatis ſuperioribus tripartitis, ſpicis anguſtis longiſſimis.* HALLER *Enum.* n. 1. p. 661. Junio in incultis infrequens. Aqua ſtillatitia fatua.

III. *Seminibus tectis capſula*

(1) bipartita. RUPP. (2) p. 238.

HALLERO ut ſupra.

I. *Antirrhinum* aruenſe RIVINI. RUPP. 241.

*Antirrhinum floribus ſparſis ſeſſilibus, calyce brevioribus, calcare deſtitutis.* HALLER *Enum.* n. 8. p. 615. Julio, Auguſto *im Reichloſer Wald*, Septembri in aruis, v. gr. *in der Münz*; infrequens.

II. *Euphraſia* officin. C. B. RUPP. 240. flore cœruleo.

*Euphraſia foliis ovatis acute dentatis* LINNÆI. HALLER *Enum.* n. 1. p. 628. floret Auguſto, Septembri in pratis humidis copioſe.

2. *Euphraſia* ramoſa, pratenſis flore albo, varietas. Julio in pratis ſiccis *Angersbach.* Euphraſiæ vires ophthalmicæ a ſignatura deſumptæ, falſæ. Aqua ſtillatitia ejus fatua TRALLES l. c.

III. *Hyoſciamus* vulgaris vel niger RVPP. 248.

*Hyoſciamus foliis amplexicaulibus* LINNÆI. HALLER *Enum.* n. 1. p. 512. floret Julio ad vias publicas in ſuburbio, *Eiſenbach* infrequens.

IV. *Li-*

IV. *Linaria* RIVINI & officin. RVPP. 242.
*Antirrhinum foliis linearibus, aſcendentibus, congeſtis ramis ſpica denſa florali terminatis.* HALLER *Enum.* n. 6. p. 614. copioſe Auguſto *am Eichberg.*

2. *Linaria* pumila, vulgatior, aruenſis I. R. H. RVPP. ibid.
*Antirrhinum foliis longis, obtuſis viſcidis, caule erecto ramoſiſſimo calcare brevi.* HALLER *Enum.* n. 7. p. 615. Junio copioſe in agris *am Eichberg.*
Vnguento ex No. IV. nimis tribuitur virium.

V. *Melampyrum* ſylvaticum RIVINI. RVPP. 239.
*Melampyrum ſpica laxiſſima, foliis inter flores laciniatis, patentibus.* HALLER *Enum.* n. 3. p. 626. Junio in ſylva verſus *Hopmansfeld;* frequens in Sileſia legi.

2. *Melampyrum* montanum RIVINI. RVPP. ibid.
*Melampyrum floribus ſparſis, ſeſſilibus, binatis, foliis ſuperioribus inciſis.* HALLER *Enum.* n. 4. p. ibid. Auguſto *am Eichberg.*

VI. *Odontites* RIVINI & TABERNÆMONTANI. RVPP. ibid.
*Odontites foliis inter flores ſerratis.* HALLER *Enum.* n. 1. p. 627. Julio verſus *Angersbach*, in acclivibus, & *Naxburg.*

VII. *Pedicularis* RIVINI. RVPP. 240.
*Pedicularis caule ramoſo, erecto, calyce bifido.* HALLER *Enum.* n. 4. p. 621. Junio *bey der Eichmühle*, in udis copioſe.

2. *Pedicularis* humilior. RVPP. ibid.
*Pedicularis caule ramoſo, procumbente, floribus ſparſis obtuſis.* HALLER *Enum.* n. 5. p. 622. Junio *in Beervvald.*

VIII. *Scrophularia* RIVINI & officin. RVPP. 241.
*Scrophularia foliis cordatis, conjugatis, caule & ramis ſpi-*

*ca nuda paniculata terminatis*, HALLER *Enum.* n. 2. p. 619. Julio *an dem Bach nach Eiſenbach*, Septembri *zu Freyenſteinau.*

IX. *Verbaſcum* mas, latifolium, luteum, C. B. P. RVPP. 247. *Verbaſcum foliis ovato- acutis utrinque tomentoſis, floribus in ſpica denſiſſima ſeſſilibus.* HALLER *Enum.* n. 1. p. 507. Julio ad ſepes *bey Lauterbach*, infrequens.

2. *Verbaſcum* nigrum flore ex luteo purpuraſcente C. B. P. RVPP. ibid.
*Verbaſcum foliis ſerratis, ſuperne rugoſis, inferne ſubhirſutis, petiolis ramoſis, ſtaminum barba purpuraſcente.* HALLER *Enum.* n. 3. flore luteo β. p. 511. Julio floret ad rivos, mœnia, ſepes *Altenſchlirf, in der Hard, Stockhauſen.*

X. *Veronica* aquatica major folio oblongo MORISON.
*Beccabunga folio oblongo major.* RVPP. 246.
*Veronica aquatica foliis ovatis acuminatis ex alis racemoſa.* HALLER *Enum.* n. 2. p. 528. Julio in foſſis *beym Schlizenhaus* & *Blizenroth.*

2. *Veronica* aquatica, anguſtifolia ſcutellata C. B. RVPP. 244. RIVINI.
*Veronica foliis lineari- lanceolatis integris, ramis laxe floriferis* LINNÆI. HALLER *Enum.* n. 1. II. p. 527. 528. legi unice Junio in palude, cui nomen *der Keller*, ad viam inter *Rudlos* & *Landeshauſen* copioſe.

3. *Veronica* foliis Chamædryos RIVINI. RVPP. 245.
*Veronica floſculis oblongis pediculis inſidentibus Chamædryos folio* I. R. H.
*Veronica foliis cordatis, crenatis floribus ſolitariis pedunculatis.* ROYEN. HALLER *Enum.* n. 16. p. 534. floret Junio in arenoſis, *bey der Oelmühle*, flore cœruleo.

4. *Ve-*

4. *Veronica* Chamædryos folio, flore cœruleo, pediculis florum brevioribus; legi Augusto locis aridis ibid. an varietas, an species?
5. *Veronica* Chamædryos folio, flore albo; legi ibid. Varietas num. 3.
6. *Veronica* Chamædryos folio, flore ex albo & cœruleo variegato. Varietas. ibid. eod. cum præcedentibus. 3. 4. 5.
7. *Veronica* flosculis cauliculis adhærentibus MORIS. RVPP. ibid.
   *Veronica foliis subrotundis crenatis, petiolis calyce brevioribus.* HALLER *Enum.* n. 15. p. 533. floret Majo *am Hopfenberg*, Augusto *zu Eisenbach*, in asperis, infrequens.
8. *Veronica* Hederulæ folio RIVINI. RVPP. ibid.
   *Veronica foliis latis, quinquelobis, calycis segmentis sagittatis.* HALLER *Enum.* n. 17. p. 539. flore albo & cœruleo in agris *bey Sickendorff*, cum Ornithogalo floret Aprili, & in suburbio, infrequens.
9. *Veronica* pratensis latifolia RIVINI. RVPP. 244.
   *Veronica foliis cordatis, superioribus majoribus acutioribus ex alis racemosa.* HALLER *Enum.* n. 5. p. 529. Legi Junio *bey Lauterbach* ad sepes copiose.
10. *Veronica* montana RIVINI. RVPP. ibid.
   *Veronica foliis imis cordatis superioribus angustioribus ellipticis, ex alis racemosa.* HALLER *Enum.* n. 6. p. ibid. *Reichloos.*
11. *Veronica* Rutæ folio RIVINI. RVPP. 245.
   *Veronica foliis trifidis & quinquefidis* HALLER *Enum.* n. 18. p. 538. floret Aprili in agris *bey Lauterbach*, Majo *zu Eisenbach.*
12. *Veronica* officin. RVPP. 244.
   *Veronica foliis siccis, ovatis serratis, caule procumbente,*

*ex alis racemosa.* HALLER *Enum.* n. 7. p. 530. Augusto in sylvis copiosissime; ad sepes infrequens. Aqua stillatitia fatua. Infusum praestat.

13. *Veronica* Serpillifolia pratensis C. B.
*Veronica erecta sylvestris* RIVINI. RVPP. ibid.
*Veronica foliis ovatis, raro crenatis, floribus longe spicatis, glabris, fructu bifido.* HALLER *Enum.* n. 14. p. 533. floret Majo ad saxosa *am Hopfenberg, Rothen-Rain,* infrequens.

(2) *Capsula tripartita.* RVPP. (3) 248.

I. *Rapunculus* corniculatus spica longiore RIVINI. RVPP. 248.
*Rapunculus foliis imis cordatis, superioribus angustis, spica cylindrica longissima.* HALLER *Enum.* n. 5. flore albo *α.* p. 498. floret Junio *bey Eisenbach, und Steinmühle.*

2. *Rapunculus* corniculatus spica breviori, ibid. flore cœruleo. Varietas prioris HALLER l. c. *β.* Junio copiosissime *auf denen Wiesen bey Blizenroth.* Incolis: *unsers Herrn-Gotts-Bärtgen.* Incola calidioris Helvetiae. HALLER l. c.

IV. *Seminibus tectis bacca*
*Polypyrena.* RVPP. 248.

I. *Belladonna* majoribus foliis & floribus T.
*Belladonna* CLVSII. HALLER *Enum.* n. 1. p. 507. RVPP. 252. Infusum radicis in spiritu frumenti, loco *aquae* sic dictae *vitae* assumtum, deliria excitavit. Baccae a gallinis innoxie commestae, proprio experimento.

II. *Xylosteum* RIVINI. RVPP. 250.
*Caprifolium* floribus geminis, foliis ovatis, lanuginosis integerrimis. HALLER *Enum.* n. 1. p. 464. ad sepes infrequens. Incolis: *Seeiholz.*

CLAS-

# CLASSIS DVODECIMA.

RVPP. X. p. 252.

## *Plantæ*

### *Flore irregulari tripetalo.*

*Papilionaceis affines.* HALLER.

1. *Polygala* major C.B. RVPP. cit.
*Polygala foliis omnibus acutis.* HALLER *Enum.* n. 1. p. 606. flore cœruleo γ. *am Eichberg.*

2. *Polygala* flore albo. Varietas HALLER β. Majo in pratis ſiccis, infrequens.

3. *Polygala* flore ex albo & purpureo variegato. Varietas δ. HALLER l. c. Junio *am Wernerberg, zwiſchen Angersbach und Landenhauſen*, infrequens.

4. *Polygala* vulgaris C.B. RVPP. 253.
Polygala foliis imis ſubrotundis, ſuperioribus anguſtis, acutis. HALLER *Enum.* n. 2 ibid. Majo ad ſepes frequens.

# CLASSIS DECIMA TERTIA.

RVPP. XI. ibid.

## PLANTÆ

### *Flore irregulari tetrapetalo.*

*Meizoſtemones.* HALLER 565.

*Leguminoſæ.* BOERHAAVE.

I. *Seminibus tectis.*

(1) *Capſula ſimplici.* RVPP. ibid.

1. *Fumaria* DIOSCORIDIS & officin. RVPP. cit.
*Fumaria pericarpiis monoſpermis* LINNÆI. HALLER *Enum.* n. 3. p. 605. Auguſto ad ſepes *am Eichberg*, infrequens.

2. Fu-

2. *Fumaria* bulbosa, radice rotunda non cava major. C. B. P. p. 144.
*Split radice rotunda non cava.* RVPP, 268.
*Fumaria caule non ramoso, multifolia, radice bulbosa solida, foliis inter flores digitatis.* HALLER *Enum.* n. 2. p. 605. Aprili ibid.

3. *Fumaria* bulbosa radice cava, flore purpureo. I. B.
*Split sylvaticum præcox, radice rotunda.* RVPP. ibid.
*Fumaria caule simplici bifolio, radice cava, foliis inter flores integris.* HALLER *Enum.* n. 1. p. 604. floret Aprili in dumetis circa *Eisenbach* & *Eichberg*.

4. *Fumaria* flore albo, varietas γ. HALLER.

5. *Fumaria* flore ex albo & carneo variegato. Varietas egregia 3. 4. 5. copiose florent ad hortulum arcis *Eisenbach*. Aqua stillatitia fatua.

II. *Genistella* RIVINI. RVPP. 266.
*Genista tinctoria germanica* C. B. P.
*Genista foliis confertis, ovalibus, acutis, floribus sessilibus spicatis.* HALLER *Enum.* n. 1. p. 592. Junio ad sepes *zu Freyensteinau*, infrequens.

2. *Genistella* spinosa RIVINI. RVPP. ibid.
*Genista foliis ovato-lanceolatis, spinis in ramis senescentibus ramosis.* HALLER *Enum.* n. 3. p. 593. Junio *am Eichberg*, *Asberg*, *Ochsenkopf*, copiose.

3. *Genista* RIVINI & officin. german. RVPP. 265.
*Genista foliorum parte prima cauli adnata elliptica; altera patente lanceolata.* HALLER *Enum.* n. 4. p. ibid. Junio legi florentem in sylva, *zwischen Rudloos und Angersbach*, copiosissime.

III. *Impatiens* RIVINI. RVPP. 269.

Bal-

*Balsamina lutea* C. B. Baf. p. 88.
*Impatiens pedunculis solitariis multifloris.* HALLER *Enum.* n. 1. p. 505. LINN. *Hort. Cliffort.* Julio in umbrosis, ad ruderosa, ad viam, quæ ducit ad *Eisenbach*, ad rivum infrequens, *bey der Eichmühle am Eichberg*, *Naxburg*.

IV. *Lathyrus* pratensis RIVINI. RVPP. 260.
*Lathyrus foliis binatis, acutis, capreolo non ramoso.* HALLER *Enum.* n. 10. p. 597. floret Julio *bey der Papiermühle.*

V. *Lens* RIVINI. RVPP. 258. HALLER *Enum.* n. 1. p. 601. feritur *bey Landenhausen.* Legumina, etsi non indigena, solent in floras recipi. HALLER l. c. p. 602.

VI. *Lotus* RIVINI. RVPP. 267.
*Lotus floribus umbellatis, siliquis pendulis, caule erecto.* HALLER *Enum.* n. 2. p. 571. floret Junio *am Eichberg.*

VII. *Medica* sylvestris, floribus croceis I. R. H.
*Falcata* RIVINI. RUPP. 264.
*Medica caule procumbente, siliqua semel inflexa, floribus racemosis, siliqua reniformi monosperma.* HALLER *Enum.* n. 4. p. 579. Augusto floret *zu Angersbach*, infrequens.

VIII. *Melilotus* minima RIVINI. RUPP. 256.
*Medicago capsulis reniformibus* I. R. H.
*Medica floribus racemosis, siliqua reniformi monosperma.* HALLER *Enum.* n. 4. p. 579. Augusto floret *zu Angersbach*, infrequens.

2. *Melilotus* officinarum Germaniæ C. B. P. RUPP. ibid.
*Melilotus siliquis turgidis, brevibus, obscure transversim rugosis.* HALLER *Enum.* n. 1. p. 587. Junio ad marginem agri *zwischen Angersbach und Maar* unice.

IX. *Orobus* RIVINI. RVPP. 258.
*Orobus caule simplicissimo, foliolis pluribus ovatis acutis* LINNÆI. HALLER *Enum.* n. 1. p. 602. floret Maio *am Eichberg.* Incolis *Ring-Kraut.* Infusum contra Lumbaginem valet.

2. *Orobus* ſylvaticus, foliis oblongis glabris T.
*Orobus caule non ramoſo, foliis imis ovatis, ſupernis ellipticis acutis.* HALLER *Enum.* n. 3. p. 603.
*Orobus radice tuberoſa* RIVINI. Auguſto floret *am Hopfenberg*. RVPP. ibid.

3. *Orobus* ſylvaticus flore purpureo, Aſphodeli radice. I. R. H. 393.
An *Orobus caule ramoſo*, HALLER *Enum.* n. 4. p. 603? RVPPIO non notatus. Majo florentem legi *am Eichberg*, Junio *auf der Wartenbach*.

X. *Trifolium* aruenſe humile, ſpicatum, ſive *Lagopus*. C. B. 328.
*Lagopus* DODON. RVPP. 255.
*Trifolium ſpicis villoſis, calyce & denticulis plumoſis.* HALLER *Enum.* n. 9. p. 583. ad ſepes.

2. *Trifolium* folio longo flore purpureo RIVINI.
*Trifolium ſpicis villoſis, foliis inſidentibus, vaginarum caudis latioribus.* HALLER *Enum.* n. 12. p. 585. RVPP. 254. Junio infrequens *zu Stockhauſen*. Folia macula alba in centro notata, margo hirſutus.

3. *Trifolium* RIVINI. RUPP. ibid.
*Trifolium ſpicis villoſis, foliis inſidentibus, vaginarum caudis capillaribus.* HALLER *Enum.* n. 13. p. ibid. frequens ubique Junio.

4. *Trifolium* flore albo RIVINI. RUPP. ibid.
*Trifolium pratenſe album* C. B.
An *Trifolium caule erecto, ſpicis albis denſis brevibusque terminato, foliis nervoſis, inferne ſubhirſutis.* HALLER *Enum.* n. 8. p. 583? in humidis, *bey Lauterbach*.

5. *Trifolium* lupulinum non ramoſum, flore ſaturate luteo. HALLER ex ſchedis.

An

An *Lupulinum montanum capitulis spadiceis* RUPP. 256?
*Trifolium racemis ovalibus strepentibus, maximis, caule erecto, non diffuso.* HALLER *Enum.* n. 3. p. 581? Junio, infrequens *in der Münz, auf der Alten-Wiese.*

6. *Trifolium* pratense, capitulo lupuli minimum. HALLER ex schedis.
*Lupulinum minimum.* RUPP. ibid. juxta HALLERVM esset varietas β. No. VIII. mihi videtur.
*Trifolium racemis rarioribus strepentibus, caule erecto, non diffuso,* No. 2. p. ibid. Junio legi, infrequens, *bey Frischborn.*

7. *Trifolium* pratense luteum capitulo lupuli C. B. I. R. H.
*Lupulinum* RIVINI. RUPP. 256.
*Trifolium racemis ovalibus strepentibus, caule diffuso.* HALLER *Enum.* n. 1. p. 580. in agris *bey Eisenbach.*

XI. *Vicia* multiflora C. B. I. R. H.
*Cracca* RIVINI. RUPP. 261.
*Vicia foliis linearibus hirsutis, siliquis subhirsutis, racematim pendulis.* HALLER *Enum.* n. 8. p. 600. Julio, ad saxa *Naxburg, bey Heblos.*

2. *Vicia* sepium folio longiore. HALLER ex schedis.
An *Vicia sepium* RIVINI. RUPP. ibid?
*Vicia siliquis erectis, foliis ex ovatis obtuse decrescentibus.* HALLER *Enum.* n. 4. p. 599.

3. *Vicia* angustifolia RIVINI. RVPP. ibid?
*Vicia sylvestris, semine parvo & nigro frugum* CHABRÆI.
*Vicia siliquis sessilibus erectis, foliis imis ovatis, superioribus linearibus.* HALLER *Enum.* n. 2. p. 598. Junio *am Eichberg*, circa sepes, *auf der Wartenbach.*

4. *Vicia* RIVINI. RUPP. 261. parce seritur.

*Vicia siliquis sessilibus, foliis retusis latescentibus.* HALLER *Enum.* n. 1. p. 598.

5. *Vicia* pulchrum genus multifolium, *Galega* quibusdam. I. B. II.

*Cracca sylvatica, rotundifolia, floribus ex albo & cæruleo variis.* RVPP. 262.

*Vicia foliis ovatis, siliquis racemosis pendulis.* HALLER *Enum.* n. 6. p. 599. floret Septembri *gegen der Papiermühle.* Egregiæ hujus plantæ egregiam Iconem vid. Tab. XIV. HALLER l. c. Subalpina Planta.

# CLASSIS DECIMA QVARTA.

RVPP. (XII.)

## PLANTÆ

## *Flore irregulari pentapetalo.*

I. *Seminibus nudis gemellis.* RVPP. 274.

*Isostemones* seminibus binis flore coronatis pentapetalo. HALLER 425. l. c.

*Vmbellifera* BOERHAAVE.

I. *Carum* RIVINI. RVPP. 281.

*Cuminum pratense, Carui officin.* C. B. P.

CARVM CORDI. HALLER *Enum.* n. 1. p. 428. Julio in pratis *zu Freyensteinau.* Disseruit J. Chr. EHRMANN de Cumino. *Argentor.* 1733. 4to.

II. *Caucalis* RIVINI. RUPP. 278.

*Caucalis annua flore rubente.* I. R. H.

*Caucalis involucro exteriori angustifolio, laciniis foliorum latis.* HALLER *Enum.* n. 3. p. 449. ad rivos *zu Eisenbach.*

III. *Cerefolium* sylvestre RIVINI. RVPP. 283.

*Chærophyllum seminibus levibus nitidis, nervo foliorum subhir-*

*hirſuto.* HALLER *Enum.* n. 2. p. 452. Julio *zu Freyenſteinau* in pratis. Semen recens contritum Citri odorem ſpirat.

IV. *Cicuta* RIVINI. RUPP. 284. HALLER *Enum.* n. 1, p. 434. Auguſto floret ad viam ab arce *Eiſenbach* verſus *ſtagnum.* Folia nigris maculis notata. Flos ex carneo & viridi variegatus, ſeminis involucrum ſulcatum hians, ſæpe pro ſemine ipſo ſumitur. Semen Avenæ excorticatæ ſimile. Diſſeruit DRESIGIVS: *Cicuta Athenienſium pœna publica Lipſiæ* 1734. 4to.

V. *Daucus* vulgaris CLVSII.

*Staphylinus* RIVINI. RUPP. 278.

*Daucus ſeminibus hiſpidis.* HALLER *Enum.* n. 1. p. 450. ubique ad ſepes.

VI. *Myrrhis* RIVINI. RUPP. 282.

*Myrrhis pinnulis ſemipinnatis, ordinatim decreſcentibus.* HALLER *Enum.* n. 1. p. 453. vulgaris ad ſepes.

VII. *Oreoſelinum* Apii folio majus T.

*Ceruaria* RIVINI. RUPP. 274.

*Selinum pinnis pinnatis, pinnulis appendiculatis, circumſerratis triangularibus.* HALLER *Enum.* n. 4. p. 444. Julio ad rivos *bey Blizenroth.*

VIII. *Podagraria* RIVINI. RUPP. 279. HALLER *Enum.* n. 1. p. 427. Majo *zu Stockhauſen,* Junio *zu Hopmansfeld.*

IX. *Sphondylium* RIVINI. RUPP. 275.

*Sphondylium pinnatum, pinnis hirſutis, quinquefidis.* HALLER *Enum.* n. 1. p. 447. In agris ſuburbanis. Ex planta fermentata ſpiritus grati odoris & ſaporis paratur. GMELIN *flor. Sibiric. Bibliothec. raiſonnée* Tom. 39. P. II. p. 312. 1747.

X. *Sanicula* officin. C. B. RUPP. 279. HALLER *Enum.* n. 1. 449.

in ſylvis ubique præſertim *zu Eiſenbach.* Aqua ſtillatitia fatua.

XI. *Tragoſelinum* majus umbella candida T.

*Pimpinella ſaxifraga major, umbella candida.* RUPP. 285. C. B. P. 159.

*Tragoſelinum pinnis ſemilobatis, circumſerratis.* HALLER *Enum.* n. 1. p. 428. Legi Auguſto *zu Eiſenbach*, *Altenſchlirf.* Nimiæ tribuuntur vires.

II. *Seminibus tectis capſula.*

(1) *Simplici* (RUPP. IV. 1.) p. 288.

I. *Viola* inodora RIVINI. RUPP. l. c.

*Viola caulibus aſcendentibus floriferis, foliis cordatis.* HALLER *Enum.* n. 4. p. 501. LINN. Hort. Cliff. Septembri copioſe *zu Eiſenbach*, nemoribusque.

2. *Viola* officin. RUPP. l. c.

*Viola acaulis, ſtolonibus teretibus reptatricibus, pedunculis radicatis* LINNÆI. HALLER *Enum.* n. 1. p. 500. ad ſepes, variat quotannis proventus.

3. *Viola* bicolor RIVINI. RUPP. 289.

*Viola bicolor arvenſis* C. B. I. R. H.

*Viola caule procumbente, foliis ſub ramis laciniatis, flore parvo bicolore.* HALLER *Enum.* n. 12. p. 504. Junio ad agrorum margines *zu Freyenſteinau.*

(2) *Tripartita.* RUPP. 290. (2).

I. *Delphinium* ſegetum flore cœruleo. I. R. H. RUPP. ibid.

*Delphinium radice fibroſa foliis tenuiſſime diviſis.* HALLER *Enum.* n. 1. p. 314. Julio in agris.

II. *Napellus* flore minore RIVINI. RVPP. ibid.

*Aconitum cœruleum ſeu Napellus* C. B.

*Aconitum foliorum laciniis linearibus ſuperne latioribus,*

linea

*linea exaratis* LINNÆI. HALLER *Enum.* n. 2. p. 312. Legi florens Auguſto *nach Eiſenbach*, ad collem arcis, ad ſepes *gegen Blizenroth auf der-Schlerfervvieſe*, infrequens. Odor innoxius.

(3) *Quinquepartita.* (RUPPIO peculiaris Claſſ. XIII. an errore?) p. 291.

I. *Pyrola* RIVINI. RUPP. 292. flore albo.

*Pyrola foliis obiter ſerratis, ſubrotundis, racemoſis floribus, tuba recta.* Legi Junio *zu Freyenſteinau, Naxburg, Ziegenberg.*

2. *Pyrola* ſtaminibus & piſtillis declinatis LINNÆI. HALLER *Enum.* n. 3. ibid. flore ex albo & carneo variegato.

*Pyrola folio rotundo* RIVINI. RUPP. ibid. *am Ochſenkopf im Asberg*, infrequens.

# CLASSIS DECIMA QVINTA.

(RUPP. XIV. p. 293.)

## *Plantæ*

### *Flore irregulari hexapetalo.*

*Monocotyledones orchideæ.* HALLER 262.

I. *Ophrys* RUPP. 295.

*Ophrys bifolia* C. B. P.

*Ophrys foliis ovatis* LINNÆI. HALLER *Enum.* n. 1. p. 277. Junio *auf der geſuncknen Wieſe*, infrequens.

2. *Ophrys* aphylla. HALLER *Enum.* n. 2. p. 278.

*Nidus avis* VAILL. RUPP. ibid. *am Ochſenkopf* unice.

II. *Orchis* alba bifolia minor, calcari oblongo. C. B. P.

*Satyrium* RIVINI. RUPP. 299.

*Orchis radicibus conicis, labello lingulato, ſimpliciſſimo.* HALLER *Enum.* n. 12. p. 266. Junio ad margines ſylvarum *zu Rigsfeld*, infrequens.

2. *Or-*

2. *Orchis* mascula. RIVINI. RUPP. 295.
*Orchis radicibus subrotundis, brachiolis labelli brevioribus, spinula ex divisione medii trunculi eminente.* HALLER *Enum.* n. 1. p. 262. Junio *am Eichberg*, *Rigsfeld.*

3. *Orchis* fucum referens, colore rubiginoso. C. B. P. RUPP. 299.
*Orchis radicibus subrotundis, calcare nullo, labello holoserico, vario, latissimo integro, mucrone ex medio demittente.* HALLER *Enum.* n. 16. p. 268. Majo *gegen Angersbach.*

4. *Orchis* RIVINI. RUPP. 298.
*Orchis morio femina* C. B. *angustifolia non maculata.*
*Orchis radicibus subrotundis, cucullo clauso, lineato, labello ampliter trifido crenato.* HALLER *Enum.* n. 11. II. p. 266. Majo ad urbem.

5. *Orchis* morio femina elatior, flore roseo. Varietas prioris. HALLER *Enum.* l. c. α. γ. J. R. H. ibid.

6. *Orchis* morio femina carneo flore. Varietas prioris. Majo *am Hopfenberg.*

7. *Orchis* morio mas, foliis maculatis. C. B. RUPP. 297.
*Orchis radicibus subrotundis, cucullo sparso, labello ampliter trifido, crenato flore concolore.* HALLER *Enum.* n. 10. p. 265. Majo *gegen Angersbach.* Folia magnis maculis notata albis. Hæc est officinalis. Vires aphrodisiacæ suspectæ. *Salab* Persis minime tale oretenus accepi.

8. *Orchis* morio mas, radicibus tribus subrotundis, folio maculato. An varietas prioris triplici radice aut bulbo? ib.

9. *Orchis* morio mas, foliis parvis maculis nigris notatis. Varietas No. 7. ibid.

10. *Orchis* morio mas, foliis maculis purpureis parvis notatis, Varietas, Majo in udis.

11. *Orchis* morio mas maculata, radice fibrosa. An varietas radice fibrosa No. 7. HALLER *Enum.* No. 10. an:
*Orchis radicibus multis, cylindricis, labello trifido, calcare brevissimo.* HALLER *Enum.* n. 21. p. 270? Majo ad montem *zu Angersbach.*

12. *Orchis* palmata pratensis angustifolia minor, flore odoratissimo C. B. P.
*Palmata angustifolia non maculosa* RIVINI. RVPP. 300.
*Orchis radicibus palmatis, calcare ouario longiore, labello aequaliter trifido unicolore.* HALLER *Enum.* n. 26. p. 271. γ. 272. Junio *im Grund nach Frischborn.*

13. *Orchis* palmata latioribus foliis non maculosis. Varietas II. HALLER *Enum.* n. 10.
*Orchis palmata pratensis* maxima C. B. P. I. R. H. RVPP. ibid. Hircum olet quodammodo, ibid, cum priore, *in der Münz.*

14. *Orchis* palmata montana, maculata C. B. P. flore purpureo. An *Palmata angustifolia* RIVINI. RUPP. 299?
*Orchis palmata angustifolia, purpurea maculata.* HALLER *Enum.* n. 29. p. 273. Junio *auf der gesuncknen Wiese.*

15. *Orchis* palmata montana maculata flore albo. Varietas prioris. HALLER l. c. β. Julio *zu Hopmansfeld.*

16. *Orchis* palmata pratensis non maculata.
*Orchis radicibus palmatis, calcare crasso, ovario breviori,* labello lineis picto. HALLER *Enum.* n. 27. p. 272.

17. *Orchis* palmata pratensis foliis parvis maculis conspersis. I. R. H.
An *Palmata maculatis foliis* RIVINI. RUPP. 300?
Varietas β. n. 28. HALLER *Enum.* p. 273. & No. mihi 16. Folia alterna. Majo & Junio in pratis *gegen Blizenroth und Hopmansfeld.*

18. *Orchis* flore conglobato RIVINI. RUPP. 296.
*Orchis ſpicata folio maculato, flore purpureo.* HALLER ex ſchedis.
Orchis radicibus ſubrotundis, ſpica denſa, labello æqualiter tripartito, calcare ovarii latitudine. HALLER *Enum.* n. 8. p. 264. folia conjugata. Radix ex triplici Teſticulo, Majo *gegen Blizenroth* frequens.
*Nota.* Inter ſynonyma difficilis mihi & confuſæ plantæ operoſe appoſita, errores irrepſiſſe involuntarios tectosque hucusque, ab æquo Lectore condonandos, facile concedam.

# PARS SECVNDA.
## Mineralogia Riedeſelia.
### PRAEMONENDA.

Peculiarem mineralia legendi periodum ſtatueram; ſed ob moræ brevitatem, laboris botanici copiam, animum huic ſcopo æqualibus viribus applicare non valueram; attamen non reticebo, quæ curſorie mineralia offendi.
Norma mihi LINNÆI *Syſtema Naturæ* Edit. Halenſ. 1747. fuit.

# CLASSIS PRIMA.
## PETRAE, LAPIDES SIMPLICES.
### ORDO I.
### *VITRESCENTES.*

*Chalybe percuſſi ſcintillantes, amorphi.* LINNÆI *Syſt.* p. 6.

1. COS particulis æqualibus, friabilibus, cinereus ab una, flaveſcens

veſcens ab altera parte. Inter lapides calcareos invenitur, pedis quadrati mole *am Kulberg.*

Cos particulis inæqualibus rigidis LINNÆI p. 6.

1. *Lapis arenarius* griſeus, in cacumine montis *Kulberg.*
2. *Lapis arenarius* albidior, fragmentis aſperioribus. Ad ripas frequens.
3. *Lapis arenarius* flaveſcens pallidior. Adeſt lapidicina, ex qua lapides molares, angulares ad ædificia, &c. cæduntur. Obſervant Lapidicidæ, hunc lapidem in plaga meridionali molliorem, & cæſu faciliorem, quam in ſeptentrionali eſſe.
4. *Lapis arenarius* nivei coloris. In pulverem redactus, vaſa polit ſtannea. Copioſe ad ripas fluviorum. Incolis *Silberſand.*
5. *Lapis arenarius* carneo colore; ex hoc cæduntur tumuli, *auf den Sonnenberg, bey Angersbach und Lauterbach.*
6. *Lapis molaris* albidus. Copioſe *auf dem Wernerberg.*
7. *Lapis molaris* gryſeus, ponderoſus, ſuperficie ſiliculis minimis conſperſa, *bey Lauterbach.*
8. *Lapis arenarius* ſubrufus, fragmentis cryſtallinis copioſis intermixtus.

   An *Species Granilis ſpurii? am Kulberg.* Inde Templum nouum conſtruitur.

II. QVARZVM, conſtat fragmentis angulatis, acutis, pellucidis. LINN. ibid.

QVARZVM aqueo-album. LINNÆI *Syſt. Nat.* p. 6.

1. *Silex albus* aqueus ſphæricus. Copioſe *am Kulberg.* Similes in Anglia & Helvetia reperiuntur. Index mineræ Martis.
2. *Silex* pellucidior ſubrotundus infrequens.

3. *Silex* albido-pellucidus, ex ſiliculis pellucidis conflatus. Vnicus in rivo.

4. *Silex* cinereus, ex minoribus conflatus, venis Quarzi intermixtus, parvæ molis, *am Kulberg*.

III. SILEX conſtat fragmentis hinc convexis, inde concavis, ſubdiaphanis. LINN. ibid.

A. 1. *Silices* pellucidi in lapide arenario.
an *Nucleus Lapidis arenarii?* in agris infrequens. Gallis: *Cailloux du Rotn.*

2. PSEVDO GRANATVS, *bey dem Ochſenkopf.*
*Silex ſaturate rubens ſubdiaphanus.* Polituram admittit. Mineralogis index mineræ Solis, ferri; confer. HENKE. LII Scripta mineralogica parva. Attulit MüLLER JCtus Archigrammateus Lauterbacenſis.

3. *Silex* cinereus cum fluore ſpatheo in rivis infrequens.

B. 1. PYROMACHVS niger, micis cœruleis, ponderoſus, copioſe ubique.
*Pyrites* niger. Ob pondus, colorem, videtur minera Martis; quod indagandum.

2. *Pyromachus* niger, ponderoſus cujus interior ſubſtantia alveolos cylindricos vermium continet. Incolis *Waakenſtein.* Mœnia, muros, domosque inde conſtruunt Incolæ. Tota regio iis abundat, unde alveoli?

3. *Pyromachus* niger ponderoſus, perdurus, ſolidus, venis Quarzi flaveſcentis. Incolis itidem Waakenſtein. Ad margines agrorum ſepium ad inſtar accumulantur. In ſylvis copiam maximam, ſtudio quaſi ibi coacervatam, reperi.

4. *Pyromachus* ex gryſeo & ſubflavo variegatus. Rarus ad rivum *Angersbach.*

5. *Pyromachus* duriſſimus, ex cœruleo & nigro variegatus,

ſubro-

ſubrotundus, infrequens. Molitores eos axibus rotarum, ad frictionem impediendam, ſupponunt. Cortex poroſus, quaſi aduſtus; irregulares frequentiores rotundis. Incolis itidem *Waakenſteine.* Ob pondus & colorem videtur itidem minera Martis uti II. 1. & B. 1. unde pori?

6. *Pyromachus* flaveſcens rotundus, prope patibulum. An *Pſeudo-Achates* LINNÆI?

# ORDO II.

## CALCARII.

*Vſti & aqua ſuffocati in farinam reducibiles.* LINN. *Syſt.* p. 7.

I. MARMOR conſtat fragmentis indeterminatis. LINN. *Syſt. Nat.* (4) p. 7.

1. *Lapis Calcareus* carnei coloris, Marmoris facie. Tantæ reperiuntur molis, ut inde lapides molares cædi poſſent.
2. *Lapis calcareus* e cinereo-flavo variegatus. Polituram recipit. Rarus. Ad pavimenta idoneus foret.
3. *Lapis calcareus*, Quarzi calaminariſque perfuſus venis, *am Kulberg.*
4. *Lapis calcareus* ex rubris, flavis, carneis, cœruleis fragmentis compoſitus, Quarzi venis perfuſus, poroſus, vermibus quaſi eroſus, ibid. An *Marmor immaturum?*
5. *Lapis calcareus* vulgaris niger. Inde Calx uritur.

II. SCHISTVS conſtat fragmentis fiſſilibus. LINN. (6) p. 7.

1. *Schiſtus* niger durus, clangoſus, *bey Almerod* unice & parce, tectis inſerviens.
2. *Schiſtus* ruber copioſiſſime *am Weeg nach Wernges*; inde ædificia conſtruuntur.
3. *Schiſtus* lateritii coloris.

## ORDO III.

### APYRI.

*Igne docimastico vix destructibiles.* LINN. *System.* p. 8.

I. MICA particulis squamosis distinctis.

*Mica vulgaris* LINNÆI, *bey Blizenroth.*

# CLASSIS SECVNDA.

## MINERÆ, LAPIDES COMPOSITI.

## ORDO I.

(LINN. III. p. 11.)

I. MERCVRIALIA certo caloris gradu fluida, Regulo convexo, opaca, nitida.

ZINCVM

1. *Lapis arenarius* flavescens porosus. Ex collatione patet: esse lapidis Calaminaris cellulosi flavescentis species. Vbique in agris.

*Zincum terreum* LINNÆI.

*Lapis Calaminaris* minus cellulosus. Similem misit ex Anglia amicissimus D. d'ACOSTA, gente Judæus, Societ. Reg. Scient. Londin. & Antiqu. Membrum, &c.

2. *Lapis Calaminaris*, species cum Quarzi venis & pyrite gryseo mixta. Lapis fere rotundus. Crusta ejus lapidea, nucleus cellulosus, cellulæ irregulares, retiformes. Prope patibulum.

3. *Fluor* ex minera ferri ochrea, pyrite cœruleo, mica splendente conflatus. Adsunt cavitates irregulares, parvæ, fluore siliceo intus vestitæ. Est proprie

*Lapi-*

*Lapidis Calaminaris minus celluloſi flaveſcentis* altera ſpecies. Similem producit Anglia.

II. FERRVM (LINN. 25. p. 11.)

1. *Minera Martis* fuſca.

An *Ferrum petra vitreſcente deſtitutum?*

*Minera Martis dura* LINNÆI? *bey Lauterbach in der ſo genanten Eiſenkaute*, in via, qua itur verſus *Dirlamen.* Effodiebatur olim, inde ad *Blizenrodam* deferebatur; ſed opera ob ligni penuriam & ferri deteriorem qualitatem deſerta ſunt.

2. *Lapis ferrugineus*, ſeu Minera Martis pauper, ex fragmentis cryſtallinis, ferreis, micaceis, conflatus.

Nucleus martialis ex minimis conſtat cryſtallis. Inde Rupes integræ conſtant *am Kulberg.* Similem ex Anglia accepi a ſupradicto Amico, qui in urbe *Londinenſi* ipſa effoditur.

3. *Minera Martis* cum mica ſplendente, prope patibulum.

4. *Lapis rufeſcens* Marte mixtus, colore rubro digitos vti rubrica afficit. Fragmentis cryſtallinis admixtus *im Kulberg.*

5. *Minera Martis* carnei coloris, ibid.

III. PLVMBVM (27) & ARGENTVM (29) LINN. p. 12. ſimul.

1. *Minera Lunæ* & *Argenti* cum Quarzo pauper. *Von Meuches*, ad limites Ditionis Haſſo-Darmſtad. & Riedeſeliæ. Deſertæ nunc fodinæ.

*Not.* Ferrum princeps ex hac Claſſe remedium. Succedit Mercurius, &c. cætera ſuſpecta, niſi noxia.

CLAS-

# CLASSIS TERTIA.

## FOSSILIA, LAPIDES AGGREGATI.

## ORDO I.

LINN. p. 13. *Syſtem.*

TERRÆ conſtant particulis pulverulentis.

I. ARENA conſtat lapidibus imminutis LINN. (34.)

1. Arena flava.
2. Arena alba. } *zu Rudloos.*
3. Arena gryſea tenuior.

De reliquarum ſpecierum exiſtentia ne dubium quidem.

II. ARGILLA conſtat particulis lubricis tenaciter cohærentibus, LINN. (32.)

1. *Argilla* ſaturate lutea, particulis albis intermixta impura, *zu Rudloos.*
2. *Argilla* figulina, ibid.
   *Argilla vitreſcens, teſſellata* LINNÆI.
3. *Argilla vitreſcens, calcinatione rubeſcens* LINNÆI.

III. OCHRA conſtat mercurialibus proprio Vitriolo ſolutis, LINNÆI (35.)

1. *Ochra* flava.
   *Ochra ferri lutea* LINNÆI. Pictoribus inſeruit. *Am Kulberg.*

A. IV. MARGA conſtat terra farinacea apyra indurata, LINN. (36.)

1. MARGA alba *von Rudloos.* Figuli inde vitreationem albam parant.
2. *Marga* flaveſcens, ibid.
3. *Marga* ſaponacea ex flavo & cœruleo variegata; paucam Mineram Martis condit.

B. TERRA BOLARIS.

1. *Ter-*

1. *Terra bolaris* fuſco nigra, animalculorum cellulas, materia alba veſtitas, condens; adſtringens. *Blizenroda.*
2. *Terra bolaris* rubra, *bey der Eiſenkaute am Weeg.* Inde color ruber.
3. *Terra bolaris* lateritia.
4. *Terra bolaris* ſaponacea, rubra.
5. *Bolus* ex rubro & carneo variegata, adſtringens, ſaponacea, ad pigmenta. *Am Roten Rain.*
6. *Terra bolaris* flava.
   An *Ochra flava?* Exinde pigmentum elegans paratur.
7. *Terra bolaris* pallidior, ejusdem indolis. *Von Rudloos.*
8. *Terra bolaris* rubra, craſſior pinguis, variegata, *beym Hinterſteeg.* Forte fimi vices gereret, modo tentaretur.

## ORDO II.

### CONCRETA *e particulis terreſtribus coalita, ſunt* LINN. p. 14.

I. PVMEX, generatum in Elemento igneo.
   *Pumex cinereus poroſus.*
   *Pumex pyrita cinereus* LINN. *am Kulberg.*
2. *Pumex* celluloſus, ſpongioſus, niger, levis. Inter *Hebloos* & *Rumloos* effoditur uterque; Incolis *Tugſtein.* Piſtores & figuli fornaces inde conſtruunt ignis patientiſſimas. Veſtigia ignis luculenta ſiſtit perpeſſi.
3. *Pumex* cinereus, ſpongioſus, poroſus; ex lamellis imbricatim poſitis conflatus. *Am Kulberg*; eadem ignis perpeſſi ſigna ac prioris.

## INCERTI ORDINIS.

1. *Fluor* ex Quarzo & arena rubra *am Kulberg.*
2. An *Quarzum* nigrum poroſum? prope patibulum.

3. *Concrementum* lapideum ex Spatho, Pyrite & Mica argentea, *von Meuches.*

Determinet hoſce lapides accuratius qui poteſt; ego non. Proſcribenda omnia ex hac Claſſe & prima remedia interna e materia medica. TRALLES *Examen rigoroſius.*

Nulla petrificata, opera licet data, reperi.

CORONIDIS loco addam deſcriptionem *Lapidis polyedri,* qui copioſiſſime ex colle, quadrantis horæ ab urbe meridiem verſus diſtante, prominet; in varios effoditur uſus, utiliſſimus.

(a) Sunt aut Parallelepideda, aut Prismata, baſi pentagona, & hexagona rariora pentagonis. Diameter eorum 6. 7. 8. 10. pollicum; longitudo 3. 4. 5. 6. 8. pedum Francofurt. Pentagoni adeo copioſi, ut pars mœniorum inde conſtructa fuerit maxima. Termini ubique jacent, tempori omnia alias rodenti, & vi curruum, &c. reſiſtentes. E terra aut perpendiculari, aut inclinato ſub variis angulis ſitu, prominent ad altitudinem 1. 2. 3. 4. pedum. In medio collis adeſt Stratum pentagonorum perpendiculare ad latera arcte, favorum ad inſtar, ſeſe tangentium, in ſemicirculi figura. Quodcunque Prisma aliis cinctum. In baſi & vicinia collis ſtrata horizontalia horum adſunt, ex quibus quotidie effodiuntur uſui mechanico deſtinandi. Si fides foſſoribus habenda, ſtrata ſtratis incumbunt ibi.

Iconem Collis *Billſtein* Incolis ſubiunxi Tab. I. ut et baſium Lapidum polyedrorum quorundam.

Fig. I. Parallelepidedi irregularis baſis dimenſionem exhibet: AC = 19″. AB = 12″. CD = 12″. BD = 15″ Longitudo = pedum 4.

Fig. II. a. Prismatis pentagoni irregularis Baſin ſiſtit: AB = 14″ BC = 9″ CD = 12″. DE = 15″. EA = 5″. Longitudo prioris.

Fig.

Fig. II. b. Prismatis pentagoni regularis fere baſin ſiſtit : AB. = 6″. BC = EF = 5″. CD = DE = 6″. Longitudo prioris.

Fig. III. Prismatis hexagoni irregularis baſin ſiſtit. AB = 7″. BC = 6″ CD = 9′ DE = $2\frac{1}{2}$″. EF = $4\frac{1}{2}$″. FA = 9″. Longitudo 5 — 6 pedum.

Fig. IV. Prismatis hexagoni baſin fere regularem exhibet: AB = ED = $4\frac{1}{2}$″ BC = CD = EF = FA = $3\frac{1}{2}$″. Longitudo 3 — $3\frac{1}{2}$ pedum.

(b) Lapides Fig. I. & II. ad occidentalem, *Blizenroth* verſus, plagam effodiuntur; ad orientalem vero pentagoni, pedum 3. 4. 5. 6. longitudinis, diametri 5. 6. pollicum. Sunt Silice duriores, leves, politi arte quaſi: tactu, uti Pyrites. Soli expoſiti cryſtallina lutea fragmenta, Oryzæ vel Milii mole, exhibent micantia. Sonora fragmenta; durities tanta, ut nec aqua forti, nec Regis ſolubilis eorum pulvis. Color ex cœruleo nigreſcens. Durities, color, fragmenta ſubdiaphana minuta, ad ſilices referre hos lapides ſuadent tamdiu, usque dum intimior Silicum diſquiſitio eam affinitatem aut roborarit, aut deſtruxerit.

(c) Lapides fig. III. IV. diametri 6 — 9 pollic. videntur molliores, ad lapidem calcareum ſeu Marmor accedere. Tempeſtates ſuperficiem ex nigro-cœruleam reddidere incanam. Igne docimaſtico examinandi (an differant) eſſent ulterius; cui operi ZEHNERUS par eſſet.

(d) Origo (juxta HENCKELII Tractatum gravem de lapidum origine, & LINNÆUM *Syſtem. Nat.* Obſ. in regn. lapid. p. 78. 8.) ad Cryſtalliſationem referri videtur. Salibus in fluido ſolutis, evaporatione vi ignis facta, in hanc formam conflati; terræ motu dein e ſinu terræ ſub varia inclina-

q 2 tione

tione ad superficiem terræ elevati. Forte conveniret Nomen a Cl. CAPPELLER, Med. D. Lucernensi in *Prodromo Crystallographia p. 25.* adductum.

BASALTES Misenus, *figura trabis erectæ*, minimum quatuor angulos habens, sed rarius; *utplurimum 5. vel 6.* ad summum 7. *foris levis, ferrugineus, ponderosus, duritie velut Adamas; maximus sesquipedum crassus*, altus pedum 14. AGRICOLA de Nat. Fossil. Lib. VII. GESNER. Fig. lap. p. 21. a? LESSER *Lithotheol.* p. 443. §. 314. lapidum hexagonorum nominetenus mentionem facit; dubito, num nostrorum quosdam viderit, aut velit? Cl. BRüCKMANNI in *Thesaur. subterran. Brunsuic.* p. 36. lapides pentagoni eo minus conveniunt, quo magis juxta Eum ad Echinos marinos pertinerent. In *Volum. Academ. Nat. Cur. VII. p. 341.* lapides prismaticos itidem describit a nostris diuersissimos. Præter hos nullus mihi notus Auctor nostros describit lapides polyedros notatu dignos.

(e) In monte, cui Arx Saxonica *Kæn'gstein* superstructa, tales inveniri certus audivi. *Budinga* Wetteraviæ tales, ut & ad mœnia Urbis Coloniensis *Linz*, ad ripam Rheni sitæ, An. 1747. tales colore, mole, figura, duritie Lauterbacensibus similes vidi, ex monte proximo effodi, ibique perpendiculares sitos, accepi.

Ad mœnia urbis itidem Coloniensis *Nouesii* (Neuss) tria milliaria Coloniæ Agrippinæ distantis & in pago *Women* ejusdem Ditionis, similes itidem observavi Mense Augusto 1748. Non dubito, fore plurima adhuc loca tales lapides sistentia polyedros. Quænam eorum vera origo? quæ figuræ, coloris, duritiei, situs varii, copiæ in hoc loco,

co, cauſſa? num mineram Martis continent? reſolvat me doctior.

# PARS TERTIA.

## PRÆMONENDA.

Catalogum Quadrupedum, Avium, Piſcium ab Amico MüLLER Archigrammat. fidum accepi, juxta LINNÆUM ſiſto Syſtematicum. Inſecta tam ex LIEBKNECHTII Tr. de Diluvio, quam propriis obſervatis lecta, itidem ſyſtematice propono, ne Faunæ quid decedat, & tentamen ſit, quibusdam numeris abſolutum ſaltem. Species colligere, conſervare, recenſere, materiæ ubertas, otii brevitas, viresque non permiſerunt. Suppleat, cui volupe, & intereſt; facile nunc eſt addere. RAIVM & LINNÆUM imitari aliis forte datum; non mihi.

# CLASSIS PRIMA.

## *QUADRUPEDA.*

*Corpus* piloſum. *Pedes* quatuor. *Feminæ* viviparæ, lactiferæ.

### ORDO I. LINN. 2. p. 43.

FERÆ. Dentes acuti, primores utrinque ſex. Canini longiores.

I. FELIS. LINN. 8. p. 43. Edit. Hal. 1747.

1. Felis cauda elongata, auribus aequalibus.
   *Felis domeſtica ſeu Catus* RAII 170. colore variant, an indigenæ?

II. MUSTELA LINN. 9. p. 44.

1. Martes RAII 200. rarus.
2. Muſtela colore albo; rara.
3. — — — fuſco, caudæ extremitas alba.
4. Putorius.

III. CANIS LINN. 13. p. c.

1. Canis cauda recurua.

Canes omnes varietates sunt, nec distinctae species; an vere indigeni?

2. Canis cauda recta, corpore breviore.

*Lupus* RAII. 173. *im Oberwald.*

3. Canis cauda recta longitudine corporis.

*Vulpes* RAII 177. varietates.

Vulpes apice caudae albo, Incolis: *Rotfuchs.*

— — — — nigro, Incolis: *Brandfuchs.*

IV. MELES LINN. 14. p. 45. *Oberwald.*

Meles unguibus anticis longissimis.

*Taxus seu Meles* RAII, 185. rarus.

V. ERINACEUS LINN. 15. p. c.

1. Erinaceus spinosus aculeatus.

*Echinus* seu *Erinaceus terrestris* RAII, 231.

Capite {canino — caninus. / suillo — suillus.}

VI. TALPA LINN. 16. p. c.

1. Talpa caudata.

*Talpa* RAII 236. Cor falsum antepilepticum.

VII. VESPERTILIO LINN. 17. p. c.

1. Vespertilio caudatus, naso oreque simplici.

*Vespertilio* RAII 243.

## Ordo II.

GLIRES. Dentes primores duo utrinque; canini nulli; mammae octoventricales.

I. LEPUS LINN. 19. p. c.

1. Lepus cauda abrupta, pupillis atris.

*Lepus* RAII 204. copiose ubique.

2. Lepus — — pupillis rubris.

*Cuni-*

*Cuniculus* RAII 205. Domi nutritur pueris. An indigena? Tali Leporum remedium vanum.

II. SCIURUS LINN. 20. p. c.

1. Sciurus ſolis palmis ſaliens.
   Sciurus vulgaris RAII, 214. frequens.
2. — — colore atro, infrequens.

III. MUS domeſticus major, ſeu Rattus RAII 217.

2. Mus domeſticus vulgaris ſeu minor RAII 218.
3. Mus agreſtis, capite grandi, brachyurus, perpetua ſiti cruciantur.

# ORDO III.

## *JUMENTA.*

Dentes (ab Ord. 1. 2. diverſi) anomali.

I. SOREX. LINN. 25. p. c.

Mus araneus RAII 239. rarus.

II. EQUUS LINN. 26. p. c.

1. Equus cauda undique ſetoſa.
   *Equus* RAII 62. Indigeni non adeo copioſi. Ratione molis ad Helveticos, uti hi ad Friſios ſe habent.

III. SUS LINN. 27. p. 49.

Sus dorſo antici ſetoſo, cauda piloſa.

1. *Sus agreſtis*, ſeu *Aper* RAII 96. *im Obervvald.* Dens Apri iners plane remedium. De eo Cl. JUNCKERUS ſibi contradicit *Therap. general.* Tab. XV. p. 125. Tab. XX. p. 179. TRALLES Exam. rigoroſ. p. 266. Cap. XV. §. 1.
2. *Sus domeſticus*, copioſe.

# ORDO IV.

Dentes inciſores inferiores præſentes, ſuperiores nulli; canini nulli, molares utrinque, Mammæ inguinales, Pedes ungulati.

I. CER-

I. CERVUS LINN. 29. p. c.

1. Cervus cornubus ramosis teretibus erectis, copiose *im Oberwvald* sylvisque.

   *Caprea* PLINII, *Capreolus* vulgo RAII 89.

2. Cervus cornubus ramosis teretibus incurvatis.

   *Cervus* RAII 84. LINN. p. 50. Quae AGRICOLA, ETTMüLLERUS, GRABIUS aliique de Cervi viribus ebuccinant medicamentosis, vana sunt. Cervi typhae caroque bonum praestant nutrimentum, praetereaque nihil. Vi ignis extorta volatilia non superiora aliis volatilibus; TRALLES l. c. Cap. I. §. 10. p. 15. A Cornu Cervi usto vermes infantum fugatos vidi; an Anthelminticum ideo; non dixerim?

II. CAPRA LINN. 31. p. c.

1. Capra cornubus carinatis, arcuatis.

   *Capra domestica* RAII 77.

   Jussu superiorum parcius coluntur, noxiae arboribus Vere.

III. OVIS LINN. 31. p. 51.

1. Ovis cornubus compressis lunatis.

   *Ovis domestica* RAII 73. Copiose coluntur; bis quotannis tonduntur. Lana pro ratione soli, pabuli, mollior, aut durior, cauda abscinditur dimidia, secus ac in Frisia, ubi integra manet.

IV. BOS LINN. 32. p. c.

1. Bos cornubus teretibus flexis.

   *Bos domesticus* RAII. 70.

2. VACCA. Ubera exigua. Copiose coluntur; magna copia ut & boum Francofurtum ducitur mactanda. Vecturae inserviunt. Moles uti equorum (Ord. III. II.) altitudo vix 4. ped.

CLAS-

# CLASSIS SECVNDA.

## *A V E S.*

*Corpus* plumoſum; *pedes* duo; *alæ* duæ; *roſtrum* oſſeum; *Feminæ* oviparæ.

## ORDO I. LINN. p. 52.

ACCIPITRES. Roſtrum uncinatum.

I. STRIX LINN. 34. p. c.
   1. Bubo.
   2. Noctua, in ſylvis.
   3. Ulula, varietates.

II. FALCO LINN. 35. p. c.
   1. Accipiter, infrequens.
   2. Falco: varietates, raræ.
   2. Lanio {major. minor.
   4. Milvus, frequentior.
   5. — — aquaticus.
   6. Niſus.
   7. Vultur. rari *im Obervvald.*

## ORDO II. LINN. p. c.

## *PICÆ.*

Roſtrum ſuperne compreſſum, convexum.

I. CORACIAS LINN. 37. p. c.
   1. Pica.

II. CORVUS LINN. 38. p. c.
   1. Corvus, hyeme etiam rara.
   2. Cornix, copioſe autumno nebuloſo.
   3. Monedula, rarior.

III. CUCULUS LINN. 39. p. 53. in ſylvis.

IV. PICUS LINN. 40. p. c.

1. Picus niger.
2. Picus viridis.
3. Picus varius.

V. UPUPA LINN. 43. p. c. rarior.

*Nota:* Feræ plurimæ; Tigrides; Leones; Aves carnivoræ (Ord. I.) nihil; reliqua animalia pro ratione molis, motus, cibi, parce bibunt. Notent ſibi hoc hydropotatophili inconſulti.

# ORDO III.

## *MACRORHYNCHÆ.*

Roſtrum cranio aliquoties longius. Nares oblongæ, e quibus verſus roſtri apicem ſulcus.

I. CICONIA peregrina, rarior æſtate LINN. 46. p. c.

II. ARDEA LINN. 47. p. c.

1. Ardea cinerea, rara.

# ORDO IV.

## *ANSERES.*

Os dentato-ſerratum.

I. ANAS LINN. 50. p. 54.

1. Anſer domeſticus.
2. Boschas.
3. Querquedula.

II. MERGUS LINN. 51. p. c. rarior.

III. FULICA LINN. 55. p. c.

1. Gallinula aquatica, rara.

OR-

# ORDO V.

## *SCOLOPACES.*

Roſtrum ſubcylindraceum, teretiuſculum, obtuſiuſculum. LINN. p. 55.

I. FRINGA LINN. 58. p. c.

1. Vanellus.

II. NUMENIUS LINN. 59. p. c.

1. Galinula; frequens vere & autumno.
2. Limoſa.
3. Numenius aquaticus.

# ORDO VI.

## *GALLINÆ.*

Roſtrum conico-recurvum.

I. OTIS LINN. 62. p c.

1. Tarda; rariſſima, *Landenhauſen* ſemel viſa.

II. CRAX LINN. 64. p. c.

1. Cocq' d'Inde. Gall. 301. peregrina.

III. TETRAO LINN. 67. p. 56.

1. Bonaſia, rara *im Obervvald.*
2. Coturnix, rara tranſiens.
3. Perdix, frequens pro veris ſiccitate.
4. Tetrao, rara.
5. Urogallus, rarus *im Obervvald.*

No. 1. 3. 4. 5. objectum venationis regiæ.

# ORDO VII.

## *PASSERES.*

Roſtrum conico-attenuatum. LINN. p. c.

I. COLUMBA LINN.

1. Columba variorum colorum. An vere indigena?
2. Oenas, rara.
3. Turtur, rar.

II. FRINGILLA. LINN. 69. p. c.

1. Carduelis.
2. Emberiza.
3. Fringilla; plures varietates.
4. Linaria vulgaris.
5. Linaria rubra.
6. Luteola.
7. Paſſer domeſticus.
8. — torquatus.

Cerebrum paſſerum male aphrodiſiacum audit.

III. LOXIA. LINN. 71. p. c.

1. Coccotrauſtes.
2. Pyrrhula; Incolis: *Blutfinck.*

IV. AMPELIS. LINN. 71. p. c.

1. Garrulus Bohemicus.

V. TURDUS. LINN. 72. p. 57.

1. Merula aquatica.
2. — — terreſtris.

Turdus {
3. pilaris.
4. viscivorus.
5. Iliacus.
6. major.
}

An huc pertineat Halcyon? rarus.

VI. STURNUS. LINN. 73. p. c.

1. Sturnus copioſe autumno.

VII. ALAUDA. LINN. 74. infrequens; frequentior in vicinia Silicia, *Schliz.*

VIII. MOTACILLA. LINN. 75. p. c.

1. Erithacus; infrequens.

2. Fi-

2. Ficedula.
3. Luſcinia; infrequens. Vere hoſpes.
4. Motacilla, copioſe.
5. Oenanthe.
6. Regulus {major. minor.
7. Ruticilla.
8. Troglodytes.

IX. PARUS. LINN. 76. p. c.

Parus {criſtatus. caudatus. major. paluſtris, copioſi.

X. HIRUNDO LINN. 78. p. c.

1. Hirundo {domeſtica. riparia tranſeuns. paluſtris æſtivalis.

Inepte inde Aqua Hirundinum cum Caſtoreo paratur; nullæ iis vires antihyſtericæ. Aqua hæc facile aceſcit.

MANTISSA. In viciniæ pago: *Nieder - Joſs*, Ditionis Silicianæ, ante aliquot annos ex colle effoſſa fuere oſſicula diffracta, roſtra, &c. avium, munda, Cl. RITTERO, Conrect. Ilefeldenſi *Commentat.* de *Zoolitho Dendroid.* p. 9. & Ven. LESSERO, Paſt. Nordhuſ. *Lithotheol.* No. XII. p. 565. notiſſima. Falſa inde etymologia montoſæ regionis: *Vogelsberg;* oſſiculis hiſce haud dubie a Muſtelis vulg. (Claſſ. I. Ord. I. II. 3.) ibidem congeſtis.

# CLASSIS TERTIA.

## *AMPHIBIA.*

*Corpus* nudum vel ſquamoſum; *dentes* molares nulli, reliqui acuti; *pinnæ* nullæ radiatæ.

## ORDO I.

### *REPTILIA.* Pedes quatuor.

I. RANA. LINN. 80. p. 58.

1. Rana {aquatica, præparata ex ea fatua. / arborea.

2. Bufo, infrequens. Lupis falſum antidotum.

II. LACERTA. LINN. 81. p. c.

1. Lacertus vulgaris, infrequens in apricis, demum torrida æſtate viſibiles.

Infuſi oleoſi Lacertarum vires explorandæ ſano judicio ad Strumas.

## ORDO II.

### *SERPENTIA.* Pedes nulli.

I. ANGUIS. LINN. 82. p. c.

1. Cæcilia, infrequens.
2. Natrix, rara.
3. Serpens aquaticus, rarus.

Exulent e materia medica omnia e Serpentibus præparata, partesque.

COROLLARIUM. Ad limites Haſſiæ inferioris, haud procul a *Buchenau*, reperi in rivulo Amphibium, cujus corporis pars anterior Lacertæ ſimilis, poſterior piſcis. Cauda verticalis, in medietate inferiore duo corpora globoſa, quaſi duo teſticuli. Cutis glabra. Ichtyologis etſi cognitum: mihi ſaltem, quoad deſcriptionem, auctorem, iconem, nomenque incognitum.

# CLASSIS QUARTA.

## *PISCES.*

*Corpus* nudum vel ſquamoſum; *pedes* nulli; *pinnæ* ſemper.

ORDO

## ORDO I. LINN. (2.) p. 59.

CHONDROPTERYGII. Pinnæ cartilagineæ.

I. PETROMYZON. LINN. 91. p. 60.

1. Enneophthalmus; frequens.
2. Muſtela fluviatilis. Spina ejus falſum antepilepticum.

## ORDO II. LINN. 4. p. 61.

ACANTHOPTERYGII. Pinnæ offeæ; radiis quibusdam aculeatis.

I. COTTUS. LINN. 99. p. c. rarior in piſcinis.

II. PERCA. LINN. 102. p. c.

1. Aſper Piſciculus, Incolis STACHELFöRZGEN, rarus in rivis.
2. Cernua.
3. Perca. Lapis earum nullius virtutis.

III. SPARUS. LINN. 104. p. 62.

1. Salpa, in piſcinis rarior.

## ORDO III.

MALACOPTERYGII. Pinnæ offeæ, radiis omnibus inermibus.

I. MURÆNA. LINN. 114. p. c.

1. Anguilla, in rivis, piſcinisque paludoſis.

II. ESOX. LINN. 122. p. 64.

1. Lucius in rivis piſcinisque frequens. Mandibulæ ejus iners remedium antipleuriticum HELMONTIO primo ſuaſore. Fel ejus, ut & Anguillæ, optimum detergens oculorum maculas.

III. SALMO. LINN. 123. p. c.

1. Carpio in piſcinis copioſe.
   Lapis ſeu oſſiculum ejus in capite inutile remedium; quantum in re medica inane!

2. Trut-

2. Trutta in rivis, delicati ſaporis, regia.

IV. COREGONUS. LINN. 125. p.c.

1. Albula, rarior in rivis.
2. Thymallus.

V. CYPRINUS. LINN. 129. p. 65.

1. Cyprinus nobilis.
2. Barbulus.
3. Gobio.
4. Phoxinus.

VI. COBITIS. LINN. 130. p.c.

1. Barbatula.
2. Muſtela foſſilis rara.

Uſus Quadrupedum, Avium, Piſcium, culinaris potius, quam medicus.

# CLASSIS QUINTA.

## *INSECTA.*

*Corpus* oſſibus cutis loco tectum; *caput* antennis inſtructum.

## ORDO I.

COLEOPTERA. Elytra bina.

I. SCARABÆUS. LINN. 132. p. 66.

1. Fullo.
2. Lucanus.
3. Pilularius.
4. Rhinocerus, rarus.
5. Scarabæus cornutus, frequentior. *Cervus volans.*
6. Viridulus.

II. CURCULIO. LINN 137. p. c.

III. GYRINUS. LINN. 138. p. c.

1. Pulex

1. Pulex plantarum. Pro anni tempeſtate variabilis copia. Alliciuntur a radice Chenopodii folio ſagittato HALLER *Enum.* n. 1. p. 174. in areas hortorum ſati; intactas reliquas plantas relinquunt.

2. Scarabæus aquaticus.

IV. BUPRESTIS. LINN. 142. p. 67.

V. CARABUS. LINN. 143. p. c.

1. Scarabæus fœtidus.

VI. CICINDELA. LINN. 144. p. c.

1. Cantharis mariana, ſeu St. Johannis, æſtate calida demum volitans.

VII. CERAMBYX. LINN. 146. p. c.

1. Capricornus, in arborum truncis.

VIII. NOTOPEDA. LINN. 147. p. c.

1. Scarabæus elaſticus.

An *pediculus pulſatorius* vulgo?

IX. CANTHARIS. LINN. 148. p. c.

1. Cantharis. Auguſto fervido ſemel obſervavi *am Rothenrain*, 1746.

X. FORFICULA. LINN. 150. p. c.

1. Auricularia.

XI. BLATTA. LINN. 151. p. c.

1. Scarabæus tardipes.

## ORDO II.

GYMNAPTERA. Alæ duæ ſeu quatuor. Elytra nulla.

I. PAPILIO. LINN. 153. p. 68.

Species obſervet, cui Papilionis Sirenæ. Erucarum in arboribus nidulantium oleum Lini letale, proprio experimento.

II. APIS. LINN. 159. p. 68.

1. Apes parcius, ob frigus, coluntur.
2. Bombylius.
3. Crabro.
4. Vespa.

III. ICHNEUMON. LINN. 160. p. c.

1. Ichneumon.
2. Musca tripitis, rarior.

IV. MUSCA. LINN. 161. p. 69.

1. Culex.
2. Musca domestica { glabra. hirsuta. stridens. variæ.

   Piper muscis letale.
3. Oestrum. Cervorum Caprearumque cutim perforant, in tunica cellulosa nidulantes, omnem depascunt adipem maximo pruritu.
4. Tabanus.

## ORDO III.

HEMIPTERÆ. Alæ seu Elytra nec præsentia, nec absentia.

I. STAPHYLINUS. LINN. 163. p. c.

1. Blatta lucifuga.

II. FORMICA. LINN. 164.

1. Formica { rubra. atra. } Vires medicatæ acido - volatiles.

III. GRYLLUS. LINN. 166.

1. Gryllus domesticus, stridore molestus.
2. Gryllo - talpa, ex observat: MULLERI.
3. Locusta { major. minor.

IV. CI-

IV. CICADA. LINN. 167. p. c.

V. CIMEX. LINN. 168. p. c.

1. Cimex lectularius. Num cocti cum Fabis numero 7. juxta *nevv universal English Dispensator.* 8vo p. 502. b. Londin. 1747. incipiente paroxysmo dati, quartanam fugant? experiendum. Exstirpatio eorum omnem artem & superstitionem, remediaque varia elusit hucusque. Pauperibus frequentior.
2. Orsodachne.

# Ordo IV.

APTERA. Alæ nullæ.

I. PEDICULUS. LINN. 171. p. 70.

1. Pediculus humanus. Spiritu Vini necandus.
2. Pediculus quadrupedum.
3. Pediculus avium.
4. Pediculus vegetabilium. Pauperibus, Nautis, Militibus, Viatoribus nimis notus.

II. PULEX. LINN. 172. p. c.

1. Pulex vulgaris.

III. ACARUS. LINN. 176. p. c.

1. Pediculus scabiei.
2. Pediculus phtiriaseos pudendorum.
3. Ricinus.

IV. ARANEA. LINN. 177. p. c.

1. Araneus, corpore sphærico, ex dorso parit aranulas, observante PRIZIER, Consil. Hassiac.
2. Phalangium; taceo varietates.

V. CANCER. LINN. 180. p. c.

1. Cancer fluviatilis, in rivis frequens.
   Lapides ejus absorbentes modo acidum; & quidem præstant infantibus. Cæteræ vires hyperbolicæ.

VI. ONISCUS. LINN. 180. p.c.

1. Millepes.

2. Asellus aquaticus.

Insectorum vires nocivae potius, quam salutares. Usus in medicina cautus sit.

# CLASSIS QUARTA.

## *VERMES.*

*Corporis* musculi ab una parte basi cuidam affixi.

## ORDO I.

I. LUMBRICUS. LINN. 185. p.71.

1. Intestinum terrae.

Lumbrici intestinorum una eademque species.

Vires antispasmodicae; sed ne nimis laudentur varia inde praeparata.

II. HIRUDO. LINN. 186. p.c.

1. Sanguisuga, in rivis *zu Stockhausen*, rara.

## ORDO II.

ZOOPHYTA nuda, artubus instructa.

I. LIMAX. LINN. 188. p.c.

1. Limax { albus, hyeme cochlea tectus. / niger. / ruber. }

Antiphthisicum incrassans eorum jusculum, proprio experimento.

## ORDO III.

TESTACEA tecta tegmine heterogeneo.

I. CONCHA. LINN. n. 198. p. 72.

1. Chama, in piscina *zu Eisenbach.*

2. My-

Mytulus, ibid.

Oſtracodermata, ob lapideam indolem, ſtomachum gravant, ideo parcius ſolito porrigenda.

Animalium obſervatur gradatio. Aſcendendo; Quadrupedum: Elephas; Piſcium: Cetus; Avium: Aquila; Amphibiorum: Crocodilus; Inſectorum: Scarabæus, &c. termini videntur. Deſcendendo terminus ultimus hucusque latet. An indefinitus? Animalia recenſere difficile. Inſecta; immo eorum Inſecta oculis ſiſtere; difficilius. Rationem, tam τȣ ὅτι, quam τȣ διότι eorum; majoris noxæ, minoris incertique uſus; ſtructuræ; generationis; evolutionis, &c. difficillimum. Felicius forte Nepotibus ævum.

# PARS QUARTA.

## *DE AËRE, AQUIS, ET LOCIS RIEDESELIANIS COMMENTATIUNCULA.*

## PRAEMONENDA.

Ad Hiſtoriam naturalem aliquo modo perfectam, Quadrans ad Poli altitudinem; Libra Muſchenbrœckiana ad aquas ponderandas; Barometron, Thermometron, &c. ſeries obſervationum meteorologicarum; Menſura Nivis, ad normam Academiæ Pariſinæ; Inſtrumenta Geometrica, ad montium altitudinem, regionum locorumque ſitum dimetienda, Viſcerum terræ inſpectio; Stratorum ſitus, materiæ craſſities, &c. requiruntur. Hiſce omnibus deſtitutus, quæ per inopiam licuit, præſtiti.

## *I. DE LOCIS.*

§. I.

REGIO Riedeſelio-Avimontana tota eſt mediterranea. Altitudo Poli 50 36′ circiter. Latitudo, ſcilicet *von Fleſchenbach*

versus *Schvvarz*, decem horarum circiter maxima. Longitudo maxima, scil. von *Dirlamen* per *Eisenbach* versus *Landenhausen* 14. horarum circiter.

§. II.

Hæc Ditio orientem versus *Fuldensi* & *Silicensi* (*Schlitissensi* in vetustis Codicibus), Meridiem versus Fuldensi iterum & Isenburgico-Birsteinensi; Occasum versus Hasso-Darmstadensi & Isenburgensi; Septentrionem versus Hassa-Cassellanæ Regionibus conterminat.

§. III.

*Solum* (exceptis vicis *Maar* & *Landenhausen*, ubi arenosum) glarea humoque mixtum, lapidibus nigris (*Pyromachis*, Mineralog. Class. I. B. 2. 3. 5.), mundo coævis, consperfum, vicina Wetteravia frigidius licet, attamen radiis solaribus, lapidibus iis exceptis, calidum redditur. Omnia ad vitam necessaria, (excepto Vino *), multo labore profert; quo sterilius solum, eo laboriosiores incolæ. Pares labores eorum divitiæ, & vice versa.

§. IV.

*Fructus*, v. gr. Poma, Pyraque acerbiora, magisque adstringentia Wetteravicis, Franconiisque. Pulpa horum nec adeo mollis, nec adeo succulenta; circa medium granulosa, integro mense serius maturescunt vicinis regionibus. Ubertas non semper cum iis communis, sed quandoque inverse se habet; immo infrequens. Ver tardum, frigidum. Venti frigidi. Pruinæ pistilla florum quovis fere anno destruunt; ideo cultura arborum difficilis, in altum ruri raro crescunt erectæ. Erucæ magnam fructuum copiam destruunt rodendo, nec algidissima hyems eos interi-

*) Vini cultura, ob inclementem Jovem, non succedit. Tentamen a multis retro annis in aprico declivi versus *Stockhausen*, sed frustraneo successu, factum, nomen *Weinberg* superstes indicare videtur.

interimere valet. Frumenta degenerant. Uſtilago vere pluvioſo frumenta corripit, comeſta temulentiam, mixta pani, ciet.

§. V.

*Fagorum*, *Quercuum* ſylvæ copioſæ ſpontaneæ. *Abietina* unica, & quidem ſata circa *Maar*. Ob ſylvarum copiam incolæ erant ligni prodigi olim, nunc Superiorum juſſu coërciti. *Torfam* adeſſe nullus dubito; modo effoſſio tentetur.

§. VI.

SOLI indoles circa Urbem talis: Primo anno Frumentum, ſecundo hordeum aut avena; tertio, & quidem vere, linum ſeritur. Autumno ſequente fimo tegitur, frumentum denuo ſeritur; ſic nunquam, aliis vero locis per annum quieſcit.

§. VII.

DITIO in plures præfecturas diviſa, variam exhibet Soli indolem.

1. Præfectura *Freyenſteinau*, ultimus hujus Ditionis meridiem verſus terminus, altiſſima, ſylvis non adeo abundat. Solum aliquo modo argillaceum. Avena copioſe colitur; Paſcua bona. Vaccarum ubertas; quarum *morbus epidemicus* An. 1746. magnam fecit ſtragem.

*Nota:* „ Erat morbus inflammatorius (an ex contagio? etenim „ non ſemper inde, ſed ab aëris viciſſitudine tales mor- „ bos oriri, docuit TRALLES, *Exam. rigor. Cap. 19. §. „ 21. p. 415. ſeq.* Conf. BOERHAAVE *Chym. Tom. I. p. „ 407. & Aphorism. pract. §. 1407. 1408.*) pecudum, „ quem aut in caſtris Gallorum, quo commeatum vehe- „ rant, aut nimio labore, æſtu, aqua contraxere. Non „ me temperare poſſum, quin hac occaſione de hujus „ morbi indole mentem meam (ſalvo meliori) aperiam, „ cum ejus in Friſia quoque ſtragem centum millia vi- „ derim mœſtus. Morbus vere inflammatorius a Syno-

„ cho

„ cho putrida Veterum ſeu Febre maligna modernorum „ parum, etſi, ſolo ſubjecto differt. Humano more igi- „ tur tractandus: v. gr. Venæ ſectione pro gradu & ra- „ tione morbi, ſubjectique; exploratione pulſus; inſpe- „ ctione linguæ, oculorum; tegendo corpus & defen- „ dendo illud a refrigerio aëris humido-calidi (omnium „ nocentiſſimi); mutando ſtabula, aërem, accenſo pul- „ vere pyrio, ſulphure, ſaccharo, pomorum corticibus, „ prunis inſpergendo. Interne decoctis antiphlogiſticis, „ nitratis, acidulis vegetabilibus, ſaponaceis, camphoratis, „ aceto; potu farinoſo diluto, clyſteribus ſimilibus, ſe- „ taceis, &c. Exulent igitur bezoardica, terrea fatua; „ Theriaca, Aſa fœtida, rad. Gentianæ, Ruta, Salvia, „ Abſinthium & ſimilia; noxia. Periculum faciendum, „ num pellis detracta coriatoribus parabilis abſque noxa „ foret? adhuc ſub judice lis eſt: num contagium poſt „ mortem pilis ut tubulis capillaribus adhæreat activum? „ aut cum morte ſimul ceſſet energia? hoc vero ſimilius „ videtur, excepto Contagio peſtilentiali vero. Lues „ hæc omnium Academiarum, Collegiorum medicorum „ hucusque fefellit operam, eaque agyrtarum riſui, ru- „ ſticorumque expoſuit planctui. Intereſſet Reipublicæ, „ ut conjunctis viribus in hujus diri morbi indolem, v. g. „ juxta BOERHAAVE *Aphor. cit.* §. 1412. inquireretur, „ deinde methodus medendi, ſublata ruſticorum (juſſu „ Superiorum) obſtinatione, ſuperſtitione, rationalis ad- „ hiberetur. Cui ipſi Conductores, Paſtores, Coloni, im- „ mo Domini, novitate perculſi, refragantur. Vis con- „ ſuetudinis & præjudicii ratione fortior! „

2. Præfectura *Engelroda*, fines hujus Ditionis verſus occaſum conſtituit. Paſcua ibi abundantia. Solum lapidoſum (§.III). Fru-

Frumentum ponderofum, avena rarior. Panis niger, gravis ventriculo inadfuetis; ad marginem tractus montofus, fylvis denfiffimis refertus. Incolis *Obervvald* adeft. Conf. §. VIII. feq.

3. Præfectura *Altenfchlirf* in centro fere jacet montofa. Rupes et pafcua paludofa continet, frumenta producit, fylvasque linumque.

4. Præfectura *Stockhaufen* montofa itidem, fylvis, paludibus abundat. Linum copiofe feritur, ad orientem tangit Fuldenfem regionem.

5. Praefectura *Landenhaufen* planior. Solum habet arenofum (§. III.). Frumento abundat. Sylvæ copiofæ. Coelum mitius, calidius. Ideo *Wetteravia minor* incolis audit. Fines iidem cum priori.

6. Præfectura *Lauterbacenfis*, montofa, abundat Lino, pafcuis, frumento, riuisque. Solum circa Vrbem argillaceum; longius ab ea, lapidofum; verfus *Sickendorf* rupeum; verfus *Hebloos* paludofum. Panis uti (2). Gramen pafcuorum, exceptis floribus, vix ultra tres pollices altum. Tempus primi foenifecii raro ante medium aut finem Iunii; fecundum menfe Septembre incidit. Fagopyrum fatur quoque. Orientem verfus, Silicia limites.

7. Præfectura *Oberohmen* in Haffia fuperiore fita folo gaudet argillaceo-arenofo; pafcua, frumenta producit, &c.

§. VIII.

TOTA Regio montofa, collium tractu vagorum, parallelo fitu inter fe ab occafu orientem verfus, conftat. De montibus Avimontanis hifce in parodo egit LIEBKNECHT Tract. *de Diluv. univerf. Sect. II. Cap. III.* §. *26. p. 300.* Verfus occafum eft Collium catena elatior, a Septentrione ad Meridiem protracta, fylvofa, *Obervvald* (§. VII. 2.) dicta, cuius initium: Haffia, finis Mœni

 lit-

littora in Franconia. Hæc catena Haſſiam inferiorem & Ditionem Riedeſeliam a Wetteravia ſeparat. Hyems ibi ſemper algidiſſima. Nivis ſyrtes ad altitudinem 10. 12. 15. 18. ulnarum ventis coacervatæ, ventorum ope, incolis *Windvveben*, ſylvas domosque obruunt, viasque delent, menſe præſertim Decembri & Ianuario.

§. IX.

CACUMINA montium ſylvas ferunt; hinc altitudo eorum vix ſubalpina; itaque multum abeſt, quin cum Helveticis aut Hercynicis ſint ejusdem altitudinis. Viæ omnes aſperæ, lapidoſæ, rupeæ, raro argillaceæ, rarius arenoſæ.

## *II. DE AËRE ET VENTIS.*

§. I.

*Venti* omnes univerſales, vehementes circa æquinoctia, a Borea cœlum ſerenum frigidum; a Favonio procellæ, pluviæ; ab Auſtro calidus humidus; ab Euro æſtate frigidiuſculus, hyeme frigidus ſiccus inducitur aër. Boreas incolis *Heſſenvvind* audit. Ferrum aëri expoſitum longo demum ſpatio rubiginem contrahit; hinc aër ſiccus. Nebulæ in vallibus Vere et Autumno frequentes.

§. II.

*Ver* inconſtans, ventoſum; æſtas calida ſicca; autumnus ſerenus tranquillus; circa finem Octobris nebuloſus; hyems ſicca, frigida, multa nive conſtante; Borea flante utplurimum. Conf. 15. I. §. VIII. Rigor eius æquat Helveticum. Tonitrua pro æſtatis calore frequentia ſatis. Auroram borealem hyeme ſæpius obſervavi; tempus vero excidit.

§. III.

*Clima* cujusque pagi ab altero differt; attentus ſingula quavis hora hoc obſervare valet. Urbs *Lauterbach* †) mitiori gaudet

†) *Lauterbacum* An. 1261, a BARTOCHO a LEYPOLD, Abbate Fuldenſi

det cœlo, utraque hyeme 1744 — 1745; 1745 — 1746. nix ad altitudinem 8. pollicum in urbe & adjacente regione cecidit, cum in vicinis pagis ad 12. 16. poll. & in montibus tribus Leucis distantibus (S. I. §. VIII.) ad totidem pedes delapsa fuerit.

Arx *Eisenbach* *) vetustissima †) RIEDESELIORUM Sedes, in anfractibus montium sita, sylvisque cincta, algidiore premitur cœlo.

## *III. DE AQUIS*

### Fluminibus, Rivis, Fontibus.

§. I.

*Orientem* versus ex pluribus fluviolis innominatis oritur *Silicia* (vulgo *Schliz*) fluvius, ad urbem ejusdem Nominis cum Fulda confluens.

§. II.

*Occidentem*, seu Wetteraviam versus, fluvii, v. gr. *Nidda*, *Horlosa*, *Wettera*, in montibus *Obervvald* (Sect. I. §. VII. VIII.) oriuntur, cum Mœno, &c. confluentes; ibidem *Ohma* fl. in prato: *das heilig Blut*, scaturit, cum Lahna confluit; circa *Engelrodam* ortus rivus *Catharina*, vulgo *der Catharinen-Bach*, in Niddam abit, cumque ea Mœno jungitur. *Salza* prope Freyensteinau Siliciæ fontium (§. I.) unus, *Altenfell* rivus, itidem prope *Landenhausen* oriuntur, Siliciam petentes. Rivi fluviique itaque ex hac regione defluunt, qui cum Visurgi (§. I.) ad Mare

 Balti-

densi 49mo (BERTHOO II. Abbate 46mo BROWER l. c. L. IV. p. 310.) mœniis cinctum & foveis pro munimento. VALENTIN MüNZER Chronogr. 4to, 1550. p. 145. b. Bernæ impressa.

*) Idem BARTOCHUS An. 1261. (1269. BROWER l. c.) Arces Eisenbach & Wartenbach destruxit.

†) *Vetustissima.* In limine Portæ conclavis spatiosi Inscriptio exstat: *Johannes* & *Volper* Riedesel An. 1580. hanc vetustissimam (*uraltes*) Domum renovarunt.

Balticum; & alii, qui cum Rheno ad Oceanum Germanicum migrant.

§. III.

*Rivi* in vallorum angustiis placide decurrunt, rarissime per rupes saxaque. Lapsu temporis excavati alvei nulla vestigia inveni. Circa Urbem copiosi limpidissimi, an inde nomen ejus? aut a fluviolo *Luther*, qui prope *Crainfeld*, Ditionis Hasso-Darmstadinæ hodie; in Buchoniæ vero olim finium pago, scaturit, haudque procul ab hac Urbe Regionem Riedeseliam transfluens Fuldam intrat. BROWER *Antiquit. Fuldens.* Lib. I. Cap. IV. p. 16. Cap. XI. p. 149. Fol. *Antverpiæ* 1612.

Cataracta Rivi unica ad stagnum Arcis Eisenbach, altitudinis pedum 15. haud inamœni strepitus adest.

§. IV.

*Aquæ* pleræque puræ, limpidæ, dulces, leves, mites, sitim extinguentes, spirituosæ, si ita fari licet. In Urbe ad ripam fluvii fons, cui nomen *Röhrborn*, & alius in arce *Eisenbach* optimi; quo Machina hydraulica truditur, scaturigo *Rosenborn* dicta.

§. V.

*Quorundam* pondus specificum libra exploratus inueni sequens:

1. Mensura erat Aqua Endiviæ, quæ vasculo inclusa ponderabat ℥iß. gr. 30.
2. *Aqua pluvialis filtrata* ℥iß gr. 47.
3. *Röhrborn* §. IV. — ℥iß — 43.
4. *Burgbrunn* ibid. — ℥iß — 52.
   Ventriculum gravat; asper.
5. *Schadgesbrunn.* — ℥iß — 35.
   Magnæ famæ, mitis, dulcis, spirituosus.
6. *Altenschlirf* in pago. — ℥iß — 35.

Sua-

Suavissima, mitissima.

7. *Rosenborn* §. IV. — — ℥iß gr. 44.

Dulcis sitim bene extinguit.

Ex Observatione ZEHNERI

8. *Eichbrunn.* — — ℥iß — 28.

9. *Papiermühle.* — — ℥iß — 28.

Aquarum qualitas singulo pago variat, omnes cito calescunt, cito frigescunt. No. 3. 5. 7. ad Vitri parietes spatio quadrantis horæ bullulas copiosas demittunt.

§. VI.

In lapidicina montis *Kulberg* duæ scaturigines adsunt frigidissimæ, *Kalkborn* dictæ. In tractus montosi *Obervvald* loco quodam fons adesse dicitur, nomine *Schvvarzenborn*, cujus arena aurifera esset.

1. Aqua fontana *in Stockhausen* gravis, aspera, vappida, sitim non extinguit, huic similis *in Maar* & *Landenhausen* Sect. I. §. III.
2. In *Freyensteinau* levior, vappida tamen, nec sitim bene extinguit.
3. In *Hopmansfeld* & *Engelroda* levis, dulcis, secunda *Lauterbacensi* §. IV.
4. In *Oberohm* vappida. Omnes quotquot gustavi folia Thee-Boy bene extrahunt.

Salini fontis vestigia haud procul a *Landenhausen* in conspectum veniunt, forte ex vicinia, *Salzschlerf* Fuldensi, ubi salinæ mediocris proventus?

## *IV. OECONOMICA.*

§. I.

*Hyeme* Boves stramine tam secalino, quam hordeaceo: Vaccæ hordeaceo, avenaceo, cum pauxillo fœni paleæque, condimento muriatico ex foliis brassicæ capitatæ, crispæ, lactucæ, betæ, furfure, nutriuntur. Lac vero inde acorem contrahit.

§. II.

Lac mulſum vaſis figulinis non vitreatis excipiunt, tectum loco ſervant calido incolæ. Cremor innatans in aliud vas collectus copioſus, acidus in butyrum compingitur ſingulo demum octiduo. Ex reſiduo lactis terreſtri Caſeos pugni magnitudine formant, quibus pro guſtu Cuminum admiſcent. Serum acidum turbidum uſui medico inutile. Cuivis regioni peculiaris mos, cui, licet optimo non ſemper, tenaciter adhærent adſueti. Vaccæ lactis libras octo ad maximum quotidie reddunt. Caro bovina boni ſaporis.

§. III.

*Olera hortenſia* ægre & tarde proveniunt, vernalia præcipue. Annona alendis incolis non ſemper ſufficit. Inopia ex vicina Wetteravia & Haſſia annis ſterilibus reſarcitur. Frumenti tertia pars farinæ; altera ſpiritui; tertia cereviſiæ impenditur. Cereviſiam ex polenta aëre ſiccata (*Lufft-Malz*) ſalubriorem præ furno ſiccata (*Dœrr-Malz*) ægris obſervavi. Ex Rapiſtri ſemine circa *Angersbach* culti olei copia exprimitur alendis flammis.

§. IV.

*Farinam* nimio fermento & aqua calida miſcent, nec per debitum temporis ſpatium furno permittunt piſtores. Hinc panis acidus, gravis, iners, tenax; cruſta tenuis; nimius uſus glutinoſum lentorem, ſodam, ventriculo gravitatem; infantibus Rhachitidem, Achores, Scabiem excitat.

§. V.

*Butyrum* incolis, utut Septentrionalibus, in deliciis; contra Meridionalibus nauſeabundum. Spiritus frumenti uſus frequens.

## *V.* INCOLARUM.

### A. Indoles.

(a) *Animi.*

*Nota.* A potiori fit denominatio.

§. I.

§. I.

*Ingenioſi*, integri, candidi, manſueti, prudentes, cultui Religionis addictiſſimi. Hyeme otioſiores libros Theologicos & Hiſtoricos evoluunt avidi. Sobrii, parcimoniæ, œconomiæ ſtudentes; aliquantulum ſuperſtitioſi. Amore Patriæ detenti, ægre & raro ad exteros, licet modo ad Haſſos vicinos, aut migrant, aut ibi breui commorantur, Patriam ſuam optimam rati. Artifices patria arte contenti, apud extraneos nullus ejus augmentum ſperantes, patrios Lares ſedulo cuſtodiunt. Hinc iuſſu Superiorum ad itinera coacti fuere ſapienter. Mercaturæ incumbentes urbanitatem, vicinis Wetteravicis & Fuldenſibus neglectam, contraxerunt gratam omnibus.

(b) *Corporis.*

§. II.

*Statura* mediocris & ultra ad 5. ped. 6. poll.; 6. pedes 2. 3. 4. poll. Robuſti, tenaces, laboris patientes, corpus gracile. Hyeme texturæ, æſtate agriculturæ incumbunt gravi pares labori. Quivis artifex multiplex, Textor, Faber, Sartor, Sutor, Scriniarius, &c. duro ſimplici victui adſueti. Braſſica muriatica, Ciceres, lac, toto anni ſpatio absque nauſea cibus illis gratus. Incolæ *in Rebgeshayn*, quibus Ver nunquam, toto anno radice *Solani tuberoſi eſculenta* (*Tartoffeln* dicta) veſcuntur, ſcabioſi plurimi; ceterum bene valentes. Frigoris adeo impatientes, ut diebus canicularibus, imbre ſubito ingruente, aut flante Borea, fornacem calefaciant agiles; porta, feneſtris patulis. Subjectum commercii: Lana, Linum, Lintea, Butyrum, Jumenta.

§. III.

*Ciues* ſpeciatim morum ſuavitatem, cum antiquo Germanorum candore jungunt gratiſſimi, humani, benefici, pacifici, infucati. De liberorum educatione & conquerendis mercatura, itineribus, honeſto labore, induſtriaque bonis, ſolliciti, Superis obedientiſſimi. Alma & parentibus digna juventus.

§. IV.

§. IV.

*Architecturam* modernorum nec Architecti, nec ædificantes sequuntur. Domicilia absque Symmetria & Eurythmia trabibus quercinis nimiis & nimis solidis construuunt. Interstitia ramis faginis intortis implent. Argillam postea iniiciunt stramine mistam, exsiccatam dealbant, calce obducunt. Hypocausta demissa (§. I.)

## B. Morbi.

§. I.

*Oculis*, Rheumatismis, Hectica, Arthritide, Scabie potissimum laborant, Apoplexia infrequens, plurimi morbi in hecticam abeunt lethalem. Aestate 1745. 1746. dysenteriæ; Hyeme 1746. morbilli & variolæ grassatæ benignæ. Singulo Vere febres catarrhales benignæ observatæ. Vulnera capitis, majora licet aut periculosa, facile; pedum uero, licet levia visa, difficillime sanabilia.

§. II.

Febres intermittentes rarissimæ incolis, præcipue assidue in patria degentibus. Si qui iis laborabant, ex Wetteravia aut vicinia reduces secum reportabant, errore diætæ, conscii.

§. III.

Tabula morborum alphabetica. Numerus laborantium civium plerumque ab Ao. 1744 – 1747.

| | |
|---|---|
| Abortus — — — — — | 4. |
| Angina — — — — — | 1. |
| Ani procidentia — — — — | 1. |
| Apoplexia — — — | 4. |
| Arthritis — — — — | 21. |
| Asthmata varia — — — | 20. |
| Aurium morbi — — — | 4. |
| Calculus renum — — — | 1. |
| Cancer Mammarum — — — | 2. |

*Nota.*

*Nota.* Cancer Mammæ exulceratus, Cortice Peruviano ſanatus. Cortex in Belgio diro huic morbo felici cum ſucceſſu opponitur, modo ſequerentur hanc methodum timidi Germani.

Cancer membrorum — — — 2.
Carcinoma naſi — — — 1.
Morbus parum adhuc deſcriptus.
Catarrhus ſuffocativus — — — 1.
Chloroſis — — — — 14.
Colicæ variæ — — — 25.
Epilepſia — — — — 6.

*Nota.* Epilepticum puerum 14. annorum Corticis Peruviani ope ſanatum vidi.

Febres { continuæ — — — 37.
Febres { eryſipelaceæ — — — 31.
Febres { intermittentes (§. II.) — — 19.
Febres { petechiales — — — 2.

Hæmoptyſis — — — 4.
Hectica — — — 20.
Hemicrania — — — 2.
Herniæ plerumque adultorum — — 6.
Hydrops. An a nimio uſu Spiritus frumenti? 15.
Icterus — — — — 8.
Leucophlegmatia — — — 2.
Lues venerea — — — 1.
Melancholia — — — 7.
Meliceris in manu — — — 1.
Ophthalmiæ variæ — — — 100.
& quidem pauperum colonorum plerumque.
Palpebrarum Spasmus — — 1.
Suffuſio ſeu Cataracta — — 4.

| | | |
|---|---|---|
| Uveæ Paralyſis | — — — — | 1. |
| Paralyſis membrorum | — — — | 4. |
| Paſſio hypochondriaca | — — — | 4. |
| Paſſio hyſterica | — — — | 87. |
| Phthiſis pulmonalis. | — — | 12. |
| Pleuritis | — — — — | 27. |
| Pulmonum tubercula | — — | 2. |
| Ranula linguæ. | — — — | 1. |
| Rhachitis | — — — | 6. |
| Rheumatismus | — — — | 36. |
| Scabioſi, pauperes coloni maxime | — | 80. |
| Scorbutus | — — — | 5. |
| Scrophulæ | — — — — | 3. |
| Secundinarum retentio | — — — | 2. |
| Serpigo in colonis | — — | 11. |
| Stranguria | — — — | 10. |
| Strumæ infrequentes | — — — | 4. |

*Nota.* A contentis aquarum mineralibus minime, ſed a frigiditate nivea oriri videntur Strumæ. In Belgio foederato, Friſia præſertim, nullæ cernuntur; nil frigidi, ſed cereviſia, Theæque vulgo bibitur ibi infuſum.

| | | |
|---|---|---|
| Sudores nimii | — — — | 2. |

*Nota.* Eos cum Febre lenta Cortice itidem ſanatos ſcio.

| | | |
|---|---|---|
| Tabes dorſalis, incurabilis mihi | — — | 1. |
| Tuſſes variæ | — — — | 26. |
| Ventriculi morbi; anorexia, ſoda, cardialgia, &c. | | 57. |
| Vertigo caduca in colono | — — | 1. |
| Vertigo idiopathica | — — — | 1. |
| Uteri hæmorrhagia | — — — | 12. |
| Uteri inflammatio | — — — | 1. |
| Veſicæ hæmorrhagia | — — — | 1. |
| Vomitus cruentus | — — — | 1. |

Taceo

Taceo vulnera, ulcera, abſceſſus, fiſtulas, fracturas, luxationes, caſui potius, quam aëri, indolique tribuenda Incolarum. Defunctorum numerus in urbe quotannis circiter 90. ad 95.

## C. Medicina.

### §. I.

*Morbo* quovis quocunque tempore, immo æſtate fervida correpti, lignum fornace accendunt ſeduli adſtantes, optimum remedium cenſentes. Superſtitioſi, aut morbos faſcinatione, aut amuletis et incantamentis fugandos perſuaſi, Agyrtas quandoque ſequuntur. An erroris præ veritate majus imperium? Ad primum morbi ſenſum quisque ſuus Medicus ſpurgans aſſumit, v. gr. ex radice Hellebori albi in 11. 13. 15. fruſtula ½ lineæ longitud. diſſecti, in vino aut ſpiritu frumenti per noctem infuſa, quandoque Colocynthidis ℥ß. aut ℥j. infuſæ aſſumunt, vehementiſſimo immo ſæpius deleterio effectu; quo major ſedium numerus, immo ad lypothymiam usque, eo major ipſis ſanitatis ſpes, majorque in medentem fiducia.

### §. II.

In febribus intermittentibus radice Gentianæ raſæ, in ſpiritu frumenti ſemihorio ante paroxysmum hauſta utuntur. Ter aut quater repetito hoc remedio fugatur febris primaria & recidiva. In omnibus morbis ad vinum confugiunt; recens puerperis copioſe absque notabili noxa propinant. Præjudicium, de Venæſectionis in pede præſtantia, ad ruſticos migravit quoque ei tenaciter inhærentes.

*Nota* „ Nonne inſcitia Medicorum in anatomicis & phyſiologicis, defectus ſanæ theoriæ, una cum præjudicio auctoritatis, mater hujus methodi? Hac occaſione erudiri cuperem; num (1) hæc conſuetudo Gallorum præjudicio de plethora & ſpiſſitudine ſanguinis innitatur? (2) anne nimius Ven. Sect. uſus a tempore STAHLII circa initium hujus Seculi ortus ſit? (3) an homini non adſueto, Ven. Sect. prophylactica metu futuri, licet ignoti, morbi ſuadenda ſit? (4) an Ven. Sect. morbos e longinquo, cognitos licet (excipio morbos periodicos, v. gr. Hæmorrhagias, motus ſpaſtico - congeſto-

„ rios ea jam certissime sublatos,) avertat? (5) nonne
„ subjectum prius explorandum, num (a) justam, aut (b)
„ nimiam, aut (c) justo minorem sanguinis quantitatem
„ habeat? Nonne inde tres diversi effectus distinguendi
„ sequuntur? (6) an Ven. Sect. adsueti eam sine sanitatis
„ dispendio omittere audeant, si non plethorici fuerint.

§. III.

*Sitim* in pleuritide, colicæ speciebus variis, Diarrhœa, Dysenteriis, aqua frigida extinctam vidi robustissimis. Uroscopia ab agyrtis, mulierculis, opilionibus, magno exercetur applausu. Venæ sectioni prophylacticæ vernali & autumnali æque laboriosi Coloni, ac otiosi Nobiles civesque, adsueti.

§. IV.

In Scabie, morbo huic regioni, mea quidem sententia, endemio, contagioso, optimo cum successu adhibent

1. Spiritum Vitrioli, quocum loca tangunt scabiosa, dolores inde ferentes patienter.
2. Unguento mercuriali dubio eventu se inungunt.
3. Corticem interiorem frangulæ butyro adhibent torrefactam.
4. Erisypelati mammarum œsypum calidam imponunt.
5. Quiete & abstinentia gravissima superant morbos.
6. Plurimi vitam ad 60. 70. 80. 90. annos protrahunt, robustissimi, laboriosi, sobrii quidem, pauperes plerumque. Longævitas sobrietatis æque sub æquatore ac Polis merx.

§. V.

An quævis regio sufficientia & adæquata remedia producat, uti quidam Medicorum pie volunt? sane de re medica actum esset, si Opio, Castoreo, Cinnamomo, Camphora, Cortice Peruviano, Rhæo, Vino, Mercurio, &c. careremus exoticis; sine quibus Medicus esse nollem.

§. VI.

Medicus in morbis chronicis, Vires vitæ in acutis omnia perficiunt.

TANTUM.

IOAN-

# IOANNIS AMBROSII BEVRERI

Academ. Imperial. Nat. Curiosor. Collegæ,

## EXAMEN CHEMICVM

# PICIS LIQVIDÆ

tam illius, quæ in Norvvegia, quam ejus, quæ in Thuringia paratur.

# A. & Ω.

Licet pix liquida, qua navigantes multum utuntur, a vicinis noſtris, in terris ſcilicet Bambergenſibus atque in Palatinatu ſuperiore, etiam conficiatur, atque ego ejusdem picis liquidæ examen inſtituere chemicum mihi propoſuerim: non tamen eam, quam in vicinia parant, ſed illam, quam in Norwegia Thuringiaque perficiunt, examinare volui: binas namque haſce ſpecies illas eſſe, ex quibus Angli, ob virtutes medicas adeo celebratum infuſum illud picis liquidæ conficiunt, veriſimile videtur. Ante omnia itaque de obtinenda ſufficiente quantitate utriusque hujus picis liquidæ ſollicitus fui, atque hinc amicum meum cariſſimum, Dn. *Jo. Mauritium* PERTHES, Pharmacopœum apud Erfurtenſes celeberrimum, nec non Chemicum exercitatiſſimum, precibus exoravi, ut iter in ſylvas Thuringiae, atque ad loca illa, ubi picem parant, ſuſciperet, mihique, quæ ibidem viderit, tranſcriberet, picemque liquidam mitteret. Obtinui hinc ab eodem non tantum relationem de modo, quo picem ibidem parant, ſed etiam varia ex pice producta, nec non picem liquidam ipſam, ita, ut hanc æque ac illam, quæ in Norwegia conficitur, quæque mihi ſimiliter transmiſſa fuit, examinare potuerim.

De ipſo conficiendi modo non multa jam ſum dicturus, quippe quod varii jam egerunt Auctores; priusquam tamen ipſa experimenta a me inſtituta in medium proferam, paucis monendum eſſe duxi, parari picem in Thuringiæ ſylvis ex pinu atque abiete, eſſeque picem liquidam productum tertiæ quartæque deſtillationis; picem namque, quam hiſce eliciunt, miſcent invicem, doliis indunt aliasque in regiones transmittunt. Fit dein per ulteriorem coctionem, ex pice liquida, pix illa ſicca atque dura, quam *picem nigram*, ſeu *navalem* appellant, quæque no-

ſtris in terris ad varias chemicas, phyſicas, mechanicas œconomicasque adhibetur operationes; quum contra picem liquidam, aliis in regionibus, præſertim vero in Saxonia inferiori, ad illinendas naves rotarumque axungiam in uſum vocent.

His præmiſſis ad ipſum nunc progredior examen picis liquidæ Norwegicæ atque Thuringicæ, quæ initio ſtatim odore ſaporeque inter ſe differre mihi videbantur. Illa enim odore pollet fortiore magisque balſamico hac, quæ etiam linguam ſapore minus balſamico, minus reſinoſo, minus acri, minus amariusculo empyreumaticoque, quam illa, afficit. Differunt inſuper colore & conſiſtentia: color namque, quem pix liquida Thuringiæ fuſcum oſtendit, ſubniger apparet in Norwegica, quæ etiam craſſiorem, firmiorem & pinguiuſculam habet conſiſtentiam, quum illa unctuoſior ſit digitisque adhæreat.

Binas haſce picis liquidæ ſpecies eadem pertractavi ratione, eodem ſemper obſervato pondere, atque hinc ſequentia obtinui producta.

Paravi primo infuſum picis liquidæ ratione a ſumme reverendo Epiſcopo Cloynenſi, Dn. D. BERCKLEY †), deſcripta, deprehendique infuſum picis liquidæ Thuringicæ 1.) coloris fuiſſe magis fuſci plusque in ſuperficie oſtendiſſe olei tenuioris, quam infuſum picis liquidæ Norwegicæ; 2.) odoris autem erat debilioris, 3.) ſaporisque paululum tantum aciduli.

Ablatis accuratiſſime partibus tenuioribus oleoſis utriusque infuſi, in contenta eorundem, ope ſequentium liquidorum atque menſtruorum, inquiſivi.

Infuſum picis liquidæ Norwegicæ,

1.) reddebat Syrupum Violarum pulchre rubrum.

Infuſum picis liquidæ Thuringicæ,

1.) leviter rubrum.

2.) Oleum

†) Vid. *Inquiries concerning the virtues of Tar water* &c. London. 1744. 8vo.

2.) Oleum tartari per deliquium inſtillatum fundum petit: quælibet enim gutta illico deſcendit, dein color ejusdem albus in rubrum abit tandemque tam obſcura evadit, ut omnem perdat pelluciditatem. Eodem tempore attrahit eadem, filorum inſtar, nonnihil ex partibus gummoſo-viſcoſis & oleoſis, quæ ſimiliter ſenſim ſenſimque rubeſcunt, donec tandem omnis portio rubro tingatur colore, dumque hæc fiunt, levis percipitur efferveſcentia. Poſt quietem diuturniorem magma lentum atque nigrum præcipitatur in fundum, infuſo ipſo craſſo, nec non ex rubro fuſco remanente.

2.) Quælibet gutta hujus olei per omne ſtatim diſpergitur infuſum, cum levi quadam efferveſcentia. Infuſum ipſum colorem induit ſaturate flavum, & poſt quietem aliquot dierum præcipitatur in fundum materia viſcoſa ex nigro fuſca, in ſuperficie vero comparent particulæ tenuiores oleoſæ.

3.) Luna in acido nitri ſoluta infuſum aliquatenus reddit rubrum, poſt aliquot dies ſecedit metallum cum partibus nonnihil gummoſis nigricantibus, infuſum vero colorem induit ex rubro fuſcum.

3.) Non mutatur hinc infuſum ſub initio, poſt aliquot vero dies præcipitatur metallum colore nigro tinctum, liquidum ſupernatans turbidum evadit, nec non ex flavo fuſcum.

4.) Solutio mercurii in aqua forti non mutat infuſum per aliquot temporis momenta, illudque clarum relinquit, poſtea vero redditur aliquatenus turbidum,

4) Redditur infuſi color illico ſaturatior, poſt aliquot dies fit præcipitatio liquorque evadit turbidus.

dum, ſubſequente leviore præcipitatione.

5.) Una tantum gutta ſolutionis martis in aqua forti primo omni liquori colorem ſaturate viridem, poſtea plane nigrum conciliat. Poſt aliquot dies præcipitatur metallum cum particulis nonnullis viſcoſis, liquore nigro manente.

6.) Solutio vitrioli martis illico colorem producit plane nigrum.

7.) Cum ſolutione Salis ammoniaci fixi lenis oritur effervescentia, liquor evadit turbidus ſaturateque flavus.

8.) Non effervescit oleum Vitrioli cum infuſo, hoc autem redditur ſenſim ſenſimque turbidum ſedimentumque deponit album.

9.) Spiritus nitri, nec non

10.) ſpiritus Salis communis infuſum obſcurius reddunt, nonnullasque olei guttulas ſeparant.

11.) Solutio Colophonii in alcali fixo facta nihil niſi purpureum in infuſo produxit colorem.

12.) Spiritus ſalis ammoniaci aquoſus lenem excitavit efferveſcen-

5.) Ab hac infuſum initio ſaturate redditur flavum, dein ex nigro fuſcum. Reliqua eadem ſe habent ratione.

6) Color fit ex nigro fuſcus.

7.) Lenior efferveſcentia, liquor redditur ex fuſco ruber.

8.) Eadem.

9.–10.) nulla ſenſibilis mutatio.

11.) Efferveſcentia levis, color ex fuſco ruber.

12.) Similis, ſed levior efferveſcentia, poſt quietem præcipitatum

| | |
|---|---|
| veſcentiam ſeparatoque volatili quodam liquidum reddidit purpureum. | tatum comparebat viſcoſum, ſolutione fuſca evadente. |
| 13.) Acetum deſtillatum nullam edidit mutationem. | 13.) Nec hic ulla mutatio. |

Utrumque horum infuſorum particulas continere acidas, præter ſaporem, oſtendunt plurima experimentorum allatorum: ſyrupus enim Violarum ab iisdem redditur ruber, alcalia fixa & volatilia excitant in iisdem levem effervefcentiam, abiguntque partem urinoſam; præcipitationes autem metallorum oſtendunt, nexas eſſe particulas acidas cum terra tenui, ſalisque eſſentialis inſtar admiſceri infuſo. Quum vero inſuper multis ſcateat particulis oleoſis & viſcoſo-gummoſis, non tam prompte actionem ſuam in illud exſerunt acida vitriolica, acidaque reliqua; turbidum hinc redditur infuſum, admiſtisque variis ſolutionibus color oritur varius.

Deſtillavi porro menſuram unam ſeu uncias xxxij. infuſi ex pice liquida Norwegica parati, ex maris balneo, obtinuique ſub initium liquorem debilem empyreumaticum, tandem vero valde acidum, priore magis oleoſum magisque empyreumaticum. Bini hi liquores, invicem miſti, gratioris erant ſaporis quam infuſum ipſum. Reſiduum formam habebat extracti ſpiſſioris, pondus vero drachmas ſex & grana decem, ſapore, ipſo deſtillato deprehendebatur acidius.

Eadem deſtillatio cum infuſo picis liquidæ Thuringicæ inſtituta, eadem exhibuit producta, minus tamen acida. Reſiduum ſic ſatis acidum unciam ponderabat unam.

Affudi porro unciis duabus picis liquidæ Norwegicæ ſufficientem quantitatem aquæ calidæ, ſicque paravi lixivium, quod per filtrum miſſum, in balneo maris in conſiſtentiam redegi Syrupi liquidioris, atque poſtea in cellam ſepoſui & per ſat longum tem-

pus ibidem reliqui, viſurus, utrum in eodem cryſtalli naſcerentur, quas quum minus obtinerem, ſolutionem denuo igni expoſui, donec conſiſtentiam mellis haberet, quo facto iterum illud in locum poſui frigidum, atque tunc obtinui granoſum ſalinum, ob intermixtas vero partes viſcoſas gummoſasque, tenacius extractum, duas drachmas ponderans. Occupabant partes ſalinæ, pelliculæ inſtar, extracti ſuperficiem, pars vero ejusdem media & infima ſapore carebant acido. Sub evaporationis finem elevabatur vapor, aceti inſtar acidus, liquidum autem, quod ſenſim ſenſimque turbidius reddebatur, multum præbebat olei craſſi. Quum itaque nulla ratione ſal obtinerem ſiccum, neque tantum ſuppeteret picis liquidæ, ut alia inſtituere poſſem experimenta, naturam ſalis hujus examinaturus, pelliculam hanc ſalinam ab extracto caute ſeparavi. Partem illius ſolvi denuo in aqua deſtillata ſimplici, parti hujus ſolutionis filtratæ admiſcui ſolutionem nitri antimoniati, & poſtquam vitrum per aliquot momenta manu fovi, tenuem mox animadverti efferveſcentiam, liberato ſimul acido nitri ex nitro antimoniato, ſeparatisque partibus quibusdam viſcoſis & oleoſis, ſolutioni ſpumæ vel pelliculæ inſtar innatantibus, quæ diebus nonnullis elapſis ſub forma præcipitati nigri & tenacis in fundum cadebant, ſolutio vero eundem ſervabat colorem.

Aliam ejusdem ſolutionis partem miſcui cum acido vitriolico concentrato, reddebatur ſolutio hinc illico turbida coloremque contrahebat ex flavo fuſcum, nullam tamen obſervavi efferveſcentiam, licet poſt aliquot momenta ſubtilius inde ſepararetur acidum.

Tertiæ hujus ſolutionis parti addidi oleum tartari per deliquium, oriebatur tunc levis valde efferveſcentia, quæ ſolutionem craſſam turbidamque reddebat coloreque ſaturate rubro tingebat; ſub ipſa efferveſcentia odor percipiebatur ingratus.

Aci-

Acidum vitriolicum concentratum ipſi magmati ſalino, extracti formam habenti, additum, non ſtatim illud aggrediebatur, fiebat tamen ſenſim ſenſimque ſolutio quædam, atque hac facta contrahebat ſupernatans liquidum colorem ex rubro fuscum, eodemque tempore ſpargebat illud odorem reſinoſum valde gratum. Poſt aliquot dies ſingularem inveni partium ſeparationem; in fundo enim vitri hærebat reſina admodum compacta, huic ſupernatabat materia quædam tenax, parte ſolutionis aquoſa clara exiſtente.

In pice liquida Thuringica, eadem ratione examinata, nullum ejusmodi ſal ſubſtantiale detegere potui. Coibant quidem partes acidæ ſub leni evaporatione extracti, minus tamen quam in pice liquida Norwegica conſpectui ſeſe offerebant. Inſtitui tamen cum extracto hoc aquoſo ſalino, denuo in aqua frigida ſoluto, eadem experimenta modo recenſita, obſervavique eadem phænomena, lentiora tamen debilioraque.

Confirmant itaque hæc quoque experimenta, rectificatio ſcilicet infuſi, partiumque ſalinarum extractio, adeſſe in infuſo hoc revera ſal quoddam eſſentiale, partibus oleoſis, viſcoſis, gummoſisque ita nexum, ut vix ac ne vix quidem purum ab eis ſeparari poſſit. Patet inſuper, picem liquidam Thuringicam partes ſalinas habere ſubtiliores, quum nulla ratione in corpus redigi poſſint ſalinum, atque etiam ope menſtruorum detectæ lentiorem debilioremque actionem exſerant.

Miſcui porro uncias octo picis liquidæ Norwegicæ cum ſufficiente aquæ quantitate, atque dein inſtitui in maris balneo deſtillationem ad ſiccitatem usque. Obtinui ſic 1) olei ætherei, coloris ex flavo rubri, drachmas duas, odorem ſpargentes odo-

ri olei Cinnamomi fere ſimilem; 2) liquorem oleo empyreumatico impraegnatum, acidulum; 3) liquorem impurum quidem, admodum tamen acidum; reſiduum vero picem referebat navalem.

Eandem deſtillationem inſtitui quoque cum eadem quantitate picis liquidæ Thuringicæ, atque hinc omnia modo indicata obtinui quidem producta, hac tamen cum differentia, ut oleum æthereum, magis flavum, non gratum illum aromaticumque picis liquidæ Norwegicæ odorem, ſed odorem empyreumaticum debiliorem olei Pini ſpargeret, drachmasque duas & ſcrupulum unum ponderaret. Liquor etiam ille valde acidus tertio loco ſupra indicatus, jam minus erat acidus, plus vero continebat olei.

Utriusque picis liquidæ ſumſi porro unciam unam, cui primo affudi ſ. q. ſpiritus vini rectificatiſſimi, quumque hic nihil amplius extraheret, aquam adhibui deſtillatam ſimplicem. Poſtea eandem inſtitui cum ſimili quantitate picis extractionem, ita, ut primo aqua uterer, deinde vero ſpiritu vini rectificatiſſimo, atque ſic ſequentia nactus ſum extracta:

| | |
|---|---|
| Uncia una picis liquidæ Norwegicæ dedit, facta primo extractione cum ſpiritu vini rectificatiſſimo, | Uncia una picis liquidæ Thuringicæ, eadem ratione tractata, dedit |
| 1.) Extracti ſpirituoſi Imi drachmas ſex. | 1.) Extracti ſpirituoſi Imi drachmas ſex, grana 40. |
| 2.) Extracti aquoſi IIdi drachmam ſemis. | 2.) Extracti aquoſi IIdi grana duo. |
| 3.) Re- | 3.) Re- |

3.) Reſiduum ponderabat ſcrupulum unum, granum unum.

Uncia una, cui primo aqua, dein ſpiritus vini rectificatiſſ. affundebatur, exhibuit

1.) Extracti aquoſi Imi drachmas duas.

2) Extracti ſpirituoſi IIdi drachmas tres, grana 48.

3) Reſidui grana 14.

Spiritus abſtractitius odorem, ſaporem ſpeciemque habet olei, affuſaque aqua valde lacteſcit, & aliquamdiu in quiete relictus in ſuperficie oleum exhibet. In aqua abſtractitia percipiuntur ſimiliter odore, partes oleoſæ eſſentiales, atque dum abſtrahitur, abripit denuo ſecum particulas quasdam ſubtiles oleoſas eſſentiales, quas extracta ſat copioſe admiſtas habent, ſapore valde acida deprehenditur.

3.) Reſidui grana decem & octo.

Uncia una eodem menſtruo affuſo:

1.) Extracti aquoſi Imi ſcrupulos duos.

2.) Extracti ſpirituoſi IIdi drachmas ſex.

3) Reſidui ſcrupulum unum.

Eadem ratione ſe etiam habent ſpiritus abſtractitius & aqua abſtractitia, quoad odorem ſaporemque. Continent tamen menſtrua hæc plures particulas oleoſas, quas etiam in ſuperficie ſeparatas oſtendunt.

Extractum reſinoſum prioris ſpeciei, ſubtilem ſubjecti ſui ſervat odorem, linguamque ſapore ſuo balſamico & amariuſculo acrius

acrius ferit. Extractum aquoſum caret odore, ſaporem habet initio acido-ſalſum, tandem vero empyreumaticum, amarius-culum atque adſtringentem. Color inſuper ipſi eſt magis nigricans, atque ad aërem facile liqueſcit. Reſiduum Extracti ſpirituoſi ſpongioſum erat colorisque ex nigro fuſci. Reſiduum contra Extracti aquoſi, paleare magis, ſplendens, & pallide fuſci coloris, referebat fere paleas ſeminis lini expreſſi.

Ab extracto reſinoſo picis Thuringicæ ſeparabatur, ſub abſtractione ſpiritus vini, ſcrupulus inſuper unus olei ætherei. Extractum ipſum eundem quidem, ac extractum picis Norwegicæ, debiliorem tamen ſpargebat odorem; ſapor etiam minus erat aromaticus & acris. Extractum aquoſum omni ſimiliter deſtitutum odore, ſaporis erat aciduli, ſubamari & adſtringentis: aëri expoſitum minus liqueſcebat. Reſiduum extracti ſpirituoſi pulverem referebat tenuem, cui ſubtiliores quædam admiſtæ erant fibræ ligneæ. Colorem habebat ſaturate fuſcum, ſimulque ſat erat ponderoſum, licet moles reſidui picis Norwegicæ quadruplo eſſet major. Eadem ratione ſe habebat reſiduum extracti aquoſi, ſi colorem excipias magis ex rubro fuſcum, atque adeo ab illo picis liquidæ Norwegicæ prorſus differt. Bina filtra oleo multo erant imprægnata.

Oſtendunt bina hæc experimenta ſatis ſuperque, differre duas haſce picis liquidæ ſpecies quoad mixtionem internam. Proprium ſcilicet eſt pici liquidæ Norwegiæ oleum æthereum aromaticum, reſiduum ſpongioſum, propriæ ipſi porro ſunt partes acidæ copioſiores, nec non ſal eſſentiale verum. Pix contra liquida

quida Thuringiæ plures oſtendit partes reſinoſas oleoſasque, pauciores vero debilioresque partes acidas.

Pix hinc liquida Norwegiæ magis videtur arte eſſe parata, quam illa Thuringiæ, hujusque rei cauſa, mea quidem ſententia, inventu haud eſt difficilis: quum enim maritimis præſertim in locis pix liquida ad conſervandas adhibeatur naves; pura vero minus lenta minusque durabilis ſit, atque adeo brevi temporis ſpatio, a Solis æque radiis ac a pluviis deſtruatur minusque efficax reddatur, non mirum eſt, ſi homines tentarint, qua ratione illam redderent meliorem durabilioremque.

Hujus rei deſiderium innuit etiam celeberrimus nullique ſecundus Chemicus, Dn. D. NEUMANNUS, Præceptor olim meus ad cineres usque venerandus, in lectione illa chemica, quam ante viginti quinque annos, *de Pice navali*, jam publice habuit, quamque hæres ejus digniſſimus, clariſſ. Dn. D. C. H. KESSEL, ex manuſcriptis beati Viri benevole mecum communicare voluit: quum enim Vir excellentiſſimus in lectione illa rationem reddat, cur in pontibus tectisque pice obductis, pix ſenſim ſenſimque evaneſcat, variaque loca denudata relinquat, &c. mentionem etiam injicit picis liquidæ, ſimulque addit, eandem etiam ob rationem minus contentos eſſe navigantes pice liquida vulgari, quotidieque eosdem novas excogitare miſcelas novaque additamenta, quæ eandem reddant durabiliorem, atque ſi interdum compoſitionem invenerint aliquamdiu durantem, multum illos lucrari.

Proſtant quidem variis in libris multæ harum compoſitionum, quas tamen, quum huc minus ſpectent, lubens omitto, firmiter ceterum perſuaſus, conſideratis productis picis liquidæ Norwegicæ, oleo ſcilicet ejusdem eſſentiali reſiduoque illo ſpongioſo, admiſtum illam habere oleum lini expreſſum, vel aliud ejusmodi oleum. Ad indagandam rei hujus veritatem, ex ligno Pini oleum deſtillavi eſſentiale admodum fragrans; oleo huic æqualem admiſcui olei lini recens expreſſi quantitatem, binaque tam diu agitavi, donec perfecte unirentur: obtinui hinc oleum æque pellucidum ac antea, minus tamen fragrans, ſed odorem picis liquidæ ſpirans: Addidi miſcelæ huic q. ſ. aquæ ſimplicis, eandemque ex balneo maris deſtillavi, eo cum effectu, ut oleum quidem obtinerem deſtillatum, oleo tamen deſtillato picis liquidæ Norwegicæ minus ſimile. Addidi hinc nonnihil olei tartari fœtidi, miſcelamque probe agitatam & digeſtam deſtillavi denuo, atque ſic obtinui ſimile oleum æthereum Cinnamomum ſpirans, ac antea ex pice liquida Norwegiæ obtinueram.

Confirmant hæc inſuper pinguedo illa picis hujus liquidæ, qua digiti minus, quam pice Thuringica, inficiuntur, nec non ſæpius jam memoratum reſiduum illud paleare, ſplendidum, pallide fuſcum ſeminique lini expreſſo ſimillimum, quæ in pice liquida Thuringiæ pura minus adſunt.

Partes

Partes hæ pingues, craſſæ & oleoſæ, ligant reliquas picem liquidam conſtituentes partes, partem præſertim acidam, eum in modum, ut nec ipſæ tam facile ſeparentur, nec etiam Solis radii in easdem adeo prompte agere, ipſamque miſcelam corrumpere poſſint; eandemque etiam ob rationem in pice hac liquida magis illæ ſunt corporeæ, quam in pice Thuringica.

Sed redeo ad experimenta reliqua a me cum pice liquida inſtituta. Sumſi ſcilicet utriusque picis uncias octo, easdemque vitreæ indidi retortæ, dein deſtillavi lento arenæ igne atque ſic obtinui deſtillata quinque ſequentia:

Ex pice liquida Norwegica obtinui ope leniſſimi ignis:

1.) Liquorem ex albo flavum, ſimulque cum illo drachmam ſemis olei rubri grati odoris, quale etiam in deſtillatione in balneo maris nactus ſum, quodque ſuperficiei hujus liquoris innatabat. Liquor hic odorem aliquem habet a partibus oleoſis eſſentialibus, ſapor ipſi eſt acidulus, pondere vero refert unciam unam & drachmam unam.

Pix liquida Thuringiæ præbuit:

1.) Liquorem phlegmaticum ponderis unciæ unius; aliquatenus flavum, & una cum illo olei ſubtilioris drachmam unam. Liquor eundem ſpirabat odorem ac oleum, ſapor ejus parum erat acidulus.

2) Deſtillatum ſecundum ſimile rurſus præbebat oleum ſubtile, magis tamen jam empyreumaticum, colorisque purpurei. Ponderabat illud drachmas duas cum dimidia; Liquor reliquus, magis nunc acidus, drachmas quinque & grana decem.

2.) Liquor hic ſecundus, nonnihil acidulus atque flavus, unciam unam, cum ſcrupulo uno & dimidio, pondere æquavit. Oleum, quod ſimul cum eo tranſiverat, craſſius magisque rubrum & empyreumate quodam inquinatum, unciam ponderavit dimidiam.

3.) Deſtillatum tertium oleum præbuit magis ex rubro fuſcum, magisque empyreumaticum, ponderis unciæ dimidiæ, & granorum XL, liquor multo acidior pondus habebat unciæ dimidiæ & granorum XL.

3.) Acidior multo liquor atque ſubruber ponderabat drachmas ſex; oleum craſſius coloris ſaturatioris magisque empyreumaticum, æquabat pondere drachmas ſeptem cum ſcrupulo uno & dimidio.

4.) Sub quarta deſtillatione prodibat oleum empyreumaticum craſſum, unciam unam, drachmam unam & ſcrupulum dimidium ponderans. Liquor ex flavo erat ruber, ſaporemque habebat ſpiritus tartari re-
ctifi-

4.) Liquor quartus ſimilis fere erat debiliori ſpiritui tartari rectificato, ponderis drachmæ unius & dimidiæ; oleum conſiſtentiæ erat prorſus craſſæ, odoris admodum fœtidi, ponderabat unciam unam cum drachma una.
5.)

ctificati. Pondus ipſius erat uncia una cum ſcrupulo uno.

5.) Deſtillatum quintum oleum erat empyreumaticum valde craſſum, tenax fœtidumque, pondere unciæ unius & drachmarum duarum.

5.) Expulit ignis fortiſſimus oleum empyreumaticum fœtidiſſimum, tenax, particulisque piceis inquinatum, ponderis unciæ unius & drachmarum ſex cum dimidia.

In retorta reſtabat terra levis, ſpongioſa, ſplendens atque nigra, pondere unciam unam & drachmas duas æquans.

Reſiduum ejusdem qualitatis atque coloris ponderabat unciam unam.

Diverſorum horum oleorum utriusque ſpeciei picis liquidæ partem aliquam, e. g. Olei No. 1. 4. & 5. commiſi cum ſpiritu vini rectificatiſſimo & cum aqua deſtillata ſimplici digeſtioni, ſimulque obſervavi, oleum No. 1. ſola agitatione in ſpiritu fuiſſe ſolutum ſpiritumque colore tinxiſſe croceo; aqua contra attraxit oleo admiſtum ſpiritum, reddiditque oleum ſupernatans perfecte lucidum. Oleum No. 4. ſolvit quidem ſpiritus initio in calore; poſtquam vero ſolutio hæc refriguit, turbatur eadem, pars maxima cadit denuo in fundum, ſpiritusque denuo pellucidus colorem contrahit ſaturate rubrum. Aqua huic oleo admiſta eundem habet effectum ac cum oleo No. 1. ſimul tamen hæc obſervatur differentia, quod oleum paululum turbidum atque gra-

vius in ſuperficiei centro colligatur atque bullæ inſtar in aqua hæreat.

Oleum No. 5. tingit ſpiritum colore floride flavo, aqua nihil ex eodem extrahit, oleum craſſum natat ſupra, pix infra aquam, extractiones omnes aquoſæ erant acidulæ.

Caput mortuum, cui frigidam affudi, dilute flavam præbuit ſolutionem, hæc exhibuit poſt evaporationem $\frac{1}{2}$ granum corporis cujusdam ſalini, quod cum oleo tartari per deliquium facile miſcebatur, ſyrupum violarum viridem reddebat, cumque acido vitriolico absque odore ſenſibili efferveſcebat. Reſiduum ſiccatum, denuo aqua calida affuſa digeſtum, lixivium præbuit, ex quo ratione modo indicata obtinui $\frac{1}{4}$ gran. ſalini cujusdam, quod ſimiliter cum oleo tartari facile miſcebatur, ſyrupum violarum cœruleo potius, quam viridi tingebat colore, cum acido vero vitriolico concentrato miſtum poſt fortiorem efferveſcentiam acidum vegetabile, acido aceti ſimile, ſeparabat. Utrumque ſal liqueſcebat facillime in aëre vel aqua. Cohærent cum partibus hiſce ſalinis partes viſcoſo-gummoſo-ſalinæ: ſub crebriori enim filtratione repetitaque digeſtione, ſecedunt ſemper redduntque ſolutionem turbidam, atque ex hac præcipitantur denuo poſt quietem.

Tres hæ oleorum ſpecies, ex pice liquida Thuringiæ paratæ eademque ratione tractatæ, oſtendunt, habere ſe oleum No. 1, adhibito utroque liquore, eadem ratione ac oleum No. 1. ex pice liquida Norwegiæ. Idem etiam notandum eſt de oleo No. 4. ſi

exci-

excipias, quod oleum hoc, ex ſolutione ſpirituoſa præcipitatum, faciem induat reſinæ liquidæ. Nullam queque oſtendit differentiam experimentum cum aqua inſtitutum; ſeparatur enim ſub digeſtione æque, ac ex oleo picis liquidæ Norwegiæ, oleum ſubtilius ſuperficiei innatans, oleum vero craſſius ſecedit pelliculæ inſtar in fundum vaſis. No. 5. exhibet ſolutionem ſpiritus vini factam ex flavo fuſcam, reſiduum craſſius adhæret fundo: In digeſtione cum aqua ſimpl. ſeparabatur nonnihil olei ſubtilioris empyreumatici, pars reliqua non ſolvebatur. Contraxit exin ſpiritus ſaporem oleoſum, empyreumaticum, aqua nullum.

Ex capite mortuo obtinui ope aquæ frigidæ lixivium, quod paulo plus ¼ gran. ſalini præbuit, quod omnia tentamina alcali fixum eſſe oſtendebant. Ope aquæ calidæ extraxi adhuc ultra ½ gran. partium ſalinarum, quæ, inſtituto examine, ſal referebant eſſentiale.

Confirmant deſtillatio hæc, & tria illa diverſa, ejusdem ope, obtenta olea, nec non cum iisdem inſtituta experimenta, easdem partes conſtitutivas, quas priora jam oſtenderant experimenta, earundemque nexum arctiorem. Eſt itaque pix liquida mixtum terreo-viſcoſo-gummoſo-aquoſo-ſalino-reſinoſo-oleoſum, h. e. partes picem liquidam conſtituentes ſunt partes terreæ, viſcoſo-gummoſæ, aquoſæ, acido-ſalinæ, reſinoſæ & oleoſæ.

Differunt tamen binæ picis liquidæ ſpecies, in eo, quod pix liquida Norwegiæ pluribus ſcateat partibus aquoſis, viſcoſo-gummoſis, terreis atque acido-ſalſis, quemadmodum extractiones cum ſpiritu vini & aqua inſtitutæ, nec non deſtillatio igne aperto

optime

optime monſtrant. Pix contra liquida Thuringiæ plures habet partes oleoſo-reſinoſas; elicuit namque aqua in extractione ſecunda 2. tantum grana, extractio vero aquoſa Ima præbuit ⅕ part. minus quam pix liquida Norwegiæ.

Partes ceterum ſalinæ eſſentiales, quas pix liquida Norwegiæ majori copia continet, efficacius reddunt infuſum ex ipſa paratum; hoc itaque præferendum erit infuſo picis liquidæ Thuringiæ, quod ad medicum attinet uſum, licet & hoc arte æque forſan efficax reddi poſſit.

Addo tandem, medicamentum illud Anglicum, præter meritum, ab aliquo tempore in Germania adeo celebratum commendatumque, medicinam illam univerſalem, *Eſſentiam picis liquidæ D. D. Caroli* HOMPSWOOD puta, nihil eſſe aliud, quam ſimplicem extractionem ſpirituoſam picis liquidæ Norwegicæ cum ſpiritu vini tartariſato paratam, adeo, ut pretium, quo venditur, (venit autem uncia una floreno,) nimis lucroſum videatur.



IOAN-

# IOANN. ANTONII IOSEPHI SCRINCI,

Auratæ Militiæ Equitis, Sacræ Aulæ Lateranensis & Apostolici Palatii Comitis, Philosophiæ & Medicinæ Doctoris, nec non in Alma Cæsarea Regiaque Vniversitate Carolo-Ferdinandea Pragensi Praxeos medicæ, Chymiæ & Physicæ experimentalis Professoris Regii Publici ac Ordinarii,

# MEDITATIONES PHYSICÆ

de

# PHIALIS VITREIS,

QUÆ

CASU MINIMI SILICIS,

IN EASDEM PROJECTI,

DISSILIUNT.

## §. I.

Eo vivimus ſeculo, quo præſtantiſſimorum Philoſophorum labore atque induſtria naturalium rerum phænomena accuratiſſime inveſtigantur, cauſæque, quantum poſſibile, indagantur. Vero Philoſopho dedecori eſt, hypotheſes confingere; fas eſt magis veræ cauſæ ignorantiam fateri, quam ficta atque ſterilia obtrudere. Intellectus veritatis cupidus, eamque naturaliter appetens, quomodo confictis conſolari atque ſatiari poterit? Philoſophus etiam non tantum magna ſcrutatur naturæ myſteria, verum objiciuntur ei quandoque phænomena primo intuitu non quidem tantæ utilitatis, ſed ſola curioſitate intellectum alliciunt; quorum interim indago, ſi rem ulterius proſequamur, fœcunda & utilis quandoque evadit, ſaltem in aliarum cauſarum indagatione. Varia vitrorum phænomena erudito orbi a Philoſophis propoſita fuere, ut lachrymæ vitreæ, mira vitri electricitas, per vocem humanam ruptio, & quæ his ſimilia ſunt. Nuperrime novum phænomenon in phialis vitreis comparuit, per caſum minimi ſilicis diſſilientibus. Meretur curioſum hoc phænomenon, ut in cauſam illius inquiramus *). *Introitus*

§. II.

*) Argumentum hoc, acutorum ingeniorum examine dignum, ſingulari ſtudio hiſtorice & phyſice jam pertractavit Clariſſimus Tubingenſium Profeſſor Ordinarius, Dn. M. *Georgius Wolfgangus* KRAFFTIUS, in duabus Diſſertationibus academicis, quarum prior plagg. $3\frac{1}{4}$. cum inſtrumenti effigie, Menſe Julio 1748. et poſterior (prioris ſupplementum ſententiæque prolatæ apologia) plagg. 2. Menſe Septembri 1750. utraque vero *de Phialis vitreis ab injecto ſilice diſſilientibus*, inſcripta prodiit Tubingæ, litteris Cottaianis in 4to. Sed quoniam harum Diſſertationum & novæ hujus lucubrationis ann. 1751. jam communicatæ contenta non omni ex parte ſunt eadem, atque præterea phænomeni hujus mirandi explicatio nondum ab omni dubio liberata videtur, ulterior ejusdem inveſtigatio ſupervacanea haud erit. *C. J.* TREW.

§. II.

*Describitur phiala & ipsum experimentum.*

Phialæ hæ cavæ sunt, collo longiori constant, ventre ampliori, deinde fundo crassiore, atque nucleo. Talem phialam vitream monstrat *Tab. II. Fig. 2.* in qua *A A*, collum, *B B*, venter phialæ, *D D*, pars fundi inferior, & crassior, *C C*, pars superior atque tenuior fundi, simulque ejusdem initium, *E*. nucleus parti crassiori fundi cohærens, *F*. concavitas interior nuclei. Igitur collum in ventrem phialæ, venter in fundum, fundus in nucleum desinit, semperque in ruptione phialarum remanet, atque a phiala separatur. In hanc igitur phialam vitream cavam, si minimam partem silicis, quæ vel tertiam, aut quartam partem grani ponderet, inieceris, ut ea cavum fundum phialæ *F*. attingat, illico rumpitur in plurima fragmenta, remanente nucleo *E*, aut diaphano, & integro, aut plurimis rimis interstincto. Idem succedit cum adamante, rubino, granato, crystallo montana, arena, & chalybe. Sed hæc omnia fusius per subsequentes deducemus paragraphos.

§. III.

*Plumbum omniaque metalla injecta non rumpunt phialas.*

Glandes plumbeas quum in phialam nostram injecissem, illa non rumpebatur. Aliquando unam majorem glandem injeci, impetu utcunque competenti, quandoque plures minores, ruptio phialæ tamen non sequebatur. Idem accidit, dum frusta cupri, aurichalci, argenti, ferri & auri in phialam immisi, ut nempe ea semper integra maneret. Imo licet agitaverim frusta in phiala jacentia, ut major fieret attritus, tamen ruptio non sequebatur. Sæpius hoc ipsum experimentum repetii in plurimis phialis eodem semper cum successu.

§. IV.

*Proponitur principale experimentum.*

Sed ut clarius supra dicta phænomena pateant, principale experimentum cum omnibus recensebo circumstantiis: Apprehendi-

henditur manu finistra phiala inter pollicem atque indicem, aut pluribus, si placet, digitis. Inter pollicem vero & indicem manus dextræ micula silicis tenetur in quacunque altitudine supra cavum collum phialæ, ordinarie digiti ad ipsam colli extremitatem ponuntur, & tandem micula silicis e digitis dimittitur, ut cadendo fundum cavum phialæ vitreæ attingat. Dum silex fundum phialæ attigit, aut immediate, aut intra aliquod temporis spatium phiala rumpitur, cum crepitu & fragore, in plurima fragmenta, non vero in pulverem, ut contingit in lachrymis vitreis. Remanet nucleus fundi, sive integer & diaphanus, sive plurimis rimis per totam nuclei profunditatem interstinctus; turbant hæ rimæ diaphaneitatem nuclei. Collum phialæ cum maxima parte ventris ruptione separatur a fundo, plurima vero fragmenta fundus phialæ patitur, venter tantum rimas quasdam accipit, quæ quandoque in collum extenduntur. Quando plures rimæ concurrunt in ventre, etiam hic in fragmenta dissolvitur. Notandum vero hic singulariter est, quod collum & maxima pars ventris ex tenuiori conflata sint vitro, fundus vero & nucleus totus quantus solidus sit, maxime vero nucleus, hinc multo crassior. Incipit vero fundus circa C C, *Fig. 2, Tab. II.* uti supra monuimus; ubi respective tenuior est, circa medium crassior, ad nucleum ipsum crassissimus. Unde simul nucleus pondus agit respectu integræ phialæ.

## §. V.

Experimentum hoc cum septuaginta tentavi phialis, eodem semper cum successu, nempe ruptione phialæ. Interim ne quid dissimulem, nunquam ponderavi partem silicis injectam in phialam. Ordinarie autem miculam accepi, quæ, ut opinor, quandoque quartam, quandoque sextam partem grani ponderabat, ad summum quandoque dimidium granum, aliquando granum circiter.

*Experimentum hoc sæpius institutum fuit cum quadam differentia temporis & ponderis ipsius silicis.*

 Interim

Interim obſervavi, quod ſi nimis exigua micula ſilicis fuerat, id eſt valde tenuis, tardius ſequeretur ruptio phialæ; ſi vero micula ſilicis paululum gravior fuerat, immediate ſequebatur effectus. Pariter non ſtricte numeravi temporis differentiam, quandoque enim immediate diſſiluerunt phialæ per ſilicem, dum hic ejus fundum cavum attigerat, quandoque intercedebant duæ, tres, ſex, viginti, triginta, & ultra ſecundæ unius minuti horarii; ſemper tamen major particula ſilicis celeriorem produxit effectum, minor vero plerumque tardiorem. Præterea nullus dubito, quin quædam intercedat differentia inter phialas, reſpectu tenſionis elaſticæ fibrarum vitrearum, ex quibus præcipue fundus phialæ conflatus eſt. Vix enim exacta ſimilitudo inter duo corpora in natura haberi poteſt. Unde pariter in phiala, ubi fibræ fundum conſtituentes magis tenſæ & elaſticæ ſunt, etiam per majorem partem ſilicis irritatæ, tardius effectum ponunt. Taceo, quod una phiala citius altera refrigerari poſſit; hinc plures igniculos intra ſe concluſos habeat. Quæ omnia in poſterioribus §§. magis eluceſcent.

## §. VI.

*Adferuntur aliæ materiæ, quæ eundem effectum ruptionis phialarum producunt.*

Miculam adamantis, forte dimidii grani, accepi, & ſtatim ruptio phialæ ſequebatur, uti cum ſilice. Idem cum tantillo carbunculi, forte unius quartæ partis grani, tentavi, & effectus ſequebatur, ruptio nempe phialæ. Præterea miculam cryſtalli montanæ accepi circiter unius quartæ partis grani, & pariter diſſiliit phiala ferme inter duas horæ ſecundas. Apponam hic, quæ Auctor anonymus habet, de quo inferius: *Alterius adamantis pondus $\frac{3}{8}$ gr. omnino conſtabat, ſuoque caſu fundum phialæ feriens in plures partes ferme prompte comminuit. Alterius vero longe minus $\frac{1}{8}$ grani partem vix æquabat, ac quinto in phialam caſui diſrupto ceſſit poſt ſexageſimam circiter horæ partem. Idem expe-*

*experimentum sæpius habuit Marchio* POLENUS *adamantis usu, cujus pondus grana duo æquabat; nihilque invenit, quod promptius, quam adamas, phialas perderet, ut ex eis literis, ad me nuperrime scriptis accepi. Smaragdus vero granorum duorum & $\frac{1}{4}$ pondo, primo sui casu admodum prompte phialam fregit. Carbunculus vero pondo $\frac{1}{2}$ gr. altero sui casu haud ita multo post alteram in frusta soluit. Simul ac comperii a minimo adamantis ac carbunculi frustulo phialarum disruptionem præstari, crystalli minimæ montanæ usum iterum tentare aggressus sum. Erat vero ita exigua, ut sensus tantum non fugeret & vix $\frac{1}{10}$ gr. partem æquaret. In primo quidem experimento phiala crepuit, altero vero crystalli casu non admodum quidem promte: intercessit enim fere horæ pars sexagesima. In altero vero experimento, a quinto ejusdem casu, eodem ferme temporis intervallo inter casum & phialæ ruinam intercepto, dissiluit.* Alio tempore sabulum accepi arenosum, arenula forte quartam partem grani ponderabat, & ruptio pariter sequebatur, ferme uti cum silice bonæ notæ, & tentavi repetitis vicibus experimentum eodem cum successu. Alio tempore frustum vitri accepi, fragmentum videlicet ex disruptis phialis, quod circiter granum unum & ultra ponderabat, sed non statim in frusta dissiluit phiala; agitavi aliquantulum partem vitri in fundo phialæ jacentem, & primo fere post duo horæ minuta in quiete reposita phiala crepuit. Partem chalybis, pondere unius grani circiter, accepi injecique in phialam, & prompte solvebatur phiala uti cum silice, si chalybs bonæ notæ fuit, aut frustulum majus; tardius vero perdebatur phiala intra aliquot scilicet secundas, si hic vilioris notæ fuit. Ferrum vero injectum, quanquam pondere unius drachmæ fuisset, & insuper in fundo phialæ agitatum, phialam dissilire non fecit. Similiter omnia metalla fecerunt, quocunque pondere in phialam injecta fuissent, aut quocunque impetu, imo agitata in fundo phialæ.

Ebur-

Eburneum globulum pondere granorum circiter 27. consueta methodo ad fundum phialæ immisi, idque aliquoties, sæpius phialam agitando, non tamen sequebatur hujus ruptio intra octo saltem minuta horaria; exempto tandem globulo eburneo ulteriorem effectum experiri nolui.

§. VII.

*Curiosum adfertur cum ferro & chalybe experimentum.*

Cum anonymus supra laudatus Auctor singulariter causam ruptarum phialarum ponat in corporis in phialam injecti elatere, sequens feci experimentum: Filum ferreum in aliquot contorsi spiras; notum autem est, quod filum ejusmodi ferreum, antea non elasticum, per talem contorsionem spiralem admodum elasticum evadat; ponderabat autem fere grana duo filum hoc spirale ferreum. Dum in phialam illud projecissem, non procuravit ejusdem rupturam, etiamsi illud satis agitassem; sed postquam candentem feci hanc spiram, atque in aqua frigida extinxi, ut quasi chalybea evaderet, & tandem refrigeratam & siccam in phialæ fundum projeci, crepuit hæc intra 4. ferme horæ secundas.

§. VIII.

*Phialæ liquoribus impositæ qualem effectum præbuerint.*

Imposui phialam in aquam æstivo tempore, prout illa domi pro usu domestico asservatur; immissa tantilla particula silicis æque crepuit prompte, ac si in aquam imposita non fuisset. In aliis liquoribus periculum non feci; eundem certe effectum secutum fuisse opinor. Verum alio tempore aquam eandem in phialam infudi, eamque ad dimidium ferme replevi, immissa exigua particula silicis, unde æque prompte crepuit. Deinde alio experimento oleo olivarum ad altitudinem pollicis phialam replevi, quæ immisso silice modico non dissiluit, sed arrepto frustulo paulisper majori, ferme dimidii grani, postquam aliquoties phialam agitassem, circiter intra 20. horæ secundas crepuit.

puit. Injecto in phialam hydrargyro, & quidem notabili ejus portione, ad unciam semis, hæc tamen non dissiluit, licet fortiter mercurium agitassem. Deinde horizontaliter posita phiala, miculam silicis imposui eamque lente ad fundum dimisi, unde non crepuit phiala; postquam vero aliquantum agitassem, perdebatur. Interim suadente Anonymo periculum feci, phialamque cum omni præcautione in candentes imposui carbones, sed brevi crepuit. Binas igitur alias sumpsi, magnaque patientia, manibus tenendo, tantum leniter calefeci, ut non adeo sensibiliter incalescerent, tamen ambæ dissilierunt.

## §. IX.

Phialas plures periculo exposui: Primo manibus tenendo, valido impetu nucleum phialæ ad mensam allidebam, idque repetitis vicibus, nec tamen rumpebatur phiala. Deinde, situ horizontali phiala posita in mensa, repetitis mallei ictibus nucleum atque fundum concutiebam, verum irrito conatu; integræ enim persistebant phialæ. Postquam vero in easdem, modo enarratis periculis expositas phialas, miculam silicis injecissem, prompte dissiluerunt. Magnum frustum silicis optimæ notæ sumpsi, prius in situm horizontalem phialam in mensa reponendo, nempe ut in ipsum fundum allisio fieret, & primo minorem partem silicis dilabi feci, ut delapsu suo fundum phialæ concuteret, sed notanter externe, phiala integra subsistente. Præterea magnum frustum optimi silicis ita e manibus dimisi, ut impetu satis valido in fundum phialæ externe impingeret, sed irrito pariter conatu. Tandem arrepta sinistra manu phiala, dextra vero magno frusto silicis valido impetu phialam atterebam, quasi scintillas excussurus, ita ut post quemlibet ictum stria notabilis e fundo vitri externe abrasa fuerit, eodem tamen plane successu integræ semper persistebant phialæ. Ergo in easdem his periculis expositas

*Phialæ sustinent mallei ictum.*

phialas, consueto modo miculam silicis delabi feci in fundum, & prompte omnes dissiluerunt.

§. X.

*Experimentum cum phialarum abruptione.*

Plurimas sumpsi phialas, atque ab iisdem unam partem colli post alteram abrumpebam usque ad ventrem phialæ, nulla vero crepuit; verum injecto silice statim omnes crepuerunt. Alias accepi phialas, in quibus non tantum collum abrumpebam, sed ipsum totum ventrem, integer tamen semper fundus cum nucleo remansit; sed illapsu silicis in cavum fundi crepuit hic ipse, prouti fit dum in integras phialas silex projicitur, manseruntque prorsus eadem fragmenta. Ergo apprehensa forcipe collum cum ventre abrupi, & tandem juste applicata forcipe ad fundi principium CC. (vid. *Fig. V. Tab. I.*) illum tetendi, sed non sequebatur ruptio, nisi sufficiens & fortis tensio fuisset. Interim eadem posuit fragmenta fundus ruptus, ac dum integra phiala silice frangitur.

§. XI.

*Phialæ vitreæ in vacuo Antliæ pneumaticæ æque rumpuntur.*

Comparata vitrea campana, quam aliunde in promptu habui cum omni apparatu necessario, & machina taliter facta, ut in instrumentum aut silicem, aut quamcunque aliam rem imponere possem, & pro lubitu delapsum procurare cujuscunque corporis in fundum phialæ; hoc inquam apparatu, campana ad orbem antliæ pneumaticæ imposita fuit, & silex dimissus, evacuato prius aëre ex recipiente; sed pariter prompte crepuit phiala cum omnibus circumstantiis, uti in aëre libero. Denique corpora illa, quæ in aëre libero ruptionem phialæ non faciebant, ea pariter in vacuo integras conservabant phialas.

§. XII.

§. XII.

*Attritu electrico æque rumpuntur phialæ.*

Paravi cylindrum ligneum cavum, in quem commode phialam imponere potui, & applicato hoc cylindro verticaliter cum phiala ad eam machinam, in qua alias experimenta electrica fiunt, manu sinistra apprehenso collo phialæ, in cavum cylindrum impositæ, manu dextra vero pistillum ligneum tenebam corio obductum, hoc fundo cavo phialæ leniter apprimebam, alius vero rotam agitabat. Hoc attritu circiter intra decem secundas horarias perfecte crepuit phiala cum omnibus circumstantiis, sicut fit, dum silex immittitur. Interim idem experimentum repetii, non tamen rumpebatur phiala; seposui hinc eandem ad mensam, ubi ex improviso dissiluit in similia fragmenta, ut aliæ. Repetii cum aliis phialis idem experimentum 5. Aprilis hujus anni, pomeridiano tempore, quo instabat pluvia, non tamen secuta est. Cum vero effectus, aliquoties a me bono successu visi, sequi nollent, causam rescire volens, an forte in ipsis vitris hæreat, injeci in phialam silicem saltem granorum duorum, sæpissime agitavi, multoties casum silicis in fundum repetii, idque satis fortiter atque violenter, non tamen phiala dissiluit; rem vero hanc saltem per sex horæ minuta protraxi. Exempto silice reposui phialam, quæ sponte rumpebatur post alia sex minuta horaria. Dubius an forte hæc phiala singularis foret, aliam prehendi, in quam eandem partem silicis immisi repetitis vicibus, idque violenter, perdi tamen noluit phiala. Seposui eandem pariter, relicto in ipsa silice; post octo circiter minuta accedens deprehendi phialam integram. Cœpi denuo silicem agitare, unde tandem intra duas horæ secundas dissiluit. Protractum fuit hoc experimentum saltem per quindecim minuta horaria. Admirabundus partem silicis accepi saltem 25. granorum pondere, eamque in novam phialam injeci; crepuit phiala intra duas horæ secundas. Hæc videns filius meus

natu major, qui omnibus experimentis interfuerat, rogavit, ut phialam una cum eodem ſilice in ſupra memoratam reponerem machinam, quod & feci, ego manu phialam in cylindro cavo ligneo ſuſtinui, agitabat hic rotam, ubi ſatis violentus attritus ſilicis ad vitrum factus eſt, non tamen crepuit phiala, idque ſaltem per ſeptem minuta horaria. Repoſui igitur eandem una cum ſilice in menſam, ubi ſponte intra tria horæ minuta diſſiluit. Admirationem meam auxit, quod eundem ſilicem adhibuerim quo in omnibus aliis experimentis uſus fui, cumque ultra centum & quinquaginta phialas jam tentaſſem in diverſis experimentis, ſemper tamen deſideratus ſequebatur effectus; verum hac die aliquid inſoliti accidit. Nec potui in diverſitatem vitri, aut phialarum, cauſam conjicere, dum omnes phialæ meæ ex albo vitro in eadem officina vitriaria, una eademque die, præterito anno confectæ fuerant. Recordor quoque, quod cum anno præterito, menſibus, Junio, Julio & Auguſto phialas has vitreas experimentis ſubjeciſſem, per caſum ſilicis longe promptius illæ crepuerint, quam hyemali tempore, ſaltem plerumque. Ex his conclusi, certam aëris temperiem, præſertim calidiorem, phialas magis diſponere, ut per caſum ſilicis tanto promptius diſſiliant; ſed in §§. ſubſequentibus dabitur de his dicendi locus.

## §. XIII.

*Fragmenta ruptarum phialarum conſiderantur.*

Pertractatis experimentis phialarum vitrearum, accedo ad ipſorum fragmentorum conſiderationem. *Fig. VII. & VIII. Tab. I.* & *Fig. 3. 4. & 5. Tab. II.* tria monſtrant fragmenta & quidem *Fig. VII. Tab. I.* H. partem convexam fragmenti, ubi BB. pars ventris eſt, CC. pars fundi tenuior, DD. pars fundi craſſior, E. appendicula a nucleo abrupta, I. rimæ per fundum excurrentes, & ſæpiſſime in ventrem extenſæ. *Fig. VIII. Tab. I.* ejusdem fragmenti partem concavam H. demonſtrat, ubi itidem BB. pars ven-

ventris, CC. pars fundi crassior, E. appendicula a nucleo abrupta, I. rimæ per fundum excurrentes, K. vitri ipsius crassities semper tenuior versus fundi principium. *Fig. 3. Tab. II.* aliud fragmentum demonstrat, ubi H. partem convexam fragmenti, BB. partem ventris, CC. principium fundi, DD. partem crassiorem & inferiorem fundi, E. appendiculæ a nucleo abruptæ partem convexam, & I. rimas per fundum excurrentes, denotant *Fig. 4. Tab. II.* ejusdem fragmenti partem concavam H. demonstrat. BB. est pars ventris, CC. pars superior & tenuior fundi, DD. pars crassior, E. appendiculæ ad nucleum pertinentis pars concava, I. rimæ per fundum excurrentes, K. vitri soliditas versus principium fundi, & ventrem semper tenuior. *Fig. 5.* ejusd. Tab. novum monstrat fragmentum, ubi H. partem convexam, I. partem concavam, B. partem ventris, C. principium fundi in parte convexa, D. partem crassiorem fundi in parte concava fragmenti, & E. appendiculæ a nucleo avulsæ concavitatem indicat. *Fig. IX. Tab. I.* nucleum avulsum monstrat. E. denotat convexitatem & soliditatem nuclei, m. m. rimas quandoque per totam nuclei soliditatem excurrentes, atque nucleum minus diaphanum reddentes; quandoque autem nucleus totus quantus diaphanus, sine rimis, remanet. F. sistit concavitatem interiorem nuclei politam & i. i. i. i. i. i. vestigia avulsarum fibrarum in nuclei parte superiore. *Fig. X. Tab. I.* exhibet eundem nucleum ab altera parte, ubi F. indicat concavitatem interiorem nuclei politam, & i. i. i. i. i. i. vestigia avulsarum fibrarum, nempe partis crassioris fundi, & superioris atque exterioris partis nuclei. Rarius rimæ ad collum phialæ se extendunt, sed ordinarie tantum per ventrem hinc inde distribuuntur, sæpius concurrunt, ut phialæ disruptione venter in plures partes secedat. Sed, quod præcipuum est, rimæ omnes inchoantur, ubi pars fundi crassissima nucleo jungitur, prouti videre est in *Fig. 6. Tab. II.* ubi in m. m. m.

 nempe

nempe ſuperiore parte nuclei, rimæ inchoantur, atque inſimul latiores ſunt, ſed notanter rimæ hæ inchoantur a parte interiore & ſuperiore nuclei, uti clarum eſt ex phialarum fragmentis *Fig. VII. & VIII.* præſertim *Fig. IX. & X. Tab. I.* itemque *Fig. 3. & 4. Tab. II.* ubi I. I. & i. i. i. i. veſtigia in nucleo ſunt abruptarum fibrarum externarum nuclei. Corona ſuperior nuclei m. m. m. *Fig. 6.* aut ſi mavis pars craſſiſſima fundi, ubi nucleo jungitur, pleniſſima ſemper eſt rimis, ita quidem, ut vitrum diaphaneitatem perdat. Voco hanc partem *coronam*, quæ in latitudine quandoque habet lineam Pariſinam, quandoque minus, nempe quia modo dictæ rimæ in gyrum circumferuntur. Nucleus in multis phialis ruptis totus pellucidus remanet, dum ab iisdem avulſus eſt, nempe in iis, ut obſervavi, quæ tam prompte non crepuerunt. In illis vero, quæ quaſi majori vi diſſiluere, rimæ per totam nuclei ſoliditatem ſe extendunt, jam plures, jam numero pauciores. Nuclei ſuperius cavum F. *Fig. X. Tab. I.* ſemper politum deprehendi, nec memini rimas in eodem me deprehendiſſe. De his omnibus ut certior fierem, plurimarum phialarum fragmenta cera junxi, ut tanto perfectius intueri poſſem, qualiter phialæ dehiſcant. Unam harum monſtrat *Fig. 6. Tab. II.* ubi A A. collum phialæ, B B. ventrem, C C. principium fundi, DD. partem fundi inferiorem & craſſiorem, g. concavitatem interiorem nuclei, f. nucleum ipſum, e. e. & m. m. m. coronam ac n. n. n. rimas per fundum in ventrem excurrentes deſignant.

## §. XIV.

*Quomodo noſtræ phialæ conficiantur in officinis vitrariis.*

Quædam nunc dicenda ſunt de phialarum in officinis vitrariis confectione. Artifex conſueto inſtrumento partem liquefacti vitri recipit, eamque flatu diſtendit juxta ideam mente conceptam, aliisque adhibitis enchireſibus in arte vitriaria. Et uti alias vitra hoc modo confecta in aliam fornacem reponuntur pariter

riter

riter calidam, non tamen adeo ferventem, ut ea est, ubi vitrum liquescit, quam germanice vocant *einen Kühl-Ofen*, ut vitrum calidissimum successive per gradus refrigeretur, neque tam fragile evadat; ita e contrario phialæ nostræ in fornacem modo nominatam non deponuntur, verum in libero aëre subitaneo quasi frigore defervescunt, & refrigerantur. Contingit igitur, ut complures in opere hoc, dum ita subitanee aëri exponuntur, sponte crepent, multæ vero subsistant. Meretur rei dignitas, ut prius in causam hujus effectus inquiramus, ut tandem recto tramite ad scopum nostrum perveniamus.

§. XV.

Priusquam vero hoc aggrediamur, pauca de *fibris vitreis elasticis* praemittam. Vitrum in tenerrimas diduci posse fibras, multa experimenta docent. Numquid artifices norunt in tenerrima fila vitra diducere, quæ omnia notabilem habent elaterem? Detineo domi meæ fibras vitreas, quæ conficiuntur ut lachrymæ vitreæ, quæ admirabilem prorsus habent elaterem, ita ut elastice resiliant, tremant, verbo quidquid de filo ferreo elastico dici potest, possideant. Interim quodsi nimium tendantur, rumpuntur & in pulverem concidunt, ut lacrymæ vitreæ. Quod hoc vero in filis ferreis, aut laminis elasticis non contingat, ut quoque, dum nimia tensione rumpuntur, in scobem dissiliant, totum videtur ex diversa natura metalli atque vitri deducendum esse. Possunt igitur vitra omnia considerari, quasi ex meris fibris aut filis, certo nexu inter se junctis, constarent. Probant hoc lachrymæ vitreæ; nunquam enim hæ, rupto apice aut cauda, dissilirent, nisi omnes fibræ, ventrem lacrymæ vitreæ constituentes, in apice hoc convenirent.

*Vitrum potest perfici, ut ex fibris elasticis constet.*

§. XVI.

§. XVI.

*Natura vitri consideratur.* Natura vitri fragilis eſt, nec malleo duci atque extendi poteſt, neque multum flecti, ni prompte diſſiliat, aut rimas agat. Contrario modo omnia ſe habent in metallis aliisque ſolidis corporibus. Igitur fragilitas vitri præcipue ex minimarum molecularum nexu atque cohæſione repetenda eſſe videtur. Vitrum ex arena, aut ſilice mundo, atque Soda, aut apud alios cineribus componitur clavellatis, dum hæc omnia in pulverem contuſa certa proportione ſibi commiſcentur, atque igne vehementi in corpus tale liquantur, quod *vitrum* appellamus. Verum quis adeo hospes eſt noſtris temporibus in Philoſophia, ut ignoret, ſalium quorumcunque figuram mirifice inter ſe differre. Olim jam *Olaus* BORRICHIUS obſervaverat, ſalia per incinerationem parata, ſi oculis armatis luſtrentur, figura variare, ut quodlibet ſal, ex alia deſumptum herba, aliam etiam monſtret molis ſuæ terminationem. Præterea notum eſt, ſal commune, ut vocant, cubicam, nitrum pyramidalem, alia denique ſalia aliam & aliam monſtrare figuram, ſi bonis intueamur microſcopiis, quam etiam quodlibet ſal, quantum hucusque per experimenta innotuit, conſtanter ſervat. Silices, ut ſabulum arenoſum, ſi itidem per vitra augentia oculis ſubjiciantur, prorſus irregularem in minimis ſuis exhibent terminationem, prout notiſſimum eſt ex omnium recentiorum Philoſophorum obſervationibus, qui de hoc argumento ſcriptis ſuis aliquid prodidere. Periculum feci, an poſſibile eſſet in tenero vitri polline, aut, ſi mavis, in micula exigua, quæ nudis oculis nullo modo diſtingui poterat, deprehendere adhuc figuram ſalium, atque arenularum, dictarumque partium nexum. Appoſui igitur tenerrimum pollinem (nempe ex ipſiſſimis phialis noſtris ruptis) apte microſcopio, quod capillum humanum auxit, ut diameter capilli per hoc vitrum viſi ſaltem quinque lineas Pariſinas æquaverit (quamquam perfectiora

mihi

mihi ſint); miræ ergo apparebant figuræ molis jam majoris, jam minoris. Moleculæ omnes majores plurimis rimis, aut ſtriis latioribus interſtinctæ fuerant, quæ ex toto nigræ apparebant, nulloque modo pellucebant. Striæ ipſæ prorſus irregulares fuerunt, aut inæqualis figuræ, continebantque in medio ſui ſimilia corpuſcula. Mediocres quædam moleculæ inſtar rupium abruptarum prodierunt, ſpatia vacua habentes, ex quibus irregularis figuræ corpora excuſſa fuere. Imo hoc modo dictæ particulæ, ex diverſis aliis minoribus conſtabant moleculis, quarum aliæ opacæ, aliæ diaphanæ apparebant, aliæ ex majoribus moleculis, ex lamellis ſatis teneris atque diaphanis, ubi plures ſibi apponebantur, conſtabant. Varia puncta nigricantia irregularis figuræ inter lamellas continebantur. Cum vero ſimilia puncta, verum pellucida, extra lamellas deprehenderem, recte conjeci hanc obſcuritatem punctorum inde provenire, quod inter plures locentur lamellas. Quædam pars lamellarum lineis interſtincta fuerat pellucidis, quaſi fibræ eſſent. Curioſum videre fuit, quod aliæ moleculæ cuneiformes ſe intra lamellas inſinuaverint, abruptæque fuerint, quia ad extremitatem ſuperficierum harum lamellarum poſitæ erant. Minores denique prioribus particulæ dignæ mihi viſæ fuerunt, quas curioſiori indagine ſcrutarer. Varias irregulares ſiſtebant figuras, modo inſtar clavorum, ubi quædam molecula cuſpidem agebat, alia caput clavi. Deinde omnium minimæ aut ad rotundam, aut ellipticam, tandemque ad eam accedebant figuram, quam ſatis diſtinguere non potui. Rotundæ aut ellipticæ plerumque diaphanæ fuerunt, aliæ vero alterius figuræ opacæ. Interim adeo exiguæ ad ſupra nominatum microſcopium comparatæ fuerunt, ut ſaltem quinquaginta minimis ejusmodi moleculis opus fuiſſet pro conficienda linea Pariſina. Dixi *ſaltem*, licet nullus dubitem, quod longe plures ad hanc menſuram complendam neceſſariæ fuiſſent. Ergo habebit

ſe diameter talis moleculæ, ad diametrum capilli humani, per idem microſcopium viſi, ut 1. ad 250. Minor igitur talis erit molecula capillo humano 62500. ex computo conſueto.

§. XVII.

*Ratio exponitur cur vitrum fragile ſit.*

Ex his, opinor, ſatis clare fragilitatis vitri cauſam deducere poterimus. Vitra ex fibris componuntur, quæ in directum, aut juxta longitudinem ſibi adhærent, ex qua adhæſione etiam pelluciditas vitri deducenda erit. Fibras vero ſatis teneras eſſe, conſtabit, ſi magnitudinem molecularum, aut, ut verius dicam, exiguam molem, ex quibus hæ componuntur, perpendas, nempe eam, quam præcedenti §. attigimus. Fibræ vero ex tam irregularibus moleculis conflatæ, nexu firmo ſibi cohærere nequeunt, aut fibra quælibet ſeorſim ſumpta, atque ex ſimilibus corpuſculis conflata, infirmam habebit cohæſionem. Componantur ad invicem in menſa, per longitudinem cubi & ſphærulæ plures, ita ut intra duos cubos ſphærula interponatur (aut ſi placet etiam alterius figuræ) quodſi utraque manu extrema hujus lineæ appreſſeris, erit quædam cohæſio, ut eadem hinc inde agitari poſſit; quodſi vero eandem flectere tentaveris, ſeparatio ſequetur. Ita ſibi minimæ moleculæ, fibram vitream conſtituentes, non ſatis firmo nexu cohærent. Si enim plus juſto tendantur, aut curventur, ut modo artificialis nominata linea, ſtatim a ſe invicem recedent. Facilis igitur hic receſſus atque ſeparatio unius moleculæ ab altera, quæ fibram vitream conſtituit, nominanda erit fibræ vitreæ *fragilitas*, aut cauſam fragilitatis vitri efficiet. Cohæſio vero fibrarum vitrearum in longitudinem, lateralis nempe, pariter infirma erit. Concipi enim poteſt quælibet fibra vitrea ut tenuis cylinder; duo autem cylindri, per longitudinem ſibi appoſiti, in linea tantum contactum habent, qui ſatis exiguus erit. Addit laudatus Anonymus: *Illud addo, a vehementiſſimi*

*etiam ignis vi atque æstu vitri fragilitatem esse repetendam. Animadvertit enim diligentissimus naturæ investigator* REAUMURIUS, *massam ex salibus & arena conflatam, modico igne coctam, in lateritiam materiam converti, aucto vero magis magisque igne in vitream transformari. Si vero ignis ea vis sit, ut inter utramque veluti media intersit, in puram putam murrham (vulgo* porcellana) *transferri; lateritiam vero massam murrhina solidiorem, hanc vero esse vitrea longe firmiorem, ex eo etiam constat, quod vasa murrhina, ferventibus liquoribus plena, raro disrumpantur, quod frequentissime vitro accidit: præterea lateritiam massam omnino opacam, murrhinam vero longe minus obscuram in pellucidam vergere, vitream vero omnino pellucidam sensibus objici ac repræsentari.* Opinor vero, vehementissimum ignem maximum attritum inter moleculas vitrum constituentes producere, easque subtiliores reddere (id est magis, & magis dividere, ut semper simpliciores atque minus compositæ evadant moleculæ, quælibet tamen juxta speciem suam); hæc omnia per microscopium confirmantur. Unde ex similibus tenerioribus massulis pariles prodibunt fibræ, quæ, dum in directum sibi cohærent, pellucidum componunt corpus. Minori vero igne crassiores fiunt moleculæ, nec non plures sibi adhærent, unde necessario opacitatem producent, dum pauciora intervalla faciunt pro transitu radiorum luminis. Massa vitrescens vero ex tenerioribus conflata fibris, natura sua fragilioribus, fragilior erit utique alia vitrescente massa, quæ tamen ex crassioribus respective resultat fibris.

§. XVIII.

Contrario modo se habent omnia in metallis: Hæc malleo cedunt, ductilia sunt, firmo inter se junguntur nexu, neque tensa facile rumpuntur; & ita quoque alia corpora. Causa in sequentibus

*Quæ sit differentia inter vitra fragilia & metalla.*

tibus conſiſtere videtur: Fibræ metallorum (metalla ex fibris conſtare multa ſuadent, id eſt ex lamellis, aut tenerrimis ſuperficiebus, quæ tandem ex fibris conſtant,) primo ex moleculis terreæ naturæ, aut mercurio, corpore æque denſo; verbo: ex denſiſſimis ſaltem particulis multum maſſæ poſſidentibus (quod eorum gravitas docet) conſtant. Hinc per adeo denſas maſſas minus penetrare valent radii luminoſi, unde opaca ſunt metalla. Deinde eædem fibræ metallicæ vario nexu inter ſe implicitæ eſſe videntur, id eſt, dum una alteram ſuperequitat, aut dum plures circa ſe convolutæ ſunt. Imo in varia flexæ, ſibique implicitæ, miros nexus variasque cohæſionum ſpecies efficere poſſunt. En vegetabilia microſcopio luſtrata, quam miros nexus inter ſe habent! modo ſuperequitatione, jam aliter inter ſe junguntur, unde diviſioni ſuæ multum reſiſtunt. Armillæ, quæ ſexui ſequiori in ornatum cedunt, ex pilis equinis confectæ, tantum certo nexu, varioque inflexu non ſolummodo in fortiter cohærens corpus, verum elaſticum quoque tranſeunt. Tibialia ex filis laneis, aut ex ſericis confecta, ſimiliter ſolo ſimplici inflexu fibrarum, atque mutua implicatione, firmiter ſatis ſibi cohærent, imo pariter leges elateris ferunt. Aqua, non elaſtica, neque farina, ſibi tamen juncta, mutua implicatione paſtam conficiunt tenacem, undiquaque expanſilem & ductilem. Non adeo abſurda opinio eſt, ad ductilitatem metallorum explicandam, ſi afferas, ex tenerrimis lamellis & has ex fibris, metalla conſtare; quod forte etiam probabili argumento comprobare liceret. Jam ſi lamella lamellæ ſuperimpoſita ſit, poterit quælibet a ſubjacente ad notabile ſpatium elongari absque totali ſeparatione. Lepidam afferam paritatem. Inter machinas, quæ in mechanicis adferuntur, una deprehenditur, quæ *roſtrum ciconiæ* vocatur, germanice *Storch-Schnabel.* Componitur hæc ex meris lamellis per crucem ſibi impoſitis; in puncto vero medii contactus axis adeſt, qui

qui simul clavum agit, circa quem ambæ lamellæ moveri possunt, extremæ vero machinæ hujus lamellæ tantum ad angulos cohærent, & deinde per axes aliis junguntur. Hoc instrumentum subitanee elongari potest, si extremitates utraque manu apprehendantur, & subitaneo impetu elongentur; modo iterum in latitudinem contrahi potest, si manibus retractio tentetur. Quodsi supponas, metalla ex certis atque specificis constare lamellis, quæ tamen certo nexu, qualicunque tandem, sibi cohærent, suppone ut hoc instrumentum, aut machina, conceptus facilis erit, quomodo absque divisione jam in longitudinem sine notabili latitudine, v. gr. dum ex iisdem fila fiunt, diduci possint; modo vero in latitudinem magnam absque singulari profunditate extendi, v. gr. bracteæ teneræ auri. Verum de his satis.

§. XIX.

Calor & frigus multum vitra immutare possunt. Quis non novit, si liquor calidus in vitra frigida infundatur, hæc dissilire, aut saltem rimas agere? Ferrum durum atque candens in solidum convertitur chalybem, multumque contrahitur. Imo non tantum vitrum, sed & metalla aliaque corpora animalia, vegetabilia, &c. a frigore multum contrahi, a calore vero dilatari, nonnisi hospes in moderna Philosophia ignorare potest. Terra gelu contracta dehiscit, aut rimas agit, & quæ his similia sunt. Ex quibus satis perspicue constat, per frigus vitrum molle, liquidum, aut saltem potenter excalefactum, plus minus contrahi, id est, fibras vitreas multum ad se invicem accedere, unam ad alteram fortiter apprimi, & hoc tanto certius, quo vitrum unum magis subitanee refrigeratum fuerit altero. His suppositis:

*Quomodo calor & frigus vitra varie immutare possint.*

§. XX.

Quæstio sequens tanto facilius solvi poterit: Cur nempe multæ ex phialis nostris, dum in officinis conficiuntur vitriariis, sponte

*Cur multæ phialæ vitreæ in officinis vitri-*

*pent sponte, aliæ vero non?* ſponte crepent, aliæ vero perſiſtant? Opinor ego ad plures cauſas rem referendam eſſe, videlicet & vitri naturam, ſingularem figuram atque ſtructuram phialarum, præſertim circa fundum & nucleum; deinde aëris frigidi in ferventiſſimas impreſſionem. Ordine hæc exponemus, & quidem quod concernit ſingularem vitri figuram atque ſtructuram, utplurimum circa finem fundi, nec non principium nuclei, quodue præcipue hic lateat cauſa, prouti & prima origo ruptionis, poterit facile deduci per experimentum §. X. ubi, abrupto collo & ventre phialæ, hæc tamen non diſſilit, niſi tenſio fiat in ea parte fundi, ubi fibræ circulares, aut arcus fibroſi coëunt, uti videre eſt in *Fig. V. Tab. I.* in C & C, aut etiam paulo inferius. Imo phialam ita abruptam, uti figura hæc exhibet, frangit adhuc cadens ſilex, cujus cauſam in poſterioribus adferemus §. §. Concepi igitur in phialis noſtris fibras vitreas fundi ita diſpoſitas eſſe, uti *Fig. V. Tab. I.* exhibet. Nempe ad C. & C. inchoantur omnes arcus fibroſi (id eſt fibræ vitreæ in arcum flexæ), attamen inæqualiter tenſi, deinde ſua flexura, in D. & D. annectuntur nucleo H, nempe non omnes arcus intermedii fundi ipſius ad extremitatem C. & C. perveniunt: verum tantum extremi, ſive hi partem exteriorem fundi phialæ faciant in D. & D, aut paulo inferius in E. & E, ſive partem interiorem, ſeu cavitati phialæ proximam, nempe in G & G. Unde a parte craſſiſſima fundi D. & D. etiam non niſi extremi arcus modo nominati nucleo annectuntur. Imo nec hac interpretatione opus eſt, dum nucleus fluidus tanquam pondus fibras omnes, quæ craſſiſſimam partem fundi conſtituunt, tendit, hinc elongatæ tenuiori ſuperficie ſuperiori, atque exteriori parti nuclei annectuntur in DD. & EE fibræ ſeparatæ, prouti eandem *Fig. VI. Tab I* exhibet, ubi C. principium fundi tenuius eſt, D. pars craſſior fundi, G. flexura fibræ & nuclei principium ſuperius atque externum. Flexura vero talis fibrarum tantum continuatur usque ad

H,

H, ubi iterum, prouti modo dictum fuerat, fibræ concurrunt in tenuiorem superficiem. Illæ vero fibræ vitreæ, quæ remanentem concavitatem nuclei efficiunt (vid. *Fig. IX. Tab. I.* F.) reliquumque nuclei corpus ex fibris forte circularibus, aut qualitercunque sibi implicatis, constant. Ex ita ordinatis fibris fundus constituitur, & in nucleum continuatur, eique connectitur, idque in gyrum, seu fundus ex meris similibus constat fibris in nucleum continuatis, uti *Fig. V. & VI. Tab. I.* monstrant. Hoc enim phialarum ruptarum fragmenta videntur docere, uti ex *Fig. VII. & VIII. Tab. I.* manifestum fiet, ubi talis curvatura fibrarum cernitur. Semper enim appendicula E, fundo D, adhæret, atque per hanc appendiculam fundus nucleo annexus fuerat. Ergo in *Fig. 3. Tab. II.* fibræ omnes a ventris principio B. B. continuantur in principium fundi CC. Tendunt tandem in partem crassissimam fundi DD, hæc vero in appendiculam E continuatur. Totum vero hoc fragmentum ita incurvatum est, uti figura phialæ fert. Præterea constat ex meris fibris, ergo ex fibris taliter incurvatis, quod tandem fibræ exteriores fundi, aut partem ejus convexam constituentes, cum omnibus intermediis fibris, nec non interiorem, aut concavam partem fundi constituentibus taliter flectantur atque concurrant, prouti ante paulo monuimus, docere potest *Fig. 4. Tab. II.* ubi pars concava ejusdem fragmenti exhibetur, BB. pars ventris, H concavitas, CC. & DD. fundus, K soliditas vitri. Inde ergo apparet, quod fibræ ex B. K. C. D. exteriores cum interioribus I. I. concurrant in appendicula E, taliterque flexæ sint. Appendicula vero hæc avellitur a nuclei parte superiore & exteriore, uti *Fig. IX. & X. Tab. I.* docent, ubi i. i. i. i. i. i. vestigia sunt avulsæ appendiculæ a nucleo. Confirmatur præterea quod nucleus semper ex toto a dissilientibus phialis, uti eum exhibent figuræ modo citatæ; i. i. i. i. i. i. enim sunt vestigia avulsarum fibrarum a superiore & exteriore parte nuclei,

prouti

prouti modo dictum fuerat. Continuantur hæc vestigia in gyrum, prouti ex iisdem figuris cernere licet, unde semper totus avellitur nucleus, quod certe fieri non posset, nisi talis foret & flexura, & connexio fibrarum in superiorem atque exteriorem partem nuclei. Confirmatur secundo, quod concavitas interior nuclei F. *Fig. IX. Tab. I.* semper polita maneat, manifesto indicio, quod fibræ illæ, ab hac cavitate F. inchoatæ, reliquumque corpus nuclei constituentes, separatæ sint a reliquis fibris corpus nuclei constituentibus, aut ad minimum, si ab appendicula E. *Fig. 4. Tab. II.* continuentur in reliquum corpus nuclei E. *Fig. IX. Tab. I.* saltem in fine appendiculæ E. maxima tensio fibrarum ad ruptionem fiat, ita ut continuitas fibrarum harum solvatur. Argumento posset esse, quod multi nuclei innumeras rimas, nucleum obscurantes, exhibeant post phialarum ruptionem, quod forte fieri non posset, nisi fibrarum connexio per universum nucleum foret. Insuper ruptarum phialarum pollinem microscopio intuebar, arreptaque minima scobe, quam opinabar a fundi principio CC. *Fig. V. Tab. I.* avulsam fuisse, admirabili spectaculo manifeste conspexi, ex tenuissimis, minimis, atque diaphanis eandem constare fibris, quæ eo ordine decurrebant jungebanturque, quem concepi atque hic apposui: Nempe pulcherrimo ordine a se invicem distantes fibræ in apice, aut principio fundi CC. concurrebant.

## §. XXI.

*Adhuc clarius dicta confirmantur.*

Verum nec dum textura phialæ satis declarata est; nexus enim fundi cum nucleo adhuc clarius dilucidandus restat, siquidem nucleus pondus addit, facitque ut fibra a fundo in nucleum excurrens magis tendatur. Quodsi enim animi oculis vitrum adhuc fluidum intuearis sub actuali artificis operatione, necessario gravior nucleus fibras omnes a fundo in nucleum excurrentes

circa

circa finem fundi DD. atque principium nuclei EE. & GG. magis tendet, quam extensæ erunt illæ, quæ principium fundi CC. constituunt. Vide *Fig. V. Tab. I.* Hoc comprobat primo experimentum §. X. adductum, ubi, licet forcipe principium fundi *Fig. V. Tab. I.* CC. tendam, non tamen ibi rumpitur fundus, sed in fine DD. ubi nucleo adhæret. Causa nulla alia esse potest, quam quod fibræ circa finem fundi DD. atque principium nuclei EE. & GG. magis tensæ sint respective, quam circa principium fundi CC. Unde phiala non rumpitur circa principium fundi CC, verum circa finem DD. &c. ob tensas ibidem fibras. Secundo clarissime & evidenter rem oculis intueri possumus in phialis per silicem ruptis, & denuo cera coadunatis, prouti plures tales phialas adunavi accurate. Tunc enim manifeste apparet, ruptionis initium in dicto loco fieri. Nam in gyrum circa superiorem partem nuclei, & inferiorem fundi millenæ parvulæ rimæ sunt, quæ quasi coronam efformant, in latitudine unius lineæ Parisinæ circiter, & tandem paucæ quædam in fundi partem superiorem, aliæ pauciores adhuc in ventrem exporriguntur, prouti clare videre est in *Fig. 6. Tab. II.* ubi CC. principium fundi, DD. ejusdem finis, e. e. nuclei principium. Spatium, quod inter e. & m. interjacet, *coronam* voco, seu millenas rimas in gyrum excurrentes, id est circa totam convexitatem phialæ in hoc loco n. n. n. rimæ aliquæ per fundum excurrentes, atque quandoque in ventrem exporrectæ, si duæ, aut tres tales rimæ concurrant, unum constituunt fragmentum.

## §. XXII.

His ita præmissis facilius jam supra proposita quæstio solvi poterit: Cur nempe in officinis vitriariis multæ phialæ post earum confectionem sponte crepent, aliæ vero integræ persistant? Nempe candens, aut saltem maxime excalefacta phiala non reponitur *Solutio quæstionis §. XX. propositæ.*

in fornacem ſecundariam, prouti moris eſt in officinis vitriariis, ut videlicet ſenſim atque ſenſim tepeſcat refrigereturque, verum immediate frigido exponitur aëri. Ergo, prouti ſupra §. XIX. demonſtravimus, quod frigus cuncta corpora conſtringat; conſtringentur igitur etiam omnes fibræ vitreæ, gyrum phialæ conſtituentes, & quidem exteriores multo celerius, imo ſubito; contrahunt nempe ſe verſus interiora omnes arcus fibroſi, externam phialæ ſuperficiem componentes, dum interim interiores, id eſt cavo phialæ propiores, adhuc ferme fluxiles ſunt, hinc multum comprimentur arcus interiores ab externis verſus cavum phialæ ſe recipientibus. Verum quidem eſt, quod ſimul arcus fibroſi, cavo phialæ propiores, ſubito conſtringantur, aut ſaltem celerius multo, quam ſi in fornacem ſecundariam repoſitæ fuiſſent phialæ. Interim multo magis id fiet in arcubus fibroſis exterioribus, quos aër frigidus pleno alveo alluit, ſemperque novus accedens materiam caloris a phialis vitreis celerrime aufert atque transfert. Cum vero quilibet arcus elaſticus, aut ex quacunque alia materia conſtans, tanto magis tenſus ſit, quanto magis curvatus eſt, nemo negabit, arcus ejusdem materiæ tanto magis tenſos eſſe, quanto magis curvati ſunt, id eſt quanto magis portiones ſunt circuli minoris. Jam vero arcus fibroſi vitrei interiores, nempe cavitati phialæ magis propinqui noſtrarum lagenarum, nemine contradicente, portiones ſunt minoris circuli, ſicque etiam magis tenſi. Accedit, quod a contractione exteriorum fibrarum verſus interiora, deinde verſus centrum proprium arcus interiores adhuc magis comprimantur, & hinc etiam ex hac cauſa magis tendantur. Præterea fibræ phialarum noſtrarum elaſticæ ſunt, §. XV. inſuper ex materia admodum fragili conflatæ, §. XVI. mirumne igitur erit, quodſi ultra modum arcus fibroſi interiores tendantur, juxta leges omnium corporum elaſticorum tandem frangantur, aut rumpantur, & hoc tanto magis, ſi naturæ fragi-

fragilis sint. Verum necdum solutio integra quæstionis propositæ adest; cur enim non omnes perduntur phialæ? dico id casu fieri: Nam cum una phiala prorsus similis non sit alteri, tum in fibrarum elatere, fragilitate, tensione, pondere nuclei, &c. neque una tam celeriter, aut æque potenter refrigeretur, quam altera, sic ex his causis concurrentibus magna varietas oriri potest. Nempe eæ phialæ, quarum fibræ interiores portiones sunt circuli adhuc minoris, quam alterius, etiam magis tensæ evadent, etiamsi idem pondus nuclei sibi annexum haberent; ideoque si majus illud fuerit, aut si diutius fluidæ perstiterint, omnino etiam a nucleo magis tendi poterunt. Huc accedit, quod fibræ in una phiala forte teneriores esse possint, quam in altera. Proinde si una phiala citius refrigeretur, subitanea constrictio in hac major erit, quam in illa, quæ respective tardius calorem amisit. Unde si plures causæ concurrant in una phiala, nimis tendendo arcus fibrosos interiores, tunc eosdem dissilire facient. Hæc omnia vero si non contingant iisdem gradibus in aliis phialis, tunc eæ etiam persistent integræ. Ruptio vero semper contingit circa finem fundi atque initium nuclei, uti supra probavimus. Nam ibi fibræ illæ maxime tensæ sunt, quia primo constant ex fibris interioribus, seu cavitati phialæ propioribus, quæ portiones minorum circulorum sunt, & maxime tensorum; deinde ex arcubus fibrosis exterioribus, firmiter atque dense sibi incumbentibus & cohærentibus, atque versus interiora contractis, & ideo interiores arcus fibrosos magis comprimentibus. Accedit vel maxime, quod hoc in loco fibris pondus nuclei appendatur, unde etiam maxime tensæ sunt. Hinc si paulo major tensio accedat, nempe quæ ad fibram rumpendam sufficit, mirum non erit, quod in modo dictis confinibus ruptio phialæ exordium sumat.

§. XXIII.

*Cur casus silicis phialam perdat.*

Nunc vero agendum est de causa, cur phialæ nostræ per casum silicis frangantur? Primo ruptionem phialarum a vi corporis delabentis non dependere certum est; hoc enim ex experimentis §. IV. comprobamus. Frusta enim metallorum longe graviora phialam non perdunt, quod tamen fit per miculam silicis. Alia ratio igitur adferenda erit. Admodum speciosam adfert Anonymus quidam in opusculo eruditionis, & doctrinæ pleno, cui titulus est: *De phialis vitreis ex minimi silicis casu dissilientibus acroasis. Patavii, Typis Seminarii, 1743.* Ita enim pag. 17. & 18. loquitur: *Nostis, quid in ipsam phialam, adhuc fervescentem, jam ante induxerit subitus aëris frigidioris occursus, de quo ante locuti sumus, compagem scilicet tantum non labefactavit, intimamque vitri texturam, fibris distentis ac fatiscentibus, propemodum perdidit. Quodsi nova vis fibras excutiat, percellat atque distendat, nemo dubitat, quin phiala puncto temporis sit interitura: Verum vis apta vitreis hisce fibris excutiendis non a mole duntaxat corporis in fundum incidentis, sed potissimum a materiæ ingenio ducitur ac natura. Nihil vero aliud de adamantis, crystalli montanæ, ac silicis ingenio, phialis perdendis apto, hactenus nobis constitit, nisi firmitas, elastica vis, vibrationi, fibris jam distentis præstandæ, admodum opportuna. Tremor vero ac vibratio fibras magis magisque tendit atque producit, & ad disruptionem citius maturandam disponit. Dum enim fibræ tensæ vibrantur, in arcum quodammodo flectuntur atque curuantur: propterea sese habent chordæ distentæ & quiescentes ad easdem, ad vibrationem oscillationemque sollicitatas, veluti subtensæ ad arcus; hæ vero semper istis breviores sunt atque contractiores, antequam evanescant, seu ultimam rationem invicem habeant. Vitrum verum quadantenus tensum frangitur ac dissolvitur, ejusque natura vix modicæ contentioni ferendæ par esse solet; simulac vero fibræ, in ali-*

*quo*

*quo sui puncto percussæ, in oscillationes reciprocas abiuerint, a summo ad oppositam partem impressas vires e vestigio deferunt ac propagant. Quodsi aliquibus corporis distenti punctis inæqualis firmitas insit, ibi disrumpi corpus necesse est, ubi ejus partes minus invicem adhærescunt. Demum observando didici, vitri texturam ab improviso frigoris occursu non æqualiter quaqua versus debilitari. Nam partes convexo propiores, utpote citius contractæ, massam solidiorem conficiunt, reliquæ vero cavitati proximæ, utpote segnius defervescentes, stratum quoddam conflant minus densum, ac tenue, secum ipso cohærens quidem, sed longe minus cum interioribus fundi sinibus inæqualiter refrigescentibus. Id ex phialarum fragmentis, diligenter animadversis, frequentissime deprehenderam. Ita enim, sicut a me descripta sunt, extimæ atque intimæ fundi partes expressæ oculis objiciebantur. Quæ quum ita sint, si in cavam phialæ superficiem, ruinæ proximam, tenui strato constantem, admodum elasticum corpus incidat, necesse erit, ut fibræ vitreæ ejusdem strati concussæ impressionem receptam ad intimos, & hiulcos ejusdem sinus deferant, novo vero impulsu distractæ & contentæ, subito disrumpantur. Ad dissolvendam vero integram phialarum compagem, ruinamque citius præstandam, in fundi ipsius gravitate non exiguum inesse momentum puto. Nam animadverti, sæpe evenire, ut basis in terram decidat ferme integra, a reliquis circumstantibus partibus omnino discreta ac semota. Quod rei spectaculum ad hanc conjecturam animum induxit meum, diffractis scilicet principibus fibris, reciproca vibratione plus æquo distentis, reliquas propemodum labefactatas ab ipso fundi pondere, tantum non subsidente, dissiluisse. Quæ cum mecum ipse sedulo reputarem, & singula ad germanam philosophandi trutinam revocarem, alia inveni mechanicis legibus consona, alia experimentis & observationibus confirmata, nihil vero hypothesibus fictum ac temere enunciatum. Nam & corporum elasticorum*

*mutuo congressu vibrationes ac tremitus gigni constat: fibras vero proinde oportere distendi, distentas vero levi negotio disrumpi, vitri natura, compages in ipsa constructione labefactata, experimenta denique non levem afferunt conjecturam. Nonne fides testudineæ, prope vitreos scyphos excussæ, tremulos motus in istis excitant? liquores vero, quibus pleni sunt, a vitri tremitu, digitis confricati, undas figurant ac formant? Nonne* MUSCHENBROEKIUS *monuit eos, qui experimenta ad vitri firmitatem æstimandam perficerent, ut locum solitarium, & ab omni tremitus suspicione ac periculo omnino semotum deligerent? Deprehenderat enim a curruum in triuio proximo decurrentium strepitu, ab ipso pedum incessu, a tremore denique multo citius vitra frangi, quam illi antea contigerat, in tacita sede ac secessu eadem experimenta instituenti. Nonne a Daniele* MORHOFIO *elucubratio edita adhuc extat, in qua sermonem instituit de scypho vitreo per certum humanæ vocis sonum fracto, quod sæpius ab ænopola factitatum suis ipse oculis hausit ac vidit, quod deinceps* BARTOLO *aliisque rem tentantibus ex voto cessit, dum ingenti illo fragore, quem majora tormenta bellica explosa edunt, vitrei scyphi non disrumpuntur. Hujus rei veritatem magis magisque mihi suadet sera quarundam phialarum dissolutio, silicis casum aliquanto post consecuta, aut inopinus crepitus, qui sine ullo corporis dimissi ictu interdum contingit. Illud enim nos monet, etiam a silicis casu in fundo phialæ aliquid diu perstare concitum, quod vitri fibras tandem dissolvit ac fundit: hoc vero arguit ejusdem fibras vel a strepitu circumedito commotas, vel a calore productas, vel a bruma contractas, vel simili alia causa excussas concidisse.* Deinde pag. 16. & 17. sequentia præmittit: *Neque illud minus verum, scilicet elastica corpora, vitrum præcipue, percussa statim tremiscere, vibrari, reciproco itu ac reditu concuti, oscillationes conficere, sicuti fidibus testudineis excussis usu venit, quod etiam sonus ipse corporum sese invicem collidentium docet non obscure.*

*re. Tremitus vero hujusmodi per fibram integram propagantur, diuque perstant, antequam omnis motus desinat atque evanescat. Contra vero plumbum, metallum mixtum, stannum, utpote longe minus elastica, longe minus resiliunt, figuram pristinam integram non recipiunt. Quin imo contusionem aperte præ se ferunt. Hinc minus vibrantur ac tremunt, sonusque satis densus & crassus in aures incidit. Præterea corpora contusioni recipiendæ opportuna, si in magis elastica incidant, minus ista excutiunt, & ad tremitum longe minorem provocant atque pelliciunt. Quum enim tremulas fibrarum vibrationes vis elastica corporis gignat, eo validiores illas fore necesse est, quo validius corpus compressum resilit; minus autem resilit corpus elasticum, in molle aut minus elasticum incidens, quam si in alterum sibi simillimum impegisset. Pars enim non exigua vis insitæ, in contusione alteri corpori inducenda usurpata, omnino intercidit, nec amplius dum, compressione absoluta, corpora sese restituunt, amplius ut ita dicam reviviscit, nec vibrationem superioribus reciprocam iterum excitat atque instaurat; quæ non ex meo sensu deprompta, sed ex acustices, & collisionum doctrina hausta nemo non intelligit. Illud enim constat, plurimos effectus, minima naturæ opera editos, oculis exhiberi, qui, ut ait* POLENUS, *a majoribus ejusdem generis causis non producuntur; quemadmodum* MONTANARIUS *prodidit, qui perspicua experientia didicit, vinum tremore quodam perexiguo excitum omnino corrumpi, quod a violentiore nihil incommodi pertimesceret. Idem Philosophus aliud experimentum instituit, quo excita citharæ chorda ad sonitum alteram incitabat, quæ ad aliam citharam proxime positam pertinebat, & ad eundem tonum erat comparata; quod tamen minime contigit altera crassiore ac tensiore percussa, tametsi sonum longe majorem remitteret.* Fateor egregia hæc atque erudita esse, non potui tamen ab animo meo impetrare, ut is plenarium his præberet assensum. Saltem dictam causam assero non esse primariam, ad

sum-

ſummum concurrentem. Liceat mihi quædam dubia modeſte in contrarium proferre. Cur enim filum ferreum ſatis elaſticum §. VII. in phialam irruens, eandem diſſilire non facit, niſi reddatur chalybeum? Præterea globulus eburneus §. VI. ſatis elaſticus atque ponderoſus, cur pariter non rupit phialam? & cur ictus mallei fortes §. IX. phialam non perdunt? Cur fuſcinula, aut alio elaſtico inſtrumento, etiam chalybeo, ad ſonum edendum phialæ noſtræ percuſſæ non diſſiliunt? num quid tremula hic vibratio a corpore elaſtico, fibris vitreis, rupturæ proximis, induci poſſet, aut revera inducitur? & quanquam reponi poſſit, non quamcunque tremulam vibrationem hic ſufficere, ad fibras elaſticas rumpendas, verum proportionatam, quod ſcyphi Morhofiani docent, & alia, quæ ſupra ex laudatiſſimo Auctore attulimus; ſed hæc omnia nec dum convincunt. Dubium enim ſemper remanet, cur ſolus ſilex, adamas, gemmæ quædam atque chalybs tantum hanc proprietatem habeant, ut adeo proportionatas vibrationes tremulas in elaſticas phialarum vitrearum fibras inducere poſſint, & non itidem alia corpora vel æque, vel magis elaſtica? præſertim cum tantilla micula ſilicis, adamantis, &c. caſu ſuo non videatur poſſe, niſi valde exiguas, ſi tamen aliquas, tremulas vibrationes in fibras vitreas inducere. Nam omnia, quæ motus vibratorios in corpora elaſtica introducere valent, ſemper notabilem quandam impreſſionem ſupponere videntur. Non igitur tremulæ vibrationes fibrarum vitrearum, a corpore elaſtico in phialam elapſo productæ, principalis ſaltem cauſa videntur phænomeni noſtri. Tenſionem vero fibrarum requiri, nullus dubito, hoc enim experimentum §. X. comprobat, ubi tenſione ſolius fundi per forcipem phiala æque diſſilit, ac per caſum ſilicis, ſed quærendum reſtat, quomodo caſus ſilicis hanc tenſionem efficere poſſit, ut phiala perdatur.

§. XXIV.

## §. XXIV.

Antequam vero ad ipsam phænomeni nostri solutionem me accingam, pauca præmittere placet. In omnibus corporibus ignem elementarem hærere, nemo facile dubitabit, majori vero quantitate igniculos in uno corpore congregari, in alio minori, pariter certum est. Ferrum, chalybem, silicem, gemmas plurimas, vitrum, in se copiosum accumulatum habere ignem elementarem, plurima suadent. Deinde pariter ignem, aut igniculos in corporibus in quiete positos esse posse, id est minori motu agitari, aeque perspicuum esse videtur. Potest vero ignis hic attritu in corporibus saepe ita excitari, ut satis manifeste se prodat effectibus suis, comburendo nempe, adurendo, accendendo. Infinitus certe forem, imo superflua adferrem, si hæc, adeo omnibus moderno seculo manifesta, comprobare studerem. Unum tamen alterumve liceat proponere, ut tanto luculentius de causa phænomeni disserere possimus. Quid notius est, quam ferrum frigidum mallei ictibus candens fieri posse, quod toties expertus sum. Illud vero denuo ad pristinum redit frigus, si amplius mallei ictibus non exagitetur. Interim toties, quoties libuerit, experimentum in uno eodemque ferro repetere licet. Cur ferrum frigidum non candet, cum tamen ignem intra se contineat? nisi afferas igniculos in eodem in quiete positos esse, seu minori motu agitari. Non enim dici potest, quod sub actuali mallei ictu aliunde ignis in ferrum transferatur; sed cur mallei ictibus cusum ferrum candescit? nisi quod inter igniculos locatur, qui hoc concussu exagitantur, atque in rapidissimum cientur motum, uti natura ignis comburentis requirit; & hoc tamdiu, donec cessantibus ictibus mallei hæc exagitatio attritusque desinat, sensimque igniculi ad quietem denuo redeant.

*Ignis elementaris adest in omnibus corporibus.*

§. XXV.

*Aliud exemplum in vitro electrico habetur.*

Verum luculentius exemplum in vitro electrico habetur. Notiſſimum enim eſt, tubos, aut vaſa vitrea, per attritum exagitata, non modo lucem ſpargere, ſed & flammam producere, hancque in ſpatia ſatis diſſita propagare, atque demum accendere. Deinde iterum ceſſante attritu, pariter omnes modo enarrati effectus ceſſant. Nempe per vitri attritum latitantes ſat copioſe in eodem igniculi in celerem abripiuntur motum eundemque ſpecificum; & cum natura ignis in lucendo atque urendo conſiſtat, mirum non eſt, quod ignis electricus tales pariter producat effectus, ſed ſepoſito attritu hi ipſi igniculi denuo in intimos atque tenerrimos recedunt vitri poros ſolitamque quietem, aut ſaltem alii ex atmosphæra ſe in loca ab igniculis vacua recipiunt, eundem effectum producturi, ſi in eundem motum denuo concitati fuerint.

§. XXVI.

*Vera ratio noſtri phænomeni adfertur.*

His ita ſuppoſitis, opinor ſequentem phænomeni noſtri eſſe cauſam. Vitra tanto calore furni liquata, atque ſubito refrigerata, ingentem quantitatem ignis elementaris intra tenerrimos poros ſuos retinent. Nam & omnia alia vitra eundem intra ſinus ſuos abſconditum tenent, quod omnia electricitatis phænomena jam ſatis aperte docent, magis vero phialæ noſtræ, quarum pori ſubitaneo ſtringuntur frigore. Secundo fibræ omnes vitreæ, elaſticæ, fragiles atque multum tenſæ ſunt, præſertim eæ, quæ cavitati inferiori phialæ propiores ſunt, atque nucleo adhærent, juxta dicta §§. ſuperiorum. Dum igitur micula ſilicis in fundum phialæ pervenit, attritu ſuo igniculos latentes in celerem concitat motum, nempe qui intra fibras, fundum phialæ conſtituentes, continentur. Hic igitur ignis, in motum concitatus, jam citius, modo tardius reliquos igniculos, per fundi

præ-

præsertim & nuclei spatia distributos, in eosdem igni proprios concitat motus. Expansivus igitur, nec non cum impetu conjunctus motus hic est; subintrans ergo in fibras interiores (id est cavitati atque nucleo propiores), laxius sibi cohærentes multumque tensas, easdem magis tendit, nempe dum inter interstitia harum fibrarum motus hi expansivi fiunt, arcus fibrosi in parte convexa magis comprimuntur, sicque plus justo tenduntur; cumque naturæ fragilis sint, minusque firmiter nucleo cohæreant, tandem rumpuntur, & ab eodem avelluntur, quæ omnia dum per gyrum phialæ fiunt, cogitur hæc in fragmenta dissilire. Singula hæc confirmantur primo experimento §. XII. Cur enim attritu pistilli phiala æque frangitur in similia prorsus fragmenta, uti silice aut adamante? nisi quod pistillo hoc consimilis in phiala sequatur attritus, prouti fit in machinis electricis? Ibi vero hoc attritu revera ignis producitur satis notis experimentis. Imo possem plura addere, quæ manifestius rem confirmarent, nisi brevitati studerem. Secundo, cur juxta experimentum §. VII. tantum chalybs, & non ferrum ruptionem phialarum efficit? nisi quod chalybs cum vitro allisus aptior sit ad ignem concipiendum. Tertio, cur nullum corpus, ut ut grave, phialas dissilire facit, licet forti attritu affricetur, ut metalla, &c.? quia nullum ex his corporibus solo attritu, præsertim leviori, in flammam erumpit. Quarto, cur adamas & gemmæ multæ phialas perdunt? quia hæc corpora ad silicis accedunt naturam. Deinde subtilissimum atque copiosum continent ignem, quod de adamante, in tenebris lucente, constat, nec non aliis quibusdam gemmis. Deinde gemmæ attritu concussæ apud artifices manifestas edunt flammulas. Nec dici potest, quod elater illabentis corporis, ut silicis aut adamantis, tremulas vibrationes in fibris phialarum nostrarum producat, per quas tandem hæ ipsæ rumpantur. Cur enim filum ferreum, satis elasticum §. VII. in fun-

dum phialæ cadens, eandem non dissilire fecit? Cur §. VI. globulus eburneus, utcunque ponderosus atque elasticus, eundem non produxit effectum, nisi quod hic solo suo illapsu in fundum phialæ flammam non produxerit? Idem de ferro elastico §. VII. dicendum.

§. XXVII.

*Cur silex cum chalybe, aut similium corporum collisio scintillas producant?*

Si autem quæras, cur hoc silex, adamas, gemmæ quædam, chalybs & non alia corpora faciant? rationem dedi præcedenti §. si quæras denuo, cur silex, si cum chalybe aut vitro atteratur, & sic de aliis gemmis, scintillas producat? dico id fieri, quia hæc corpora plus de igne elementari continent, quam alia. Nemo enim inficiabitur, unum corpus plus de igne elementari possidere, quam alterum. Verum ut magis specifice loquar, adamas gemmæque purissimæ ad siliceam accedunt naturam, & hinc silex vilior quasi gemma est, & prouti purus adamas copiosum purumque continet ignem elementarem, qui tanto magis conspectui nostro se offert, ob adamantis puritatem ac diaphaneitatem, ita pariter silex copiosum ignem elementarem possidet, licet forte non in eadem quantitate neque puritate. E corporibus vero copiosum ignem elementarem continentibus, attritu facillime hic in motus naturæ suæ convenientes excitatur, id est in scintillas aut flammam. Unde mirum non est, attritu ad vitrum e silice scintillas elici posse, licet adeo subtiles, ut in conspectum non prodeant, & vice versa allisu silicis ad phialas nostras ex his ipsis. Itaque duplici concurrente causa, tanto facilius scintilla in phialis nostris produci, nec non ea efficere poterit, quæ §. XXVI. attulimus. Ex eadem causa chalybis attritus, tanquam durior, facilius e phialis nostris satis rigidis, igneque electrico plenis, scintillas evocabit, quam ferri mollioris. Et quanquam ferrum copiosos pariter igniculos possideat, non tamen per silicis attritum tam prompte spargit scintillas, ac chalybs. Nempe primo

cha-

chalybs durior facit, ut silex allisus fortiorem patiatur attritum, quam in ferro molliori. Idem fit cum chalybe in phialis nostris, quod hic durior majori attritu suo facilius ignem in phialis latentem concitet. Deinde extinctione candentis ferri in frigida plures de novo chalybi socientur igniculi, atque ob frigus accedens, chalybisque contractionem, retinentur. Unde chalybs, tanquam corpus rigidum durumque, atque igne elementari plenum, silicem æmulabitur, qui æque ut corpus durum, rigidum igniculisque plenum, considerari potest. Hinc uti silex, cum chalybe attritus, promptius dat flammam, ita pariter chalybs cum vitreis nostris phialis.

§. XXVIII.

Scintillam vero genitam in phialis nostri reliquum ignem electricum, intra easdem latentem, concitare posse, ut impetu violentiore easdem disiiciat, phænomena electrica satis suadent. Hem! quam celeriter hic se per corpora propagat ad distantiam incredibilem, & tandem accendit? Imo impetus satis fortes, quandoque dolorosos, in corporibus producit. Pauca apponam ex Patris *Andreæ* GORDON Philosophia utili & jucunda, Tom. III. pag. mihi 283. 284. 285. *Globulus ligneus, e filo serico pendulus, admoto digito electrificato quaqua versum trahitur, quemadmodum & filum metallicum densius pari modo suspensum. Globulum ferreum, cujus diameter paulo plus digito continet, asserculo electrificato imposui, atque ad illius latus dimisi globulum longe minorem, e subere sectum & e filo serico pendulum, qui mox in orbem gyrare inchoavit circa globulum majorem. Statera bilancibus imposui æqualia plurium, v. g. 3. aut 4. librarum pondera, & quieta statera reddita, alteri ponderi digitum electrificatum admovi, unde pondus hoc mox attollitur, qui motus alternus tamdiu durat, quamdiu ponderi alteri applicatur digitus electrificatus. Acus, e filo serico dimissa, juxta latus tubi electrificati nunc attrahitur, nunc repellitur,*

*Explicatur magis modus, quomodo ignis electricus phialas perdat.*

*ſicque motus penduli æmulatur exacte, præprimis ſi acus repulſa impingat in corpus non electrificatum. Inde motus fui ad tentandum & explorandum tinnitum corporis ſonori electrificati. Duo igitur vitra minora, formam calicis æmulantia & vino bibendo deſtinata, ſic juxta ſe invicem collocavi, ut unum inſiſteret asſerculo electrificato, indeque, electricitate communicata, imbueretur; alterum vero in corpore non electrificato poneretur ad diſtantiam unius digiti a priori vitro electrificato. Hæc inter dimiſi piſtillum e filo ſerico (quod alligatum fuit ligno non electrificato ſuperimpendenti,) pendulum. Piſtillum mox fuit a vitro electrificato attractum, & paulo poſt repulſum in vitrum non electrificatum, atque in utroque vitro ſonum edidit, ſive tinnitum. Ob diuturnam vero cohæſionem res non adeo placuit. Quare duo tintinnabula ſic adhibui, ut unum e filo ferreo, quod tubo electrificato apponebam, ſuſpenderetur, alterum vero e corpore non electrificato ad eandem cum priori altitudinem & diſtantiam unius digiti ab invicem ſuſpendi. Tum vero piſtillum, intra tintinnabula dimiſſum, juxta modo dicta de vitris, attractum a tintinnabulo electrificato, atque mox repulſum in tintinnabulum non electrificatum, exactum & optatum edidit ſonum ſive tinnitum, quod tamdiu duravit, quam frictio corporis electrici.* Ex his & pluribus aliis, ni fallor, ſatis manifeſte apparet, ignem electricum ſatis violentos impetus facere poſſe. Cum vero hic intra fibras teneras, elaſticas, multum tenſas fragilesque phialarum noſtrarum repoſitus ſit, poterit hic motu ſuo impetuoſo facillime, ſupra explicato modo, easdem concutere, magis tendere, & ita diſponere, ut prorſus tandem diſſiliant.

## §. XXIX.

*Cur una phiala citius disſiliat altera? & alia*

Reſtat denique, ut paucis adhuc experimentorum rationes adferamus. Quod ergo principale attinet phænomenon, de eo, ut opinor, ſatis jam dictum fuit. Interim tamen ſilicis caſus

juxta

juxta §. V. quandam introduxit temporis differentiam; nempe quædam citius, quædam vero phialæ tardius perdebantur. Hujus differentiæ ratio in eo consistere videtur, quod nempe in illis phialis, quæ tardius dissiliebant, levior attritus factus fuerit, per quem ignis electricus non in satis repentinum ac subitaneum motum concitatus fuit, unde tardius per corpus phialæ (liceat ita loqui) accensus fuit. Pluribus ergo vibrationibus tremulis, nec non compressionibus arcuum fibrosorum opus fuit, ut ruptio sequeretur. Contrarium dicendum erit, ubi vegetior attritus a silice cadente in vitro excitatus fuit. Taceo, quod circumstantiæ illæ §. V. notatæ, pariter hic in considerationem trahi debeant; eæ nempe, quæ concernunt differentiam phialarum in structura. Quæ de silice attulimus, ea pariter de adamante, nec non gemmis pretiosis asserimus, nisi hæc differentia forte admittenda fuerit, quod adamas promptius rumpat. Cur chalybs & non ferrum phialam disrumpat §. XXVII. diximus. Arena §. VI. non nisi silex est, ergo quæ de silice disseruimus, ea pariter ad sabulum arenosum applicamus. Quod vero vitri frustulum eodem §. tardius phialam crepare fecerit, hoc ex singulari vitri natura deducendum esse videtur. Nam & vitrum tantum attritum facere non potest; est enim in pondere leuius silice. Deinde forte adhuc aliæ rationes adferri possent: est enim tale corpus, quod copiam igniculorum in se continet, quive attritu facile excutiuntur, quod phænomena electrica docent. Quapropter simul aptum corpus est ad phialas nostras perdendas, juxta explicata §. XXVIII. Cur metalla phialas non rumpant, facilis ratio est; hæc enim igniculos e phialis nostris, aut propriis corporibus, evocare minime valent, confirmante experientia. Nam quamquam metalla quomodocunque inter se atterantur, scintillas tamen non edunt, ignem non spargunt, &c. excepto ferro, de quo specia-

*rationes experimentorum factorum adferuntur.*

lia jam attulimus; hæc autem neceſſaria ſunt, ut phialæ noſtræ diſſiliant. Pariter globus eburneus §. VI. & filum ferreum ſpirale §. VII. phialas non perdebant, quia non ſufficit illapſus corporis elaſtici in fundum phialæ, neque tremulæ vibrationes arcuum fibroſorum, qui fundum phialæ conſtituunt, ſed talis attritus, ut igniculi intra phialas latentes in celerem concitentur motum. Quod hydrargyro §. VIII. injecto phialæ non crepent, ratio eſt, quod illud minime aptum ſit electrico attritui producendo, minus etiam igniculis aut ſcintillis provocandis.

## §. XXX.

*Rationes quorundam experimentorum §. VIII. & XII. adferuntur.*

Phialæ in aquam impoſitæ aut ſi in has aqua infundatur, jactu ſilicis æque crepant §. VIII. Aqua enim ignis electrici motum non turbat, nec impedit ſcintillas electricas, id quod omnia phænomena electricitatis docent, cum non modo aqua ipſa electricitatem acquirere poſſit, ſed hac ipſa, tali electricitate prædita, etiam ſpiritus vini accendi. Quod vero tardior fuerit ruptionis ſucceſſus in illa phiala, cui oleum olivarum infuſum fuerat, ratio eſt, quod hoc lentore ſuo ſufficientem attritum, deinde & proportionatum impulſum in fundum phialæ impediverit. Ad focum vero mediocri calore calefactas phialas §. VIII. crepuiſſe, facile dilucidari, nec aliter fieri poſſe opinabar. Numquid celerius electricus ignis in motum cietur, ſi vitra electrica tantillum tepeſcant, quam ſi hæc frigida ſint? Ita pariter calore igniculi, intra phialas noſtras latentes facilius concitantur ad ſuos motus, quibus tandem explicatis modis phialas perdunt. Quod vero attritu electrico §. XII. pariter diſſiluerint phialæ noſtræ, ſicuti fit cum ſilice, confirmat ſententiam meam eamque extra dubium ponit; ita enim ignis electricus concitatur. Quantarum vero hic ſit virium, ſupra paucis attigimus, ſatisque capax ille eſt ad

tam

tam fragilem phialam perdendam. Deinde quod hæc omnia experimenta in vacuo §. XII. pariter ſuccedant, nullum ſcrupulum movere poteſt. Nihil enim habet aër atmosphæricus cum phialis noſtris commune, & ſatis convicti ſunt ab aliis Auctores ii, qui hoc aſſeruerunt, referente Anonymo noſtro. Ita enim p. 20. loquitur: *Neque rectius ii ſentiunt, qui ab aëre intra fundi fibras vel ſatis compreſſo, vel admodum raro, phænomenon repetunt. Alii enim putant, aërem phialis intimum eſſe extimo longe rariorem, & idcirco excuſſis nonnihil ſilicis caſu fibris atque abruptis, aërem intra irrumpere magna vi, & undequaque in latera urgentem niti, hinc prompta disruptio. Verum hæc & alia ſatis refutant experimenta in vacuo ſpatio habita, ubi extimo denſiore jam exhauſto, quicunque ſuperſtes eſt, ad æquilibrium cum intimo redactus eſt, vel minimum ab ipſo diſtat. Non defuerunt, qui dicerent, aërem ſatis compreſſum intra laxiores vitri ſinus deliteſcere, ibique ab extimis phialæ partibus, puncto temporis in unum contractis, veluti transfugam & extorrem ad intima receſſiſſe. Hinc violenter a circumſtantibus vitri lateribus undequaque compresſum aditum, ac fugam, quæ datur, quærere: ex ſilicis vero jactu vitri compagem omnino labefactatam vinci, & ab aëris elaterio ſuperari, aliaque his ſimilia occentant, quæ de lachrymis vitreis perhibentur.* Sed hæc omnia a laudato Anonymo egregie refutantur. Quod vero juxta eundem §. phialæ non rumpantur, ſi ſilex, verſa in ſitum horizontalem lagena, lente in fundum dimittatur, denotat non quemcunque attritum ſufficere ad ignem elementarem, aut electricum, concitandum, verum ut is proportionatus ſit, neceſſe eſt; hinc paulisper fortiori agitatione rumpitur.

§. XXXI.

*Cur phialæ, a quibus collum atque venter abruptus fuerat, non dissiliant?*

Quænam vero ratio est juxta §. X. quod collum integrum, venter totus aufferri aut diffringi possit, non dissiliente tamen fundo phialæ? Quodsi vero in taliter nudatam phialam, ubi nempe fundus solus cum nucleo superest, silicem denuo injeceris, prompte hæc dissiliet, ac si adhuc integra foret. Denique si fundum forcipe tendas, eodem modo, ac cum silice phiala crepat. Cur ergo non, si collum, aut venter dematur? Respondeo, considerandam primo esse figuram phialarum, earundemque in officinis vitriariis refrigerationem. Quodsi figuram 2. Tab. II. intuearis, etsi enim extrema pars colli phialæ crassior sit, hæc tamen crassities vitri vix ad quartam partem pollicis extenditur. Collum reliquum A A, & venter B B, ex vitro valde tenui, & ferme ejusdem crassitiei, constant. Aliter vero fundus phialæ constitutus est, tenuior enim hic in sui principio CC. est, semperque magis atque magis crassescit, donec in fine DD. crassissimus evadat. Jam si paucula ex §. XXI. & XXII. repetamus, diximus ibidem arcus fibrosos fundi exteriores DD. Fig. V. Tab. I. per subitaneum atmosphæræ frigus multum versus interiora contrahi, magis curvari atque tendi, dum interni, & nucleo viciniores, nec non cavitati phialæ, adhuc molles quasi atque flexiles sunt; hinc ab exterioribus arcubus adhuc magis comprimi. Intermedii vero arcus pariter inæqualiter tenduntur, qui a frigore atmosphærico non tam subito contrahuntur, prouti illi exteriores. Ut taceam, nucleum ponderis vices agere, quod fibras tanto magis (dum vitrum adhuc fluidum est) præsertim exteriores atque superiori parti nuclei adhærentes, efficaciter tendit. Fibræ vero hæ vitreæ elasticæ sunt atque fragiles, insuperque maxime circa fundi finem nucleique principium tensæ. Hinc mirum non est, quod si fundus

dus magis tendatur, nimia tensio fibram elasticam atque fragilem abrumpat a nucleo perdatque. Idem est cum casu silicis, si hic in phialam ita abruptam dimittatur. Nam duplicem phænomeni nostri rationem in §§. superioribus attulimus. Primo fibras has esse elasticas atque fragiles; deinde per subitaneam atmosphæræ refrigerationem exteriores magis contrahi versus interiora, & sic magis insimul tendi; interiores vero arcus, id est cavitati phialæ viciniores, utpote circuli minoris, aliunde magis tensos esse, ab exterioribus autem adhuc plus comprimi atque tendi; hinc quasi in maximo elatere constitutos esse, ita, ut, si alia accedat causa, hæ ipsæ, ob nimiam tensionem, rumpantur. Ignem vero electricum talem causam constituere posse, id est, motu suo fibras has magis tendere, §. XXVI. itidem evicimus. Longe aliter cum collo atque ventre phialæ res comparata est. Primo ibi fibræ omnes in longitudinem excurrunt; deinde licet in ventre curuentur, ob æqualem tamen hujus cum collo crassitiem, æqualis ferme tensio est. Et licet collum atque venter a pondere fundi ac nuclei tantillum forte tendantur, æqualis tamen tensio sit. Præterea quod caput rei est, tenue cum ventre collum iisdem gradibus eodemque tempore refrigerantur, hinc æqualis fit contractio in superficie externa æque, ac interna; quare primo nulla fibra magis præ altera tensa evadet. Omnium minime fibræ hæ multum, aut inæqualiter curuantur atque tenduntur, prouti contingit fibris, quæ fundum phialæ, nec non superiorem atque exteriorem partem nuclei constituunt. Igitur licet collum cum ventre a fundo separetur, nulla tamen ruptio phialæ sequi potest. Primo cum fibræ colli atque ventris longe minus elasticæ sint minusque tensæ, quapropter ruptio tantum fiet, ubi tensio fibrarumque elater maximus deprehenditur; hic autem, juxta superius probata, in

fundo atque nuclei principio adeſt. Accedit, quod omnes fibræ fundum conſtituentes cum fibris ventris atque colli non adeo magnam cohæſionem habere videantur, ſintque quaſi alterius ordinis. Hinc facile ſine læſione fundi ab hoc ipſo avelli poſſunt. Nempe ubi fundus inchoatur, ſemper plus maſſæ vitreæ accreſcit, ad finem fundi usque; conſtabit igitur fundus ex pluribus atque novis fibris, ſeu arcubus fibroſis, hinc magis tenſis etiam; prouti hæc omnia fuſius in ſuperioribus deducta fuere. Opinor cauſas has eſſe ſufficientes ad phænomenon hoc explicandum.

## §. XXXII.

*Cur malleo percuſſæ phialæ noſtræ non diſſiliant?*

Ultimum igitur phænomenon nunc explicandum aſſumimus: Cur utcunque fortis alliſio nuclei ad menſam, aut ſimilis concuſſio facta cum malleo ad nucleum & fundum, phialam non perdat? nempe ad phialæ ruptionem requiritur, ut fibræ fundum conſtituentes magis flecti atque tendi poſſint, ut minima tandem curuatio fibram rumpat atque a nucleo avellat. Ut hæc vero fiat, quælibet fibra, ſeu arcus fibroſus, debet poſſe magis curvari verſus interiora, id eſt verſus cavitatem phialæ. Verum exteriores arcus fibroſi fundi, ſubitaneo atmosphæræ frigore conſtricti verſusque interiora fortiter compreſſi, non modo denſiſſime ſibi apprimuntur, verum inſimul forti cohæſione adhærent, adeoque corpus durum conſtituunt. Accedat nunc ictus mallei, hic tamen non poterit, ob dictas cauſas, arcuum fibroſorum majorem curvaturam atque tenſionem receſſumque verſus interiora procurare, cum fibræ profundius jacentes exterioribus reſpective non cedant, niſi fortiſſima forte foret mallei percuſſio, ut phialam violenter diffringeret. Ex

eadem

eadem ratione silex fortiter ad fundum phialæ externæ allisus eandem non perdit. Primo, ubi tam denso agmine arcus fibrosi sibi cohærent, pauciora saltem spatia admittent, in quibus ignis electricus contineri posset. Plus vero continebitur inter laxiora spatia arcuum magis interiorum. Hinc concitetur etiam ignis hic elementaris in motum per silicis allisionem, minor tamen quantitas ejusdem minorem etiam producet effectum, præsertim in fibris adeo fortiter inter se cohærentibus. Præterea in tam denso agmine fibrarum non poterit hic ignis concitatus tam facile motum receptum aliis moleculis igneis communicare. Tandem nondum constat, quod impetus ab igne electrico concitati, æquiparari possint forti mallei ictui? Quodsi igitur mallei percussio hanc arcuum fibrosorum cohæsionem vincere non valeat, minus hoc efficiet ignis electricus.

## §. XXXIII.

Adhuc restat dicendum, quænam differentia sit inter dissolutionem phialarum nostrarum, atque lachrymarum vitrearum ruptionem. Notum enim est, lachrymas vitreas conicam quasi figuram habere, ventrem nempe latiorem in tenue filum, quod caudam vocant, abeuntem. Basis inferior ventris non plana est, sed ferme sphærica. Quodsi cauda tendatur aliqualiter, in scobem, aut pulverem lachryma dissilit vitrea. Ceterum tota solida est, nisi quod quandoque bullas aëreas intra se contineat. Conficitur pariter in officinis vitriariis, ubi fluidum adhuc vitrum pondere suo delabitur, & hanc, quam repræsentat lachryma, efficit figuram. Immittitur vero statim in frigidam; hinc plurimæ pereunt, nisi artifex moderamen adhibeat, ut candentem adhuc lachrymam in frigidam non imponat. De

*Quæ sit differentia inter phialarum nostrarum ruptionem atque lachrymarum vitrearum?*

caufa hujus effectus variæ circumferuntur fententiæ. Placet nobis ea, quam Perilluftris *L. B. de* WOLFF adfert in Opufculis germanicis, *Nützliche Verfuche* nuncupatis, *Tom. III. Cap. III. pag. 94.* Totam rem in compendio adferam. Vitrum ex filamentis, aut fibris elafticis, interim tamen fragilibus, conftare, fupra demonftravimus. Unde pariter lachryma vitrea ex fimilibus conftabit fibris, quæ tamen omnes in tenui conveniunt apice. Vitrum enim dum fluidum eft, pondere fuo deorfum fertur, hinc omnes fibræ tunc tenduntur. Cum vero apex lachrymæ, id eft cauda, inftrumento artificis, aut maffæ reliquæ vitri in inftrumento adhæreat, omnesque fibræ vitreæ fibi junctæ fint, fequitur easdem in cauda fumme attenuatas esfe, (conveniunt enim ibidem cunctæ,) non aliter ac fi paftam ex aqua & farina, fuo modo fluxilem tamen atque figuram lacrymæ noftræ repræfentantem haberes, eamque fufpenfam digito teneres, nunquid hæc pondere fuo deorfum feretur, cauda vero, licet ventri cohæreat, aut omnibus fibris, quæ ventrem conftituunt, multum tamen attenuabitur? Nihilominus certum erit, quod omnes fibræ paftæ hujus in cauda conveniant, licet multum attenuatæ. Dum vero lacryma noftra in frigidam dimittitur, fubito omnes fibræ fe contrahunt verfus interiora, denfo agmine fibi cohærent, & ad fe invicem apprimuntur, hinc venter lacrymæ durus evadit. Verum tali modo tenduntur adhuc magis: prout enim chorda mufica, dum in longitudinem nimis tenditur, ideo rigida duraque fit, quod nempe filamenta chordam conftituentia juxta latitudinem fibi multum apprimuntur

primantur; ita pariter, dum fibræ vitreæ, lacrymam constituentes, denso agmine sibi multum adhærent, atque ad se invicem apprimuntur, similia sequuntur. Imo quælibet fibra insuper contrahitur, atque abbreviatur in longitudine, contracta vero curvatur atque tenditur, ut taceam, quod dum vitrum adhuc fluidum fuerat, fibræ omnes jam tum magis elongatæ, & insuper a pondere ventris tensæ fuerint. Jam vero uti chorda nimis tensa rumpitur, non minus hoc fiet in fibris vitreis lacrymarum nostrarum, dum plus justo tenduntur: quando enim cauda lacrymæ vitreæ magis tenditur, omnes fibræ ventris, in cauda adunatæ, magis flectuntur atque tenduntur, hinc tandem rumpuntur. Quodsi enim conum haberes ex meris chordis musicis confectum, quæ in apiee quodam convenirent, atque insuper quælibet chorda mensæ firmiter annexa foret, apex vero coni fortiter a manu tenderetur, tandemque vel ab alio, vel a te ipso, omnes chordæ in apice convenientes cultro discinderes, nunquid violento resultu omnes chordæ a se invicem recederent? Idem fit cum nostris lacrymis vitreis, dum cauda abrumpitur. Quod vero dissilientes chordæ integræ maneant, fibræ vero vitreæ lacrymarum nostrarum in tenuem plus minus concidant pulverem, hoc ex sola diversa natura vitri atque chordarum evenit. Chordarum enim minimæ fibræ tenaces sunt, varioque implexu sibi intricatæ, nec non forti cohæsione junguntur. Fibræ vero vitreæ fragiles sunt, longeque infirmiori nexu sibi junguntur, ut supra explicavimus. Hinc mirum non est,

quod

quod adeo fragiles fibræ (ob nimis præcipitem ſubitaneamque, & quidem ſatis validam refrigerationem, uti ea eſt, quam lacrymæ vitreæ ſuſtinent,) in pulverem concidant. Et hæc ſunt, quæ circa hujus phænomeni enodationem adferre voluimus, quæ omnia feſtinanter proferenda erant. Erudiri cupimus, non leges ferre.



FRIDE-

FRIDERICI BOERNERI

Artis Salutaris Doctoris & Practici Wolfenbutelensis, Academiæ Cæsareæ Naturæ Curiosorum et Societatum Teutonicarum Gœttingensis, Jenensis & Helmstadiensis Sodalis,

DE

# TABE SICCA LETHALI A MIRABILI DVODENI ANGVSTIA

& præternaturali plane Ventriculi situ,

## DISQVISITIO

Anatomico-Medico-Practica

*Academiæ Cæsareæ Naturæ Curiosorum Pensi Ordinarii loco oblata.*

# VIRO
Illustri Magnifico Excellentissimo atque
Experientissimo

# DOMINO
# ANDREÆ ELIÆ
# BÜCHNERO
S.R.I. NOBILI

Consiliario, Archiatro & Comiti Palatino Cæsareo, Potentiss. Borussiæ Regis Consiliario Intimo & in Regia Fridericiana Halensi Philosophiæ Naturalis & Medicinæ Professori Publico

Academiæ Scientiarum Regiæ
Berolinensis Sodali
*Cæsareæque Naturæ Curiosorum*

PRÆSIDI
Longe Gravissimo;

Nec non

VIRIS

Magnificis Experientiſſimis

Ampliſſimis

*Ejusdem Academiæ Cæſareæ*

# DIRECTORI

# ADJUNCTIS

Reliquisque Collegis

Munerum Meritorumque Splendore

Maxime Conſpicuis

&c.

*S. P. D.*

## D. FRIDERICUS BOERNER

Practicus Wolfenbutelenſis

& dictæ Academiæ Cæſareæ

CINEAS II.

# A. & Ω.

Et dudum quidem mearum fuiſſet partium, PRÆSES MAGNIFICE, COLLEGÆ CONJVNCTISSIMI, non quod leges ſolum a majoribus noſtris ſapientiſſime ſancitæ requirunt, ſymbolum meum ad Veſtros conferre labores, verum & TIBI inprimis ILLVSTRIS BüCHNERE gratiſſimam publice declarare mentem, quod tam clariſſimorum, & in omni ſcientia naturali atque medicina exercitatiſſimorum Virorum cohorti adſcribere me, publicoque ornare diplomate, pro benevolo TVO in me favore, volueris. At enim vero, quum dignum aliquod tantorum virorum judicio argumentum, Davus ego non Oedipus, in ſcriniis meis non invenire potuerim, hincque in Veſtrum prodire conſpectum jure meo meritoque dubitaverim, ſpem mihi facio certiſſimam, fore, ut diuturno ſilentio impetretis veniam. Ne tamen mutus ſemper in expeditione Argonautica ſim ſpectator, utque leges aliqua ex parte pro virium mearum obſervem modulo, ſilere diutius haud volui, ſed potius periculum facere, quid valeant humeri, quid ferre recuſent. Offero autem Vobis ſacrumque eſſe cupio caſum anatomico-medico-practicum rariſſimum, nec forſan ubivis obvium, inter practica negotia obortum, quem ut æqui bonique conſulatis veſtroque dignemini applauſu, humaniſſime rogito. Omni enim ex parte niſi ſpei veſtræ, legibusque Academicis ſatisfaciat, iisdem tamen eum etiam non



plane indignum fore ſperare poſſum. Gratulor mihi autem cæterum, impenſeque lætor, quod propioris ad Vos, vellusque aureum aditus, jus nunc habeam atque occaſionem, hincque eſt, quod TIBI, PRÆSES GRAVISSIME, devinctiſſimum gratiſſimumque declarem animum, quod TV januam ad illum aperire inque ampliſſimum hoc conſortium recipere me benevole volueris. Deum precor, ut TE, Vosque omnes, COLLEGAS CONJVNCTISSIMOS, omnibus felicitatum generibus beare, diu diuque ſoſpites, ſalvosque & incolumes ſervare, Veſtris ceptis annuere laboresque, quos in mortalium ſalutem ſuſcipitis, ſecundare, ipſam vero noſtram Academiam, amabile illud conſortium, quod per centum nunc ſtetit annos, hocque ipſo anno, ſuum, quæ Dei eſt gratia, celebrare poteſt Jubilæum, hanc ipſam inquam noſtram Academiam ſartam tectamque diu adhuc diuque conſervare velit quam clementiſſime. Valete, Viri amantiſſimi, & Hiſtoriam Academiæ noſtræ, a primo ejus ortu ad hunc usque diem, proxime a me expectate. Valete iterum, meque mutuo amore proſequi pergite. Scribebam Wolfenbuteli, ipſis Calendis Novembris, Anno Academiæ ſeculari primo, qui eſt centeſimus, P. C. N. MDCCLII.

§. I.

## §. I.

Tot, tantæ, tamque graves cognitu ſæpe ſanatuque difficillimæ, quibus a primo ſtatim ortu ad ultimum usque vitæ noſtræ, miſeros nos mortales ſubjectos ubique videmus, halitum, ſunt ægritudines, ut eas & noſſe tantum, ne dicam omnium earum avertere impetum, ſuæque corpus reſtituere integritati, vix ac ne vix quidem unius ſufficere videatur hominis ætas. Sive enim ætatem & vel in utero matris latitantes adhuc, vel recens admodum natos puerulos; vel adultos; vel ad ſenium jam conſideres perductos: ſive ſexum nobiliorem peræque contempleris ac ſequiorem: ſive omnes, quibus undiquaque cinctum ſe videt mortalium genus, enumeres morbos, diverſasque eorum ſpecies: innumera ubique, quæ fragilem noſtri corporis machinam & ſimul & diverſimode invadunt, invenies pericula. At vero, quot bone DEUS! adhuc ſunt incognita, quotque morborum latitant cauſæ, quæ, niſi cultro anatomico defunctorum ſubjiciuntur cadavera, indicari plane nequeunt ſemperque & oculatiſſimos fugiunt Medicos *a*).

## §. II.

Liceat jam unico hoc in præſenti probare exemplo, omni memoria digniſſimo.

Vir

*a*) Supervacaneum jam foret, pluribus in præſenti inſignem illam maximeque eximiam, quam in Medicina Practica Anatome præſtat, demonſtrare utilitatem. Præclare jam hac opera perfuncti ſunt, qui legi merentur: *Jo.* SIGLICIUS, Diſp. *De Anatomica ſcientia medicinæ oculo. Lipſiæ 1619.* *Aug. Henr.* FASCHIUS, Diſp. *de Anatome, quod ſit columna Praxeos. Jenæ 1674.* *Polyc. Gottl.* SCHACHER, Progr. *de Anatomia, præſtantiſſimo totius medicinæ fundamento. Lipſ. 1701.* aliique plures.

Vir erat quinquaginta & quod excurrit annorum, levioris conditionis, temperationis, quam dicunt, cholerico-melancholicæ, vitam plerumque agens ſedentariam, victu adſuetus duro, craſſo, ſalito fumoſoque, quem in deliciis habere ſolet Saxoniæ inferioris vulgus, potum ordinarium negligens, ſpirituoſi autem nimis ſtrenuus amator, certo certius ſibi habens perſuaſum, quod ante ſex circiter annos ab anicula quadam fuerit incantatus. Is poſtquam a compluribus Medicis petierat conſilia, circumforaneorum etiam & aliorum ejusmodi farinæ hominum, qui fingunt ſe Medicos perque mortes experimenta facere ſolent, uſus fuerat medicaminibus, & quicquid illi porrexerant, avide devoraverat, tandem & me adit, conſiliaque & auxilia contra morbum ſuum poſtulat.

§. III.

Repræſentabat autem ſceleton ille magis & mortis imaginem, quam hominem. Vix cutis oſſibus hærebat, omneque corpus a vertice ad calcem macie erat abſumptum. In hypochondrio ſiniſtro tumor conſpiciebatur oblongus, renitens, mollis, modo ſupra, modo infra leniori niſu declinabilis, a diaphragmate ad pubem usque extenſus. Hunc pro ovis venditabat, quæ anicula illa faſcinatione ſua effeciſſet. Appetitus erat nullus, alvus pertinaciſſime obſtructa, ita ut poſt octo demum ſæpe dies, ſcybala perpauca indurata educerentur. Adeſt nauſea, ad vomendum conatus, quinimo interdum etiam vomitus ipſe. Pulſus durus, inordinatus; ſomnus inquietus.

§. IV.

Probe igitur penſitata hominis morboſi facie, cum injuria quondam externa læſionem accepiſſe negat atque pernegat, fomitem

mitem mali viſcerum obſtructioni atoniæque ventriculi, forſan etiam vermibus, infenſiſſimis illis primarum viarum hoſtibus, debere auguror hincque mediis morbum aperientibus, reſolventibus, leniter evacuantibus, diluentibus, congruis itemque clyſteribus, poſtmodum roborantibus, ſed inprimis tamen convenienti oppugnare laboro diæta. At enim vero, cum in malo inveterato tardius ægrotantis deſiderio reſponderet ſucceſſus, ille vero repentinum & cum indignatione poſceret auxilium, cujus ſpem facere illi non poteram, methodo meæ & mihi, ut ſolet vulgus, qui varius & mutabilis eſt, iterum valedicit, & octo tandem circiter ſeptimanas poſt, morbo totus conſumtus, diem ſuum obit.

§. V.

Nacta, altera poſt obitum die, facultate, cultro cadaver ſubiiciendi anatomico, duobus aliis Medicis clariſſimis, chirurgoque in arte ſua exercitatiſſimo in conſortium vocatis, cadaver aperiebatur. Sed o quam ſtupendum ſpectaculum! quam mirabilis adſpectus! Inciſis enim & diſſectis integumentis communibus, muſculisque abdominalibus, peritonæi, omenti & meſenterii ne veſtigium quidem. Inteſtinorum canalis confuſum chaos. In hypochondrio autem ſiniſtro, a diaphragmate ad pubem fere usque, en ſaccum oblongum membranaceum, expanſum, flatibusque impletum, totam occupantem regionem! Ecqualis ſaccus? ventriculus erat ſitu ſuo naturali motus, (vid. Fig. 1. Tab. II.) corruptus, inverſus, infra diſcedens umbilicum, verumque repræſentans ſaccum. Inquirendo ergo pergimus, inteſtina contemplamur, & ecce novum ſpectaculum! in duodeno enim ſiſtit ſe nobis calloſa quædam ruginoſaque anguſtia, pollicis excedens latitudinem, ita coarctata, ut ne te-

nuiſſima quidem iniicere per eam valeamus fluida. Hepar ſatis eſt magnum, ſed ita putridum atque corruptum, ut digitis etiam conterere illud facili poſſemus negotio; veſicæ autem felleæ nullum plane veſtigium & lienis magna induratio. Qua diuturni igitur morbi mortisque tandem ipſius cauſa cognita, reliquæ cavitates non ſunt inciſæ. En igitur exemplum plane rariſſimum, cujus fide, niſi teſtis fuerim oculatus, ipſe dubitarem! En! *tabem ſiccam lethalem, ex mirabili duodeni anguſtia & præternaturali plane ventriculi ſitu.*

§. VI.

Operæ igitur pretium fore exiſtimo, cum *tabes* quoad veram ſuam non ſolum indolem atque naturam curatiori digna ſit inquiſitione, verum etiam tanquam genus a compluribus aliis ſimilibus fere ægritudinibus probe ſit diſtinguenda *b*), neque minus variæ ejusdem dentur cauſæ; data hac commoda occaſione, paulo curatius in naturam lethiferi hujus maximeque intricati morbi, principesque ejus, noſtro, quod objectum nobis eſt, præeunte potiſſimum exemplo, inquirere cauſas.

§. VII.

Et profecto, maxima me ſubit admiratio, ſi practicos ſcriptores, quique morborum dederunt notitiam, hac in re conſulo. Plerique enim genus cum ſpecie confundunt, alii ſicco plane illud prætereunt pede. Solus ex antiquis eſt CELSUS, Medicorum ornatiſſimus, ex recentioribus autem, ut ego quidem opinor,

*b*) Legi hic inprimis merentur, quæ beatus *Chriſtianus Godfrid* STENZEL, Præceptor æternum deveneraridus, Diſp. de *tabis & phthiſeos convenientia & differentia, Viteberg.* 1744. habita, docte hac de re diſputavit.

nor, *Augustus Quirinus* RIVINUS, Medicus hujus seculi celeberrimus, æternumque Lipsiæ suæ & meæ ornamentum, qui ex instituto & præclare hoc argumentum pertractarunt.

§. VIII.

ILLE enim elegantissimis suis de *Medicina* Commentariis, de *tabe ejusque speciebus*, singulari agit capite *c*), & quamvis in propriam ejus, quatenus morborum quorundam genus est, strictim non inquirit naturam, multo tamen studio, multoque labore species tabis considerandas sumit, quæ autem nostræ in præsenti non sunt arenæ. Hic vero RIVINUS, in *notitia morborum compendiosa*, libello brevissimo quidem, sed eruditissimo etiam *d*), nervose admodum & eleganter hunc in morbum commentatur, dum, *Nutritionis*, scribit, *errorum duo sunt genera*, unum, *si excedit*, alterum, *si deficiat.* — — — *Deficit autem nutritio non modo in hac vel illa parte*, *quod* ariduram *vel* atrophiam *dicimus manus*, *pedis*, &c. *sed & in universo corpore*, *quando tabes*, *cujus species est* Marasmus senilis, *totum consumit hominem* &c. Et hinc rectissime etiam *Franciscus* SYLVIUS *e*) maciem inter distinguere mihi videtur atque tabem, dum per *eam*, ubi sola absumitur neque æque restituitur pinguedo, per *hanc* autem, si simul minuitur caro, intelligere mavult.

§. IX.

Quare & mihi quidem *tabes* ille corporis nostri præternaturalis est status, ubi ex succi nutricii, debitæque ejus distribu-



c) *Libro III. cap. XXII.*

d) Juxta editionem a *Nepote ejus* Excellentiss. LANGGUTHIO *Viteberg.* 1744. 12. evulgatam §. 44. p. 55.

e) *Prax. Medic. Lib. I. cap. XXXVII.* §. 6.

tionis defectu, omnis ſucceſſive abſumitur atque exſiccatur caro, ut ſceleton potius, quam corpus carne veſtitum æger dici debeat. Et inde quidem patere opinor, omnem illam triplici potiſſimum cauſæ, vel ſcilicet plenario ſucci nutritii defectui, vel malæ etiam illius qualitati, vel impeditæ ſucci illius ſecretioni, unioni, aut jam uniti avulſioni, ſuos debere natales.

§. X.

Principem autem harum omnium atque primariam ſucci nutritii eſſe defectum, nemo negabit. Hic vero cum varias iterum habere poſſit cauſas, ſumma illæ utique perquirendæ ſunt ſedulitate. Vel enim ſufficientis alimenti inopia; vel ventriculi atonia; vel alimentorum per varias excretiones præternaturales, lienteriam, v. c. cœliacam, vomitum, &c. rejectione; vel quando a vermibus conſumitur; vel copioſa etiam, ex RUYSCHII obſervatione, ſalivæ profuſione; vel ſi excretionibus nimiis exhauritur; vel ſi œſophagus etiam, ventriculus & inteſtinorum canalis vitio quodam laboret, ſuccum illum, quo nutrimur, vitalem deficere poſſe, practici ſcriptores uno confitentur ore.

§. XI.

Hæcque ultima, ipſius nempe ventriculi & inteſtinorum canalis memorabile maxime vitium, cum & prima ſummeque manifeſta in noſtro quoque exemplo ſit cauſa, potiora ejus utique adduxiſſe juvabit momenta. Etenim non quidem nobis deſunt & aliæ hujus rei ſingulares obſervationes; uti tabem ex œſophagi tumore generatam RUYSCHIUS *f*), a vitio meſenterii repetendam

*f*) *Adverſ. Anatom. Dec. I. Obſ. 10. p. 24.*

tendam BONTIUS *g*), ex ventriculi depravata conformatione SCHENCKIUS *h*), ex œsophagi constrictione STORCHIUS *i*), ex callosa pylori angustia LANGGUTIUS k), Præceptor meus atque fautor æternum devenerandus, ex ventriculo, situ suo moto SCHURIGIUS *l*), ex foramine ventriculi præternaturali & calloso Experientissimus DELIUS, fautor meus singulariter colendus *m*), ex angustia ventriculi & pyloro scirrhoso HELWIGIUS *n*), ex aliisque notabilibus causis observarunt literisque consignarunt alii: hæ tamen omnes, an cum nostra hac, de tam mirando ventriculi situ & duodeni angustia maxime memorabili, indeque orta comparandæ sint tabe lethali, anceps sane hæreo.

## §. XII.

Vides enim hic totum partium abdominis primarumque viarum systema obscurum, confusum, corruptum & functionibus

gg 3 suis

*g*) *De Medicina Indorum Libr. III. cap. 1. p.* 80. quæ cum notatu utique dignissima sint, repetiisse hic iuvabit. Ita vero scribit: *Sæpe hic* (in India) *sine manifesta causa ægri contabescunt ac emaciantur, febri nulla, vel saltem lenissima malo huic se jungente sine magno doloris sensu, gravitas tantum quædam sentitur circa umbilicum ac hypochondria. Hoc malum præter obstructionem viscerum, sæpe habet causam latentem, in venis meseraicis, vel in ipsa mesenterii substantia, quæ abscessum sæpissime patitur, quod in dissectis cadaveribus non semel observavi, immo reperi aliquando totum mesenterium absumtum, ac tamen intestina cohærebant, aut inter se potius confundebantur, nullo ordine, tenuibus pelliculis sive membranulis adnatis. Ita miseri mortales ad extremam maciem perducti, ut etiam sceleta magis, quam corpora carne vestita, dici possint, absumpto calore nativo, vita excedunt.*

*h*) *Observat. Med. Lib. III. fol. 367.*

*i*) Vid. *Illustr.* BüCHNERI *Miscell. phys. med. Vol. I. p. 461.*

*k*) Progr. de *tabe sicca lethali ex callosa pylori angustia, Viteb.* 1750.

*l*) *Chylolog. Cap. VI. §. 14.*

*m*) *Amœnit. Med. Dec. V.*

*n*) *Act. Acad. Nat. Cur. Vol. IV. Obs. 107.*

ſuis peragendis impar plane, minusque idoneum. Vides primum illud alimentorum, quibus nutrimur, receptaculum communeque, quod omnibus partibus ſuccum ſuppeditat nutritium, corporis humani penum, ventriculum puto, qui naturaliter immediate ſub diaphragmate in ſiniſtro potiſſimum hypochondrio, hepar inter & lienem oblique ſitus conſpicitur, & cum œſophago inteſtinorumque canali arctiſſime cohæret, ſitu ſuo, uti jam indicavi, motum, ruptisque ligamentis protruſum in longitudinem infra umbilicum *o*), inteſtina autem confuſum repræſentantia chaos, eaque rebus ſic ſe habentibus vix ac ne vix quidem valere, ut alimenta in ore comminuta, pro more ſuo, magis adhuc dividere, firmius cohærentia a ſe ſejungere, diluere, ſolvere, fluidiora reddere & virtutis bilis chylificationis negotium abſolvere poſſint. Vides in duodeno, altero quaſi ventriculo, in quod per pylorum devolui alias ſolent alimenta, mirabilem illam ruginoſam calloſamque anguſtiam, ut & tenuiſſima quidem fluida per eam ad reliqua inteſtina vix penetrare queant. Vides omentum, utiliſſimum illud, quo contra frigus externum foven-

*o*) Dari autem & varios adhuc alios ventriculi errores, e. g. quando vel errore naturæ, vel poſt diaphragmatis vulnera, in thorace inventus fuerit; quando orificium ſuperius, quod in ſiniſtro ordinarie reperitur latere, in dextro poſitum fuerit, pylorusque in latus reclinarit ſiniſtrum; quando admodum parvus, vel nimis magnus, latus, diſtentus, vel duplex etiam, vel nullus plane adfuerit ventriculus; innumeræ fere clariſſimorum virorum teſtantur obſervationes, quas pene omnes multo collegit ſtudio SCHURIGIUS *Chylolog. Cap. VI.* Nullibi tamen de tam vitioſo ventriculi ſitu, uti noſter eſt, aliquid me legisſe recordor. Meminit quidem *Nicol.* de BLEGNY, *Zodiac. Gall. Ann. I. M. Febr. obſ. 2. p. 44.* prolapſus ejusdem ventriculi ab uſu ptarmici cujusdam pulveris ex Helleboro parati, generati; ſed cum tantummodo ſint conjecturæ, corpusque non fuerit diſſectum, de fide obſervationis utique dubitamus.

foventur, ipsoque suo motu juvantur intestina, reticulum, una cum peritonæo ruptum absumptumque. Vides & mesenterium, cujus in colligandis intestinis suoque in situ atque ordine retinendis, tam insignis est usus, consumptum *p*). Vides præter hepar corruptum lienemque induratum, plenarium etiam vesicæ felleæ, cujus eximius tamen neque minus in negotio nutritionis usus est, defectum. Vides secretiones & excretiones omnes turbatas. Vides principes ac primarias, unde contabuerit noster, causas.

## §. XIII.

Sed ad alias etiam tabis, nostro potissimum præeunte exemplo, pergendum est causas, magis adhuc eam sustentantes foventesque. Harumque altera quidem ex victu illo duro, crasso, fumoso salitoque, quo usus est noster, dum viveret; altera ex nimia potus ordinarii abstinentia; altera ex spirituosorum liquorum abusu; altera ex nimia quiete & exercitiorum corporis defectu erit deducenda. Quod ut eo clarius elucescat, despiciamus omnes singulatim.

## §. XIV.

Deduximus reliquos tabis in nostro natales primum quidem ex victu illo, quem in deliciis habere solitus est, duro. Cum enim cibi potusque unicum illud sint medium, ex quibus chylus, liquor ille, qui sanguini totique corpori humano novam præbet pro nutritione materiem, pluresque tam in solidis, quam fluidis, excitat mutationes, constituitur; quid valeant illi in constituenda

*p*) Conf. quæ supra ex BONTII Tract. de *Medicina Indorum*, quem *Prosp.* ALPINI de *Medic. Aegyptior. Commentar.* adjectum legimus, *Libr. III. Cap. 2.* allegavimus, notatu omnino dignissima.

da corporis valetudine, facile eſt viſu. Antiquum enim Phyſiologorum eſt axioma, qualem alimentorum naturam, talem etiam eſſe chylum; qualem chylum, talem ſanguinem; qualem ſanguinem, talem ſuccum nutritium; qualem ſuccum nutritium, talem ſolidorum & fluidorum conſtitutionem; qualem denique ſolidorum & fluidorum conſtitutionem, talem ſanitatem. Ecquæ igitur ex victu craſſo, duro Brunſuicenſiumque fumoſo ac ſalito, in ægris inprimis corporibus orietur ſanitas? Quamvis enim inter omnes quidem conſtat, egoque lubentiſſime etiam conceſſerim, in nullo ciborum genere abſolutam deprehendi nocendi vim, ſed reſpectivam duntaxat, pro cujusvis nimirum corporis, dyscraſiæ, partium etiam & primarum viarum conſtitutione; alia tamen aliis etiam magis eſſe nociva, ſanus nemo dubitabit *q*).

§. XV.

His autem merito quidem ſuo annumerare vix dubito cibos craſſos, hoc eſt, illos, quorum major eſt cohæſio, quam ut a calore menſtruoque ventriculi in chylum, decenti tempore, reſolvi queant, qui quippe, quam noxii ſint ſanitati, vix dici poteſt. Cum enim pondere illi ſuo in ventriculo non ſolum magis cohæreant, hincque quasdam tantum ventriculi ad ſenſum usque premant fibras; verum etiam ciborum deficientium inſtar, hoc eſt, qui concoqui nequeunt; noceant: fieri inde videmus, ut partes amiſſæ non ſolum non reſtituantur, ſed etiam, quia

*q*) Commendanda hoc loco eſt Experientiſſ. *D. D. Erneſti Ludovici* BRUCKMANNI, veſtigiis paternis cum laude inſiſtentis, Affinis mei dilectiſſimi, Diſputatio inauguralis pro Gradu Doctoris *Helmſtadii* ſub præſidio Excell. FABRICII, Fautoris mei ſingulariter colendi, anno 1751. habita, exhibens; *noxios ex cibis oriundos effectus.*

quia pars seri aquosa per transpirationem aliasque excretiones semper abire solet, salina vero relinquitur, hæcque a non assumtis non temperatur, fluida corporis magis reddantur acria fæcesque indurentur.

§. XVI.

Sed hæ nondum omnes sunt noxæ, quæ ex cibis crassis oriri solent. Plura sunt, quibus scatent, detrimenta. Nocent enim etiam porro tanquam corpora cruda, & quidem tam in primis viis, quam in ipsa etiam massa sanguinea, non uno modo. Pro diversa enim partium miscela, nocivam suam exercent virtutem; jam adstringendo, si particulæ terreæ sunt, tartareæ, austeræ; jam rodendo, si sunt acres; jam in vasis lacteis subsistendo, hincque obstructionem inducendo, si nimis magnæ partes sunt atque viscidæ, ut in præsenti taceam, quod flatulentorum quoque instar (cum omnia corpora, quo magis densa sunt, eo majorem etiam aëris contineant quantitatem), nocere possint.

§. XVII.

Ecquid autem cibi duri, fumo saleque indurati atque exsiccati? Parum sane abest, quin affirmem crassorum indoli maxime esse æquales eodemque agere modo, præcipue autem in eo nocivas exercere vires, quod corporis nostri humores nimis absorbeant. Exsiccati enim cum sint, multum adhæsione in se recipere possunt menstrui, & cum fibræ humido privatæ, rigidæ fiant ac debiles, concoctio etiam in ventriculo valde corrupta fieri debet riteque peragi haud potest *r*).



*r*) Plura dabit *Mich.* ALBERTI Disputatione *de victu fumoso*, Respondente *T. E.* GROHMANN, *Halæ* 1743. habita, & *Joh. Frider.* SCHOEPFFER, Medicus quondam Brunsuicensis clarissimus, sed præmaturo fato

## §. XVIII.

Equidem is ego plane non ſum, qui ab omni victus fumoſi ſalitique uſu homines prohiberet, inprimis ubi conſuetudo, altera natura, uti apud noſtrates, multum etiam facit, ſed potius ſanis, quibus, ex CELSI effato *s*), omnia ſana ſunt, lubentiſſime concedo; an vero tam ægrotis etiam proſit, & an non ad varios diſponere queat morbos abuſus, affirmare ego quidem haud maluerim.

## §. XIX.

Tertio inter cauſas tabis potiores notari meretur loco, nimis pertinax a potu ordinario abſtinentia, inprimis nimiæ ſimul ſi indulgeamus quieti, vitamque amemus ſedentariam, malum hoc fovens magis augensque. Cum enim tres ferme partes liquidas ad unam ſolidi in ſanguine humano referendas eſſe, exquiſitioribus ratiociniis dudum a Phyſicis ſit ſtabilitum; facili negotio inde poteſt colligi, quod ad ſolidi hanc fluidique proportionem, major etiam potus, quam ciborum copia, ſemper aſſumi debeat. Ecquid ergo ſi contrarium accidit? Nonne ſpiſſus ac tenax ſanguini induceretur lentor, humores tardius circumirent in orbem, ſecretiones impedientur, calor vero ſuo privabitur temperamento, ſpirituumque impedietur ſecretio, alvus contrahetur, tardius procedet tranſpiratio, abdominisque viſcera humorum tenacitate obſtructionibus ſubjicientur, & innumera alia, larga meſſe in ſanitatis detrimentum prodibunt inde pericula? Nonne

fato humanis ereptus, Diſp. inaug. de *Carne ſalita & fumo indurata*, ſub præſidio Excell. SEGNERI *Gœttingæ* 1736. habita, in qua autem multa inveniet Lector παράδοξα.

*s*) *Lib. I. Cap. I.* Sanus homo, qui & bene valet, & ſuæ ſpontis eſt, nullis obligare ſe legibus debet, ac neque medico, neque jatroalipta egere.

Nonne & hic noſter ægrotus ipſi illi ſuo morbo lethifero magis commodam ſubminiſtravit occaſionem ſpiſſosque jam humores adhuc reddidit ſpiſſiores?

§. XX.

Sed quo utilius magisque neceſſarium eſt, uti ex dictis patet, ut ſatis bibamus, eo perniciofius etiam eſt, ſi uti noſter conſuevit, ſpirituum ardentium paululum liberius indulgeamus potationi, qua quippe omne ventriculi conſumitur acidum, appetentia ſenſim imminuitur, abolitur, digeſtio turbatur, ructus oriuntur nidoroſi, amaricantes, vomitus bilioſi bilioſæque & putridæ diarrhœæ, humores alcaleſcunt, ſucci coagulantur, morbisque maxime chronicis, qui difficillimæ ſemper ſunt curationis, ſolidorum deſtructione nutrimenti defectu, obſtructionibus implicamur *t*). Uti enim maſſæ ſanguineæ calorem motumque, ita etiam ſalium actionem ſpirituoſus potus ſemper auget, hinc ſeri fuſionem atque excretionem impedit, ſerum coagulat, vaſa fortius pellendo extendit, turgidumque reddendo ſanguinem eadem debilitat & ad rupturam diſponit *u*).

§. XXI.

Et quid ultima, quam inter tabis cauſas numeravimus, nimia ſcilicet ab exercitiis corporis abſtinentia, nimiusque quietis amor?



*t*) Cujus rei ſatis evidentem experientiam præſtantiſſimorum virorum auctoritatibus ſtabilivit *Frid.* HOFFMANNUS *Med. rat. Syſtemat. Tom. II. p.* 384. Et valde damnoſum illum morem, quod ſpirituoſis abutantur homines potibus, eorumque abuſu inutiles ſe reddant reipublicæ, publica coërcendum eſſe lege optimo jure & ſapientiſſime putat *Anthropolog. Forenſ. Cap. II. §. 13.* Magnificus Vir, *Joh. Erneſt.* HEBENSTREIT, in Academia Lipſienſi Medicus hodie Primarius.

*u*) Vid. *Meyer* ABRAHAMOWIZ diſp. de *Spirituoſorum liquorum noxa atque utilitate. Halæ* 1743. hab. & *Joh. Wilhelm* ALBRECHT diſp. de *Spiritu vini ejusque uſu & abuſu.* Reſp. C. H. *Papen. Gœtting.* 1735.

amor? Hac profecto totum genus nervoſum torporem quendam induit, ſanguinis generatur plethora, cruor vitalis ad minimos & extremos non rite progreditur ramulos, obſtructiones naſcuntur, humorque ab infarciente materia interclufus, ab ejusdem compedibus expedire ſeſe nequit. Hac calor nativus ſepelitur, in ventriculo gignuntur cruditates, lentorum humorum aggeritur apparatus, graviſſimorumque morborum fœcundo proventu ſparguntur ſemina *z*).

## §. XXII.

Quæ cum ita ſint, facili negotio quilibet poterit intelligere, quibus potiſſimum cauſis ſuos tabes noſtri debuerit natales, quibusque ſuffulta fuerit, atque magis magisque adaucta. Unde vero ægrotus vitam duxerit, cum chylificatio in ventriculo perverſo arctatoque duodeno perfici haud potuerit, ego quidem affirmare haud auſim. Interim habent hic forſan, in quo ſeſe exerceant ii, qui per vaſa ventriculi reſorbentia, nutritionem, ſi diis placet, actuatam fuiſſe aſſerunt.

*z*) Plura hac de re vide ſis, in Diſp. mea, quam pro Gradu Doctoris publici juris feci *Helmſtad.* 1748. de *arte gymnaſtica nova*, ubi de ea ex inſtituto expoſui.



MER-

# MERCURII
# SOPHICI DELARVATI
ex
# PHILALETHÆ
## INTROITU APERTO
ad occlusum Regis Palatium
in conspectum Chymiatrorum prodientis
sive
# COMMENTARII
decem prima obscurissima illius Auctoris
*Capita*
*de Mercurii sophici præparatione*
perspicue per ignem dilucidantis
## Liber III.
AUCTORE
## J. H. C. H. S. M. D.

## Opuſculi Protophyſici
# LIBER TERTIUS.
## Chaos & Aër Sophorum.
# PRÆFATIO.

Non eſt fere res in mundo alicujus momenti, cui non opus ſuum comparârint Philoſophi; inprimis vero primordiale illud Mundi Chaos Sapientiæ filiis conſiderandum propoſuerunt. Ita *Teſtamenti Theorici Capite 77.* LULLIUS: *Sicut omnes res facta fuerunt ex una ſola re per potentiam ſupremam ſemnificam, & exiuerunt a noſtra confuſa globoſa voluntate Divina miraculoſa: ſic lapis noſter natus eſt, & exivit ab una compoſita maſſa confuſa, in qua omnia ſua quatuor elementa ſunt contenta per naturam creata, de qua per voluntatem Dei & operationem natura noſter Lapis poſtea naſcitur.* Hoc paucis ſaltem verbis complexus eſt HERMES in Tabula Smaragdina: *Ita Mundus creatus eſt:* nempe ſicut in opere Sophico ceu ſpeculo quodam non obſcure adumbratur. Mundi geneſin narravit Protocosmographus *Moyſes:* Ejus fiendi modum explicant Philoſophi, præſertim Hermetici, qui ſupremi Conditoris proceſſum, in mundi majoris creatione obſervatum ſub Sophiæ labore clariſſime quoque exprimi & obſervari conteſtantur. Prima mundi materia erat Aqua Hylealis, cui incubabat *Ruach Elohim,* ſive Dei Spiritus, in qua, ceu informi quadam maſſa chaotica, elementa omnia invicem confuſa, gravia levibus, aquæ terræ, lux tenebris erant permixta, donec ſupremus Creator dixit, & facta ſunt, mandavit & creata ſunt; id eſt, donec juſſu Omnipotentis principium

ſeu

ſeu elementum quodlibet, pro gravitatis & levitatis ut & motus ratione, deſtinatum ſibi locum occupavit, ſubtiliſſima quidem materia in lucem contracta, minus mobili in aërem & aquam condenſata, graviſſima & craſſiſſima in terram compacta. De quorum quidem Principiorum natura, ſeparatione & mixtura ut & figuris ac motu cum ſubtiliſſima ingenia jam ex profeſſo eleganter & fuſe tractarint, nolo hic actum agere. HERMES tamen meus Carteſianus, appendicis loco forte inferius adnectendus, aliqua a nemine animadverſa elucidabit.

Hoc ſaltem loco paucis fas eſt inſinuare, etiam in operis Hermetici principio dari informe chaos, & quidem ſolutione facta ſub ſpecie aquæ, ſive ſubſtantiæ liquoroſæ, ſuper quam Spiritus, totius operis architectus & primum mobile, aſcendit & fluctuat. Notandum, aquam hanc paulatim inſpiſſari, penitus obſcurari & ſic ingruere veluti tenebras ſuper abyſſum, miſceri omnia elementa inſtar picis, & ſic oriri Chaos Philoſophorum, de quo hoc libro ad PHILALETHÆ manuductionem agemus, tandem fieri ſeparationem materiarum, aquæ a terra, & apparere aridum; obſcuri & fœculenti a claro, & emergere lucem, & ultimato terram imprægnari ſemine auri infinitis fructibus multiplicabili. Quæ tamen omnia ex uno univerſali principio ſucceſſive eruuntur, ita ut præcipuorum Philoſophorum plures ſcientiæ Hermeticæ doctrinam ſpeculativam a mundi majoris creatione ordiantur, artisque filiis ſerio inculcent conſiderandam atque opere ipſo analogice exprimendam. Unde RIPLÆUS a mundi quoque geneſi tractatum ſuum *duodecim Portarum* inchoavit & addit: *Hoc principium unum eſſe poteſt ad declarationem noſtri benedicti lapidis. Nam quemadmodum ex una maſſa creata ſunt omnia, ſic in noſtra ſecreta practica hoc ipſum debet eſſe, nam omnia noſtra ſecreta ex una oriuntur imagine.* Totum opus philoſophicum, inquit *Phyſica Cabaliſtica*, nil aliud eſt, quam novum creare cœlum & novam terram, detrahere illud ad infima,

& hanc

& hanc elevare ad ſuprema, & imitari conditorem in mundi creatione ex aqua. Non negari quidem poteſt, hic aliquam eſſe analogiam, & inter macrocoſmi & mundi ſophici opus parallelismum; ſed diffitendum quoque non eſt, etiam hic plurimum datum eſſe a Philoſophis ſubtili imaginationi, quatenus terminis tantum metaphoricis Lucis & Tenebrarum materiæ putrefactionem & depurationem, terminis cœli & terræ materiam volatilem & fixam, termino Chaos Philoſophici primam utriusque ſubjecti mixturam ænigmatice expreſſerunt.

Quod dum non tantum Sophiſticis, ſed & Viris alias eruditis ob ignorantiam principiorum in ſenſu Adeptorum proprio intelligere eſſet impoſſibile, etiam non minus illi Chymiotechniæ beneficio in polymorpho Vulcani theatro Chaos aliquod repræſentare ſibi præſumpſerunt, idque potiſſimum in regulo Antimonii, in quo, ut TOLLIUS in *Manuductione ad cælum chymicum* ſcribit, omnia primum confuſa ſola fuſione ita ſegregantur, ac in ſuas ſingula partes diſcedunt, ut Ovidianarum Metamorphoſeon initium hujus eſſe credas deſcriptionem. Quomodo in majoris mundi creatione tenebræ ſuper terram fuerint, & poſt has lux facta ſit, per regulum Antimonii ſtellatum in *Fortuitis*, Cap. 31. fuſe oſtendere conatur. Quid enim non in eo quærit? & terram nigram, & aquam albicantem, & aërem flaveſcentem, & ætherem omnino rubentem, imo omnia in omnibus, ita penitiſſime perſuaſus fuit hic Sapientiæ inſanientis antiſtes ſophorum genuinum Chaos eſſe Regulum Antimonii ſtellatum quod tamen artificem ad interitum redigere, hoc eſt ad finis fruſtrationem & bonorum dilapidationem, pridem monuit *Michael* MAIERUS, in ſecretiori Philoſophia verſatiſſimus. Ne igitur in eandem errorum abyſſum præcipitentur & ſimili ignorantiæ nocte involvantur, quicunque Philalethinum ſcrutando Chaos mundi ſophici elementa quærunt in Antimonio, fortaſſis, quod & majoris mundi

chara-

charactere est signatum, Caput PHILALETHÆ quintum, quod *Chaos Philosophorum* tractat, obscurissima involutum caligine in lucem Sophicæ veritatis afferam, & notis perpetuis illustrabo.

# CAPUT I.

## *Chaos Philosophorum.*

Posteaquam PHILALETHA prioribus capitibus de Mercurii Sophici principiis constituentibus, eorum numero & natura egerat, nunc de eorum mixtura, & in hac comparentibus phænomenis discursum non minus invidia, quam ingenio plenum exorditur. Ubi præliminariter notandum, principia Mercurii Sophici proxima mixta, confusa & nondum in homogeneam unitatem redacta, a Philosophis appellari *Chaos naturæ*, eo quod illi insit Spiritus universalis, sperma mundi, vis & vigor universæ naturæ. Quantumvis etiam ESPAGNETO *Canon. 39.* aliisque, Aurum incrudatum & in Mercurio Sophico in primam materiam solutum dicatur Chaos & totus mundus, cui omnia operi necessaria insunt, quia illa unica materia Lapidi perficiendo sufficit. PHILALETHÆ autem intentio ex ipso textu elucidato patescet.

*Filius Philosophorum audiat Sophos unanimiter concludentes: opus hoc esse Creationi universi æstimandum. In initio igitur creavit Deus cœlum & terram, & erat terra inanis & vacua, & ferebatur Dei Spiritus super aquarum faciem; & dixit Deus esto lux, & lux erat. Verba hæc artis filio sat erunt.*

Esto lux, & lux erat. An verba hæc artis filio satis erunt? an

hæc artiſtam ex inſcitiæ eruent tenebris? quot non ad formulas ſuas quotidie ingeminant, eſto lux, & lux nulla illis etiam ad ignem oritur? Non ignorant Deum creaſſe cœlum & terram, ſed quomodo filius artis creatoris imitator eſſe debeat, hoc neſciunt, nil autem in opere ſuo adimpleri magis vident, quam terram fuiſſe inanem & vacuam. Nam hoc re ipſa experiuntur, dum nullos ex terra, quam tot indefeſſis ſubigunt laboribus, progerminare fructus dolentes & querulantes conſpiciunt. Certe apud hos verum Chaos eſt, confuſa & perturbata ſunt omnia, ut ſaltem in hoc opus illorum primo mundi ſtatui perfecte aſſimiletur. Quam clare igitur licet, ſingula explicabo.

In operis Sophici principio duo conſpiciuntur realiter & numero ſaltem diſtincta, Aqua & Terra, colore quoque, loco ac ſitu ceu centris diſparata. Terra locum infimum occupat, cui aqua ſupernatat, illa vacua ac inanis eſt, quia nondum a ſpiritu igneo fœcundata, nondum impræგnata ſemine. Super hanc ſubtiliſſimus Spiritus continua undulatione movetur, ceu unicum agens & movens, qui perpetua aſcenſione ac deſcenſione Cœlum Philoſophorum conſtituit. Maximum igitur in eo artificium conſiſtit, ut filius artis, non dominus & Creator, ſed imitator naturæ primæ naturantis & auxiliator ſecundæ naturatæ, dividat aquas ab aquis, ut lux incluſa appareat, id eſt, ut Mercurii principia e tenebroſo Chaos, in quod per reſolutionem & putrefactionem naturaliter præcipitata ſunt, rurſum extricentur, & in puriſſimæ lucis ſeu luciđiſſimæ puritatis candorem afferantur, quod *Minera Philoſophicæ* Auctor monet. *Poſito*, inquit, *noſtro Philoſophico Chaos ſtudete filii ab ipſo extrahere lucem, quæ lux nihil aliud eſt, quam Sol noſter, qui albus & nitidus oritur in horizonte hæmiſphærii Philoſophici.* Hæc paucis dicta ſunt, ſed proh quantæ molis opus! Verbo *fiat* in momento lux primæva

con-

constituta fuit, sed quam longo ac tædioso labore ea in opere successive, & vix tandem erumpit!

Invide PHILALETHA: Esto lux, & lux erat. Quomodo tandem artis filio hæc sat erunt? sane vix sufficient, nisi re ipsa fuerit in sphæra lucis constitutus, sed tum neque his indiget. Pandam igitur hoc quoque mysterium. Primæva lux a Creatore omnipotenti ante solem condita in ipsum globum solarem (neque enim quia bona erat, rursum annihilata est) veluti in centrum concentrata est, & nil quidem est aliud, quam Spiritus igneus summe activus & vivificus, qui ipsi luci inhabitans immediata motuum, qui in natura fiunt, caussa est generalis, mundi quasi archeus, a quo & seminibus vigor, & singulis naturæ mixtis vita conceditur. Igneus hic lucis Spiritus non tantum corpora ingreditur elementaria, sed & animalibus & plantis se sociat, imo cum mineralibus se colligat & devincit. Terræ densitas ad eum transmittendum & recipiendum apta est, & aquæ quoque humiditas ad retinendum: in aëre autem basin stabilem non invenit, sed per eum veluti cribrum aliis sese insinuat elementatis corporibus. Spiritus hic igneus, ipse est Sophorum Mercurius, virgineus & purissimus, quamdiu in via est & a sole descendit; nubit autem in triplici naturæ regno subjectis, quibus influit, & amittit virginitatem istam & puritatem, quia corpora quævis elementa impura sunt & fœculenta, ideoque hunc Spiritum labe inquinant & simplicitate spoliant. Etsi vero in mixtorum quorumcunque naturalium productionibus, præsertim illis, quæ per se passiva nullum ex principio vitali intrinseco motum habent, concurrat, cumque iis uniat & concentret, unde & Philosophi suum Mercurium ubique & in omnibus mundi rebus inveniri asserunt, docuit tamen eos experientia, duo duntaxat dari mundi subjecta, in quibus magis activus, magisque fortis, imo magis simplex & purus reperitur, si a fœculentia materiarum terrestrium & a sul-

ii 2 phure,

phure, quod propter naturæ igneæ ſimilitudinem deperit, maliguante ſeu arſenicali, per ſagacem artificem liberetur. Sic enim rurſus fit lux, id eſt primævus ille lucis Spiritus, ſubſtantia luminoſa ſubtiliſſima & maxime activa, cui impreſſum ſigillum omnipotentis, & qui nonnullis cenſetur eſſe ille ipſe Spiritus Dei in creatione aquis incubans, nova quaſi creatione, ſeu potius ſeparatione e Chao prodit in medium. De Spiritu namque qui ferebatur ſuper aquas, teſtatur S. AUGUSTINUS, eam fuiſſe *Creaturam vitalem*, cui Omnipotens tribuit vim ſibi ſerviendi ad operandum in iis, quæ gignuntur; ideo & ejus expreſſe meminit PHILALETHA. Deſignatus autem eſt, ob activitatem, nomine *Spiritus*, & ob reſpectum Conditoris *Spiritus Dei.* Nempe igneus ille Spiritus movens & vivificans, immediate habitans in luce ſolari, ſed ſine corpore, mediate in duobus iſtis ſubjectis, ſed corpore indutus, unde non ibi, ſed hic quærendus, ſpiritualis enim natura, ab omni corporeo velo abſoluta, tangi nequit, nec capi, nec diſponi aut præparari ad artem. Jam, credo, noſcet artis filius, quomodo hæc verba: *Fiat Lux!* ſat eſſe poſſint. Quo quidem intuitu ego dico: *Jeova ſapientia fundavit terram, ſtatuit cælos intelligentia, ſcientia ejus abyſſi diviſæ ſunt, & ſuperiores nubes deſtillant rorem.* Proverb. III. 19. 20.

Verum notate amplius. Dicitur Spiritus Domini ferebatur ſuper faciem aquarum; non dicitur ferri ſuper terram, quia hanc ceu materiam ſubjectam non attingit aut permeat, niſi aqua mediante, in quam dum agit, oritur lux, id eſt, emicat centralis formæ ſpecies & decor expulſis tenebris, ſeu terræ impuritatibus, quæ aquis interpoſitæ denſiſſimam faciunt umbram ſeu abyſſi faciem.

Notate porro: Duplex eſt cauſa, agens & materialis. Agentem cauſam Stoici *cœlum* appellarunt, materialem autem *terram*, ut perhibet VARRO; idem Sophi intendunt, nam ſi ſubſtantia illa

illa activa in aqua deficiat, nullus fit terræ motus, nulla alteratio, nulla productio. Consideratione demum hoc est dignum, *Moyses* semper conjunxit duo, invicem quasi comparata & connexa, nempe cœlum & terram vacuam & inanem, abyssum & tenebras, Spiritum Dei & aquas, lucem & corpora, quæ omnia artis filio attendenda sunt. Sunt autem hic quatuor diversi conjunctionis modi. Copulanda 1. cœlum & terra, id est, materia spiritualis & fixa, tanquam causa efficiens patienti, & transmutans transmutabili. 2. Conjunguntur tenebræ abysso, ut substantiæ accidens, quod lux accedens fugat, prout cœlum implet terræ inanitatem. 3. Spiritus Dei aquæ jungitur, sicut spiritualis natura corpori, & artifex operi. 4. Lux & corpora junguntur uti forma subjecto. Terra igitur philosophica corpus est vacuum, inane, tenebrosum, immobile. Lux vegetat. excitat, illustrat, Spiritus agit, movet, cœlum informat, perficit. Et sic PHILALETHA erit, explicatus. Tu tantum recogita *opus naturæ esse opus intelligentiæ*, ut asserunt Peripatetici, sed nec minus opus artis Hermeticæ esse opus maximæ intelligentiæ, quod Bardos & Bœotas excludit.

*Etenim cœlum cum terra oportet conjungi super thorum amicitiæ, sic in honore per universam vitam regnabis.*

Conjungere cœlum cum terra in literali sensu absurdum est, in Sophico neutiquam paradoxum. Hinc tot de cœli & terræ conjugio ænigmata Philosophi proposuerunt. Oportet namque fieri terram cœlificatam & cœlum terrificatum, & hæc duo ceu conjuges non tantum jungi propinquissime, sed unum in alterius vicissim abire penitus naturam. *Hinc Guido de* MONTANOR *toties*, inquit, *reiterandum est cœlum super terram, donec terra fiat cœlestis & spiritualis, & cœlum fiat terrestre, & jungatur*

*cum terra, tunc completum eſt opus.* Hoc autem ſic intelligendum eſt. Cœlum eſt ille Philoſophorum primordialis Spiritus, ſic appellatus, quia eſt igneus vigor ſolaris, ſeu Solis ſpiritus a globo Solis mediante luce per univerſum diffuſus, & chalybi Sophorum (aliis magneti) incorporatus, ex quo magno artificio extrahitur. Terra eſt pars compoſiti Sophici altera, & terra quidem virginea, centrum terræ, limus Adamicus, verbo ſal fixum metallorum, quæ duo ceu Mercurii Sophici jam multoties deprædicata principia neceſſe eſt ſortiri indiviſibilem in radice nexum, & in ſubſtantiam abire homogeneam inſeparabiliter: ſine quo artificio Artiſta nec inter Adeptos honorem, nec in triplex naturæ regnum imperium obtinebit. Et hoc eſt, quod hic inſinuare voluit PHILALETHA, qui in *Fonte chymico-Philoſophico* idem fere repetit: *Cœlum cum terra conjunge ſuper ignem amicitiæ, & in firmamenti medio avem Hermetis videbis; naturas ne confundas, ſed dividas & reconjungas, & in honore per vitam totam regnabis.* O quam felix ille eſt naturæ myſta, qui mirandum hoc cœli terræque conjugium in thoro regali aureo poteſt conciliare!

*Terra eſt corpus grave, mineralium matrix, quod in ſe illa occulte ſervet, licet arbores & animalia in lucem proferat. Cœlum eſt, in quo luminaria magna cum aſtris circumvolvuntur, ſuasque vires trans aëra ad inferiora dimittit. At in principio confuſa ſimul omnia fecere Chaos. Ecce ſancte veritatem propalavi!*

Quis eſt, qui hæc ceu notiſſima, utpote partim a ſacro Cosmologo in revelata mundi geneſi dictata, partim ex ipſo viſu & quoti-

quotidiana experientia ſufficienter cognita ignoret? Quis ergo iſte Philoſophi genius, crepare multa, ubi nihil novi attulit, & jactitare elata voce Veritatis antiquiſſimæ jam a mundi ortu notæ propalationem? Terram eſſe corpus grave, eſſe mineralium matricem, proferre arbores & animalia etiam noverunt ii, qui ne a limine quidem Philoſophiam ſalutarunt. Neſciunt autem, quod terra Sophicæ artis corpus ſit quoque grave, multo ſubigenda labore, prius quam in aëra ſe attollat, priusquam reddatur fœcunda & viva. Neſciunt quæ illa ſit terra, de qua ZADITH: *Hæc terra eſt mater mirabilium & mater cœlorum, & mater duorum fumorum, & eſt totum, & ex ipſa trahitur totum, quo indigent in opere ſuo.*

Nemo, niſi cœcus, non videt in cœlo circumvolui cum aſtris magna luminaria; eorum vires in inferioribus quis non experitur? ſed non omnibus patet, quomodo virtus cœleſtis ad terram transferatur, in eaque conſtituat ſubjectum illud terreno-cœlicum, in quo ceu principio & veluti primævo Chao cuncta ſint ad artem neceſſaria; videtur huc collimare PHILALETHA. Audiamus, quæ de hisce amplius pandat myſteria.

*Chaos etenim noſtrum eſt quaſi mineralis terra, coagulationis ſuæ reſpectu, & tamen aër volatilis, intra quod eſt cœlum Philoſophorum in centro ſuo, quod centrum eſt revera aſtrale, irradians terram usque adſuperficiem ſuo jubare.*

Chaos Philoſophicum duas patitur phaſes: coagulationem, & ſic terra eſt, ſublimationem & deſtillationem, & ſic eſt aër volatilis, in cujus centro latitat Quinta eſſentia aſtralis, quæ terram phyſicam radicaliter & centraliter purificat, clarificat, & illuſtrat.

lustrat. Esse quasi non est esse. Aër itaque, seu Spiritus Sophorum volatilis, non est terra mineralis, quia ab omni terrestreitate est defæcatissimus, sed quasi talis, quia aptitudinem retinet coagulari ab ipso Sale centrali, quæ terra dicitur, quam non minus in centro, quam superficie irradiat. His nunc suppositis an putas te intelligere *cœlum Philalethinum*, in quo luminaria magna cum astris circumvoluuntur? si nondum scis, edisseram. Nil movetur in orbem præter immortalia & incorrupta corpora. Tametsi vero astra sint talia, non tamen motui circulari idonea sunt, nisi a Divino quodam motore extrinseco vel intrinseco, etiam, ut alii sentiunt, illis concreato principio, versentur & rotentur. Pari ratione neque ipsa astra Philosophica, neque terra Sophica circuitioni, rotationi & circulationi, per quam perficiuntur, sunt apta, nisi a Spiritu primo mobili, qui in cœlo Philosophorum est, & totus est aër volatilis, moveantur, eleventur, exaltentur. Hic enim tam subtilis est, ut omnia corpora penetret sublunaria, & usque ad centrum terræ perveniat, formando mineralia, & terræ superficiem irradiet, fovendo & producendo vegetabilia. Nullibi autem reperitur, nisi in Chao Sophorum, quod quasi mineralis terra est, & rursus in terram quasi mineralem & quasi metallicam coagulando reducitur.

*Et quis Magus tam prudens, qui ex hisce colligat novum regem natum cunctis præpollentem, fratrum suorum a labe originali redemptorem, quem oportet mori & in altum tolli, ut carnem suam & sanguinem in mundi vitam det?*

Indicavit PHILALETHA primum mundi Chaos, lucis ortum, & cœli terræque macrocosmicæ recensuit quædam attributa,

buta, & cœli denique cum terra myſticum propoſuit connubium. Certe jam neceſſe eſt Magum eſſe admodum prudentem, qui ex iis poſſit colligere novum Regem natum. Quæ enim horum omnium combinatio eſt ad regis natales? & quæ ſequela ad fratrum a labe redemptionem? concubuit cœlum & terra, ut antiqui tradunt Mythologi, ex quorum concubitu Saturnus & Rhea, nec non Titanes generati ſunt, & fortaſſis etiam iſte novus rex PHILALETHA præpollens. Statuere id de macrocosmi cœlo ac globo terreno abſurdum fuit & mera inſania; de terra autem & cœlo Philoſophico id ipſum intelligere, an Magi erit prudentis? ita ſane judicavit PHILALETHA, licet diſcurſus hic cum præcedentibus non ſat eleganter ſit connexus. Intentio Ejus hæc eſt, aut ni fallor eſſe videtur.

Omnibus metallis imperfectis connata eſt originalis labes, quæ quo minus ad perfectionem pervenerint, impedivit. Deficit nempe illis verus ſuccus & ſanguis, id eſt Sulphur puriſſimum & fixiſſimum, quod inſtar animæ eorum corpora a corruptione, ſitu & morte tueatur. Neque vero ulla ſpes eſt eadem ab iſtis fore liberanda, niſi proprius eorum frater, ſcilicet aurum, metallum perfectiſſimum, illis ſulphuream ſuam animam, ſed poſt mortem in putrefactione, & per reſurrectionem in vivificatione Sophica glorificatam multiplicatamque, infundat. Id autem fieri haud poſſe unanimis Adeptorum conſenſus eſt, niſi ſubſtantia quædam præpotens & dominans in regnum metallicum a ſapiente Mago producatur, quæ aurum ſolvat, mortificet, volatiliſet, ejusque ſulphur plusquam perfectum ſeu virtutis intenſione exuberans efficiat. Quod Ens ſumme poteſtativum illud ipſum eſt, quod ex aëre volatili ejusque centro, cœlo Philoſophorum, & terra veluti minerali generatur, de quo exclamat Auctor *Maſſæ Solis & Lunæ* Lib. III. *O quam mirabiliter natura*

*per gummi hoc vertit aurum in Spiritum, & quam mirabili modo eminet cunctaque ſuperat!*

*Bone Deus quam mirifica hæc ſunt tua opera! a te hoc factum eſt; miraculum apparet in oculis noſtris. Gratias ago tibi Pater Domine cœli & terræ, quod abſconderis hæc a ſapientibus & revelaris ea parvulis.*

Mirifica ſunt omnia Sapientiſſimi Creatoris opera: & magis ſtupendum eſt miraculum in culice & termite exiliſſimo, quam in magno Philoſophorum lapide, vel univerſum Oceanum, ſi foret argentum vivum, juxta nonnullorum hyperbolen in aurum puriſſimum tingente. Merito tamen exclamat MERCURIUS: *Magnum ô Aſclepi miraculum eſt homo:* cui tanta a Conditore ter glorioſo conceſſa eſt omnium ſimul in unum confluentium naturæ myſteriorum poſſeſſio, vel in unico lapilli granulo concluſa. Eſt opus Hermeticum Divinæ potentiæ clariſſimum ſpeculum, quod dum Philoſophorum oculis inſpiciendum conceditur, nec ipſa mens capit, præſertim in ſecunda operatione, quæ omnem humanæ ſapientiæ rationem excedit, ita ut HERMES a ſolo Deo ſe illius notitiam conſecutum eſſe teſtetur. Confirmat hoc experientia, qua conſtat mirandam hanc ſcientiam mundi ſapientibus & viris alias ingenioſiſſimis & doctiſſimis, imo etiam in Spagyria verſatiſſimis manere utplurimum abſconditam, revelari autem quandoque pauperi, parvulo ac humili, qui pro tam immenſo beneficio Patri Domino cœli ac terræ gratias acturus eſt indeſinentes, cumque theſaurum Dei ſolius majori gloriæ ac proximi indigentis utilitati impenſurus.

COROL-

# COROLLARIUM.

## *Chaos Sophorum clarius adumbratum & detectum.*

Magna hic molior & hactenus tentata a nemine. Quae de Chao retulit PHILALETHA, vulgaria sunt, & ex aliorum quoque scriptis satis nota, parum tamen lucis ad ipsam praxin contribuunt. De modo & ratione fiendi vel nihil dixit, vel parcissime. Combinabo itaque cum HERMETE CARTESIUM, & ex hujus subtili Philosophia artis longe subtilissimæ phænomena explicabo. Nihil enim in Pyrotechnia præstantius, quam ad poros & dispositionem ac motum particularum minimarum probe attendere; unde & LULLIUS in *Cod. Cap. 54.* monet: *Si quis discendi horum gratia aliquo fortunio adstans in opere fuerit sagax & pervidens, quamplurima imo multa & maxima videndo dupliciter poterit adipisci; multa enim signa videri possunt in opere, qualia providens secrete debet in mente sua retinere & recondere, & assidue caussas eorum proprie investigare, si veritatis amator cupit existere.* Ita LULLIUS, qui nec ipse particularum minimarum configurationes & poros neglexit, ut suo loco ostendetur.

Producam hic saltem in majorem lucem Chaos Philosophicum, ex cujus phænomenis tum primum ad oculum didici, istam CARTESII de materiis mundi primigeniis speculationem ex praxi Philosophici operis esse deductam, cui infatigabili quoque labore insudavit. Collegi, quomodo ex diversæ formæ & magnitudinis particularum motu & combinatione in separatione materiæ mundi chaoticæ exorta sint elementa, ut vere Sophi dixerint opus suum majoris mundi creationi assimilari. In primordiali Chao macrocosmico erant omnia contra naturæ leges posita, quippe levia versus centrum erant depressa, gravia circa massæ peri-

 pheriam

pheriam ſubſiſtebant, quod in operatione prima principiorum Mercurii Sophici quoque conſpicitur; terra enim licet gravis ſit, & in principio locum infimum obtineat, elevatur ad aquæ ſuperficiem, imo ita levis fit, ut incipiat natare; ſicuti enim glacies, licet ponderoſa, in aqua natat, ob copiam materiæ ſubtilis, quam includit: ita corpus grave Philoſophorum, cum quo conglaciatus eſt Spiritus, natat, & aliquando inſulam, interdum alias figuras repræſentat, & inprimis inſtar globorum apparet, unde Auctor *Conjugii Solis & Lunae* Lib. III. *Nota ſi non fiunt globi, non natabit, ſed ſubmergetur æs ad latera vaſis nec confringentur diſſolvendo, etiamſi per annum aſſatur, hoc expertum eſt.* Disgregatæ quoque & diſperſæ ſunt terræ moleculæ per univerſam aquæ maſſam, quæ nigredine indies creſcente magis deformatæ eam inquinant, & obſcuram & tenebroſam reddunt. Ipſe interim Spiritus quaſi in profundum abyſſi & intra aquæ ſphæram demittitur, ut hæc mixtionis philoſophicæ phaſis merito dici poſſit *terra tenebroſa & operta mortis caligine.*

Ratio hujus phænomeni hæc eſt, quod particulæ terreſtres, ſolutione & putrefactione philoſophica attenuatæ, & in globulos minutiſſimos redactæ, fluidi Mercurialis poris ita evadunt proportionatæ, ut eorum interſtitia omni ex parte ſic occupent, ut lucem incidentem nec admittant, nec trajiciant. Opaca namque materia elementi tertii materiam ſecundam pellucidam obſcurat, id quod per autopſiam patet, cujus rationem Sophi duntaxat a poſteriori, ex ſulphure impuriore materiæ inexiſtente deduxerunt; alii vero, qui caliginis ſeu nigredinis hujus cauſſam reddere non potuerunt, contenti fuere, quod parabolice per mortem, tenebras Cimmerias, infernum, eam deſignarent, quibus tamen re ipſa nihil explicarunt. Neque in priorum ſententia ſufficit pro cauſſa ſtatuere impuritatem quandam ſulphuris e centro extractam, cum id quoque ſatis improprie prolatum

latum ſit; nil enim, niſi ab omni fœculentia depuratiſſimum, opus ingreditur. Dum igitur poruli mercuriales a globulis terræ penitus obſtruuntur, nigredo oritur, id quod LULLIUS dicit in *Codic. Nunquam opus nigreſcit, donec a terra extrahitur tinctura per ſuaves deſtillationes, & in ventre Mercurii deportetur.* Tinctura terræ iſti globuli ſunt, venter Mercurii ejus poruli. Quando vero poruli ab iſtis globulis liberantur (id quod artificiali deſtillatione fieri poteſt, ad opus tamen penitus inutile) tum mox rurſum lux emicat & ſpirituum claritas. Philoſophi hic miras fingunt clypſes: Solem ajunt ſe ad centrum reduxiſſe, ideo in terra meras conſpici tenebras, longo autem tempore & ſubtili artificio eum rurſus ad peripheriam reduci, ſicque lucem priſtinam imo puriorem comparere. Multa non nemo addit de impuro Lucifero, qui cœleſti materiæ præſidere ac dominari annititur, eum vult e cœlo ad imam abyſſum eſſe deiiciendum, ſcilicet fœculentam & nigram materiam ad fundum eſſe præcipitandam, & quæ ſunt innumeræ ejusmodi parabolæ, quæ tamen pariter nil dicunt & nil explicant. Lux in Chao Sophico tandem oritur non ob revulſos ex Mercurii poris terræ globulos, hoc enim vergeret in operis perniciem, cum utriusque intendatur radicalis & perpetua unio, ſed quando ipſi globuli perenni circulatione & materiæ ſubtiliſſimæ trajectione porulos quoque & ſpatiola conſequuntur luci transmittendæ apta. Hos enim niſi obtinerent, non poſſent auri particulas, ipſa luce immenſum craſſiores, qui artis unicus ſcopus eſt, in ſe ſuſcipere, ut Aurum in Mercurio ſicut glacies in aqua calida liqueſceret.

Magna proin hic inter Philoſophos contentio & quæſtio oritur, num eorum Mercurius debeat eſſe corpus pellucidum, an vero inſtar lunæ opacum, lucem ſaltem reflectens? patet namque ex Adeptorum ſcriptis, alios in Mercurio ſuo manifeſtam denſitatem & opacitatem, alios vero pelluciditatem ſtabilire. Ita

BERNARDUS *Trevisanus* in *Epist. ad Thom. de Bonon.* scribit, Elixir & Azoth non esse diaphana, non transparentia, aut instar oculi lacrymæ clara. Rationem addit, quia eo casu terra in proportione aquam dimisisset, illaque esset separata, quæ alias, aquæ partes inspissans, inducit opacitatem. E contra THOMAS *de* BONONIA perhibet, aquam suam Mercurialem esse clarissimam & perspicuam, spiritualem tamen, ut faciat Aurum merum spiritum. Controversia hæc ex principiis CARTESII facile deciditur; scilicet terræ globuli minus bene dissoluti & perforati opacitatis caussa fuere in menstruo Comitis BERNARDI, iidem exactius dissoluti, & per circulationes cum materia subtilissima seu spiritu igneo dilatati limpiditatis & luciditatis caussa in solvente Mercuriali THOMÆ *de* BONONIA; ita LULLIUS in *Testamento Novissimo* Cœlum suum clarum pronunciat, & serenum, & resplendens instar stellæ cœli: de quo & PARASINUS in *Appendice Elucidarii* ait: *Tum quintam Essentiam adamante lucidiorem & clariorem videbis, quæ stellarum claritatem superat, adeo ut dubium sit, an in vitro contineatur nec ne.* Terra foliata Hermetis a me olim visa tota quoque perspicua & pellucida erat. Tu igitur quisquis vulgi Mercurio insudas, serio perpende, an corpus ejus opacum unquam perduci possit ad hanc diaphaneitatem.

Quandocunque igitur particulæ terræ attenuatæ occupant poros aquæ, quod fit in solutione prima physica, quæ illud Chaos est, luciditas mutatur in obscuritatem &, ut LULLIUS loquitur, *in naturam atramenti terrestris, non capiendo formam claram & cœlestinam, sicut apparet post evaporationem dicta aqua, & suam congelationem in forma lapillorum croceorum, quæ croceitas a terreitate pontica & sulphurea procedit.* Quos lapillos croceos & ipse vidi ac tetigi, vitro philosophico per infortunium rimam

mam

mam agente, & ſpiritu paulatim & inſenſibiliter evaporato; ſic damno doctus ſum LULLIUM vera ſcripſiſſe.

Terra autem ingreditur poros fluidi Mercurialis, & ipſi pori eam lubenter ſuſcipiunt ob figuræ & texturæ convenientiam, quam ſimilitudinem & magnetiſmum appellarunt. Quos quidem globulos dum materia ſubtiliſſima continuo pertranſiens perforat (unde LULLIUS in *Theor. Teſt. c. 14.* corpus ſic reſolutum eleganter vocat *Lapidem perforatum & poroſum,)* & aqua continuo rotatu abluit, mundat, nitidoſque ac fulgentes reddit (quam *ablutionem nigredinis* dicunt Adepti), tandem omnia in forma argenti vivi puriſſimi & lucidiſſimi comparent, unde RIPLÆUS *Porta 6.* in humido ſuo mercuriali recenſet albedinem noctu clariſſime lucentem, quam alii propterea *lunariam noctilucam, aquam glacialem lucidam* nominarunt, ut idcirco alii non male dixerint, fluidum illud Mercuriale ex primo lucido, cui ineſt verus naturæ ignis, componi. Conſpecto hoc in Chao Sophico candore vere artifex dicere poteſt: *Fiat lux, & facta eſt.*

Jam propriis oculis viſa breviter quoque narrabo. Credas autem me in omnibus exactiſſime obſervandis fuiſſe lynceum. Non enim niſi maxime ſenſatus artifex, operi fere ſemper adſtans & dexterrime utens inſtrumentis, iſta conſpiciet. In circulatione materiæ phyſicæ chaoticæ, quæ quodammodo pinguis & unguinoſa apparebat, tria obſervavi: inprimis aquam manifeſte craſſam, cui particulæ minimæ lucidæ, globulares, ſumme agiles, quæ circa proprium centrum movebantur, quaſi ab argento vivo deciſa corpuſcula, innatabant. Carteſii diceres globulos primi elementi; aſcendunt namque cum ſpiritu igneo. Dein conſpexi globulos adhuc alios majores, manifeſte unctuoſos ſeu oleoſos, propria circumſcriptione gaudentes, qui nec aquæ prædictæ craſſiori, nec ipſis illis prioribus globulis, ad mutuum licet frequentem concurſum & contactum, miſcebantur,

niſi

nisi in inferiori ista aquarum colluvie, ubi omnia in Chaos relabebantur. Hanc Cartesii materiam secundi elementi non inepte crederes. Certe spectaculum hoc mihi admodum confirmavit subtilissimi hujus Philosophi, de triplicis materiæ, lucidæ, pellucidæ & opacæ naturali conformatione, doctrinam. Vidi namque particularum subtilissimarum, sive sphærularum minutissimarum separationem, quas, quia activissimæ erant, censui esse primævæ lucis portiunculas. Conspexi in continuata gyratione aliorum lævium corpusculorum seu globulorum grossiorum, minus tamen, licet quoque mobilium, expressionem, quos judicavi naturæ esse aëreæ. Conspexi aquam identidem grossam ad vasis latera descendere, & revera nil esse aliud, quam aliarum particularum longularum fluidam congeriem, quam aquam esse non dubitavi. Et trium harum molecularum, mole atque figura diversarum, insensibiliter quidem in vapore aureo ascendentium, sensibiliter vero relabentium incredibilem numerum, per omnes vasis dimensiones continuo volvi, & ad centrum noctes diesque revolvi, per plures septimanas non sine singulari mentis & oculorum recreatione observavi. Quamvis & irregulares quasdam crassioresque particulas alicubi in vase extra aquarum ambitum (cujus ratio mihi haud ignota est,) coaluisse & ramosas figuras exhibuisse spectarim.

Quoad materiam elementi tertii, sive terram, in Chao hoc adnotavi eam obtinuisse superficies omnino planas & cubicas, ut aliis planis facile accederent, sicque se totas omnino tangendo circa liquidi Mercurialis meditullium quiescerent ac concrescerent, quod equidem spectavi invitus. Hæc enim particularum figura caussa est, quod terra cum longiusculis aqueis, utpote alienæ figuræ, tam difficulter & tam tarde se jungat, quod *solutionem* vocant Philosophi. Interim dum istæ particulæ seu corpuscula terrea in mutuos amplexus ruerent, & partim ad super-

ficiem

ficiem fluidarum usque aſcenderent, partim inæqualiter deſcenderent, aliud ſeſe obtulit curioſum phænomenon. Foveæ nempe quædam & lacunæ, veluti aquarum vortices & cataractæ, repræſentabantur, & ipſæ terræ particulæ conglomeratæ, ultra aquarum ſuperficiem in medio exſurgentes, montes & ſcopulos referebant, ut non absque inſigni voluptate me majus magni fundum & internam faciem quaſi introſpicere putarem, & vel inde concluderem, non inepte a Philoſophis ſuas aquas mari mediterraneo fuiſſe comparatas. Et hæc de Chao Philoſophico. Alia phænomena inferius detegendi dabitur occaſio.

# CAPUT II.

## *Aër Sophorum.*

Primus Philoſophiæ adeptæ labor eſt, ſeparare aquas ab aquis, conſtituere aërem & formare Chaos, in quibus ipſa praxis conſiſtit. Etſi enim materia ſecunda Philoſophorum dicatur aër, quia aëre congelato abundat, qui quamdiu in ſua ſphæra diffunditur, & in raritate perſiſtit, manus haud madefacit; materia tamen quoque eorum prima hoc nomen ſibi vindicat jam tum etiam apud Philoſophos antiquiſſimos, unde SENDIVOGIUS *in Epilog. 12. Tract.* ait: *Aër veterum Philoſophorum materia.* Aër itaque in opere dominatur, & quas in majori mundo exercet operationes, has analogice etiam in Sophico exerit, quod hoc capite oſtendere conatur PHILALETHA.

*Expanſum ſive firmamentum aër in ſacris vocatur, idque non citra ſecretum inſigne, quoniam ſcilicet aër fermentalis eſt aquarum ſeparator: pariter & aër noſter. Eſt ergo opus noſtrum revera Syſtema majoris mundi.*

Pergit PHILALETHA in analogia creationis mundi, & afcendit ad aërem & firmamentum. Volunt namque BASILIUS & ORIGENES, aliique plures aliud effe apud *Moyfen*, cœlum & terram primo die, aliud aridum & firmamentum die fecundo, quod in artis proceffu etiam fe ita habere perhibent Adepti. Sacer hic Phyficus aquas dividit ab aquis medio firmamento; ubi regio aëris, quæ corpora illa fupra medii aëris regionem puriffima & immixta a mixtis inferioribus, ex fœculenta & craffiore parte mundani corporis conftantibus, quafi aquas ab aquis difcriminat & diftinguit, in facris literis *firmamentum* dicitur, ut explicat in *Heptaplo Joannes* PICUS, Comes Mirandulanus. Firmamentum itaque medium eft inter aquas fupercœleftes, quæ in unum locum congregatæ funt (ficut omnis planetarum virtus in uno Sole eft concinnata) & inter aquas, quæ fub cœlo funt, quæ in unum quoque collectæ dictæ funt mare, in quo omnes colliguntur aftrorum influxus. PHILALETHA igitur inquit *id non citra fecretum infigne*, quod tamen fubticuit; fed vos attendite ad fphæram firmamenti, ad centrum folis & ad centrum maris fixum, attendite naturam medii, & fubftantiam Mercurii mediam. Confiderate, aquas inferiores a fuperiorum influxu locupletari & fœcundari haud poffe, nifi per medium inter utrasque collocatum. Aër in opere Sophico dividit vel ad oculum aquas ab aquis, fcilicet graves a levibus, puras ab impuris, imo nulla aqua arti eft utilis, nifi quam aër fic divifit. Non poffum hic filentio præterire, quod aliquando in vafe meo fpectavi firmamentum, dum folutionem corporis phyfici intenderem. Vidi in meditullio aquarum oriri interftitium aliquod, feu firmamentum falinum. Superiores aquæ erant colore igneo, inferiores lazureo, dum ad candelæ lumen de nocte chaos meum tranfpicerem: circa limbum vero fuperiorem duo circuli apprime flavi confpiciebantur; quæ tamen omnia laboris fruftranei fuere phænomena.

nomena. Errores enim docent, & nox nocti indicat ſcientiam. Tu vero quisquis vulgi Mercurio, aut cuicunque alii metallico operam collocas, an in eo aquas ſeparabis ab aquis? Mercurius aquæ quidem fructus eſt, ſed in quo aquæ ſemen ita in ipſum fructum indiſſolubili nexu coaluit, ut radicaliter omnem diviſionem, arte aut natura poſſibilem, reſpuat. Opus autem tibi eſt aquis, non ut putas metaphoricis, aſt realibus, non fluidis tantum, ſed & certo reſpectu liquidis, niſi quod aphiloſophon eſt, in mari Sophorum velis aquam negare. Separatio itaque aquarum ab aquis primus labor eſt, adeo quidem neceſſarius, ut ſine ejus vera praxi coetera omnia ſint fruſtranea. Lege Fr. BASILII VALENTINI textum *Lib. de rebus nat. & ſupernat. c. 3.* hic a me verbotenus latine redditum, & num aërem & aquam Sophicam capias tecum perpende. „ Rerum omnium viſibilium & comprehenſibilium materia eſt ſpiritus Mercurii, qui purus eſt aër, & hinc „ inde volitat ſine alis, & eſt ventus movens, qui poſt expulſionem ex ſuo habitaculo per Vulcanum in ſuum chaos fugatur „ in quod recedit & in elementa reſolvitur, ubi more magnetico „ a ſideribus attrahitur propter amorem, quia ab iis primum „ exivit & generatus eſt, quia ſimile appetit, & ſuſcipit ſimile „ Si autem ſpiritus hic Mercurii capi & corporificari poteſt, tum „ ſe reſolvit in corpus & evadit Aqua pura & clara transparens, „ quia eſt prima aqua ſpiritualis & prima radix Mercurialis mineralium, ſpirituoſa, inſenſibilis, incombuſtibilis absque com „ mixtione terreſtris aquoſitatis, & eſt Aqua Cœlica, de qua „ multi ſcripſerunt. „ Ita *Fr.* BASILIUS, quae ſi intelligis, nec aër Sophorum, nec aqua, nec firmamentum tibi poterunt manere incognita.

*Quoniam ut aquæ ſubtus firmamentum videntur & apparent nobis, qui ſupra terram*

*vivimus. At ſuperiores aquæ viſum noſtrum fugiunt, quia tum late a nobis diſtant. Pariter & in macrocoſmo noſtro aquæ ſunt minerales excentrales, quæ apparent; at quæ intus clauduntur, viſum noſtrum fugiunt, & tamen revera extant.*

Duplex in Chao Sophico aqua eſt, *centralis* & *excentralis*. Excentralis & viſibilis in Spiritu, centralis & inviſibilis in terra. Hæc enim licet originaliter quoque fuerit aqua, coagulata tamen eſt, ſuamque aquam radicalem in centro clauſit, neque videri, tangi, aut ſub ſenſum artificis cadere poteſt, niſi cum aqua ſibi proxima in unam mixtionis formam, in primam nempe materiam liquidam, non tamen aqueam, ſed viſcoſo-unctuoſam, convertatur. Sic enim aqua firmamenti ſophici excentralis centrales evocat aquas in terra clauſas, quæ & ipſa prius in conſpectum duxit aquas centricas ipſius firmamenti, quod Myſterium eſt a Sophis obvelatum. Etſi enim per decem annos terram in igne etiam debito retinueris, non fient aquæ ejus centrales, quod me experientia docuit, niſi mediante Sophorum aëre, quem ipſa terra fecit apparere, unde jam ſubjungit PHILALETHA:

*Hæc ſunt de quibus auctor novi luminis, quæ ſunt & non apparent, donec artifici placeat.*

SENDIVOGIUS hic non loquitur de aquis centralibus corporum noſtrorum, ſed de ipſo aëris Philoſophici occulto centro, in quo etiam ſunt aquæ, licet non appareant elementalium aquarum nubibus atque nebulis inuolutæ, ut eas extra centrum protrahere opus ſit labore pleniſſimum: niſi enim aquam igneam mineralem a phlegmatica ſeparaveris, poſſibilis in æternum non eſt aquæ conſtans in igne fixatio, unde quicunque in rore, aqua pluvia

pluvia, aliisque meteoris ſolvens quærunt Philoſophicum, iis ſerio perpendendum adſcribo incomparabilis HELMONTII poſtulatum, *Progymnaſm. Meteor. n. X. Experiri illis* (Spagyris) *erat perfacile, aquam, quocunque modo, arte vel naturali proportione, fuerit terrae nupta, nunquam tamen conſtantiam in igne acquirere, ut neque vere unquam terrae radicaliter jungi.* Ex quo non obſcure colligetis, qualis debeat eſſe Sophorum aqua, quæ eorum terræ nupta unitur radicaliter & conſtantiam in igne acquirit perfectiſſimam.

*Quemadmodum ergo aër diſtinguit inter aquas, ſic & aër noſter omnem aquarum excentralium, ad aquas quæ in centro ſunt, ingreſſum probibet. Etenim ſi ingrederentur & miſcerentur, tum ſtatim unione indiſſolubili coaleſcerent.*

Aëris aqua excentralis admodum difficilem ingreſſum habet ad centralem aquam corporum, qui tamen ingreſſus omnino neceſſarius eſt, ut aqua fiat per aquam, ſive ut obſcure Veteres loquebantur, Mercurius per Mercurium. Quamprimum enim facta eſt utriusque aquæ radicalis penetratio, etiam ſequitur indisſolubilis unio. Dum corpora facta ſunt aqua per aquam in qua ſunt, tum omnia aër & vapor ſunt, homogenea & indiviſibilia. Quia natura naturam amplectitur, retinet, nunquam dimittit. In operis limine conſpexi aliquando aquam ingredi corpora, ſed animadverti ad eorum centrum non fuiſſe admiſſam, nam illa non diu poſt ad priſtinam ſoliditatem redibant. Quia enim a Chao non ſequeſtraveram ſat caute & perite aquas excentrales (non enim noveram iſtas, quæ intus claudebantur) ſic quidem ex parte fiebat ſolutio, quæ tamen non erat Philoſophica, cum nulla ſequeretur corporum attenuatio, nulla ſublimatio, nulla in-

 diſſo-

dissolubilis unio. Sic didici, quantum intersit Chaos ab humore hydropico superfluo purgare, quod mox infra monet PHILALETHA. Et sic multoties irritis tentatæ solutionis experimentis, tandem intellexi, aquas excentrales aëris non ingredi aquas corporum centrales, cujus ratio mox patebit.

*Dicam itaque sulphur externum vaporosum comburens adhærere pertinaciter Chao nostro, cujus tyrannidi non valens resistere avolat purum ab igne sub specie pulveris sicci. Tu si aridam hanc terram aqua sui generis rigare sciveris, poros terræ laxabis, & externus hic fur cum operationibus nequitiæ foras projicietur. Purgabitur aqua per additamentum sulphuris veri a sorde leprosa, & ab humore hydropico superfluo, habebisque in posse Comitis a Trevis fontinam, cujus aquæ sunt proprie Dianæ Virgini dicatæ.*

Hic ad praxin & artis mysteria tacito pede procedit. Docet enim depurationem Chaos sive aëris Sophici, in quo tria statuit excrementa: 1. Sulphur externum vaporosum comburens & ex toto combustibile; 2. sordem leprosam, per quam superfluitas fæculenta terrea intelligitur; 3. humorem hydropicum, per quem innuit aquas inutiles excentrales. Hi sunt morbi. Indicationes horum curativas has ponit. Terra arida riganda est, laxandi ejus pori, addendum sulphur verum. Remedium, quibus hisce indicationibus satisfacit, unicum ponit, nempe aquam sui generis, quam terra arida Sophorum magnetice attrahit, naturam enim habet fontinæ Trevisanæ, quæ regem transeuntem semper ad

ad ſe trahit, ſicque ejus pori laxantur per humidum unctuoſum, & additionem ſulphuris fixi incombuſtibilis, unde tum aqua ſeu fons Virginis Dianæ, in quem nuda ingreditur, id eſt, aqua aëris centralis puriſſima exoritur. Hujus praxin ipſe PHILALETHA in *Fonte Chem. Phil.* ulterius inſinuat, obſcuro quidem, at ex dictis non adeo difficulter intelligibili Aenigmate. Attendas igitur, inquit, huic ſecreto, in locis Saturninis reperitur herbula quædam ſaturnia dicta, cujus ramuli apparent ſicci, verum in radice ſuccus abundat. Hanc tu colligens herbam una cum radice tecum portabis, donec ad montis pedem veneris, ſubter quem Vulcani miniſterio fodiens herbam tuam ſepelies, quæ ſtatim poros montis permeat, terram ejus laxando. Tum demum ad ſummitatem ſcandens facillime perforabis usque ad genua & infundes aquæ pinguis ac ſiccæ tantum, ut ad imum montis deſcendens impoſitam herbam madefaciat, quia ſtatim madefacta una cum aqua inſtar fumi aſcendit, & rapit ſecum ſpiritum montis ſurſum ferens ſecum, qui ſpiritus eſt ignea vis miſcens ſe aquæ, & in illa habitans, eſt aqua cui immiſiſti vinculum tuum, ſive vas aut furnus, ſpiritus Saturniæ, & fumus albificans & vapor montis eſt ignis, & hæc omnia ſunt Mercurius, ſic habes Saturniam vegetabilem regalem & mineralem herbam, & totum aquæ noſtræ ſecretum ſub ænigmatico ſermone deſcriptum.

Hic igitur omnia dixit, quæ hoc capite intendit explanare, ſeu potius obſcurare magis. Fuſores Antimonii hic rurſum intelligunt Regulum ſuum, cui ſulphur vaporoſum externum adhæret, quod ab igne ſub ſpecie fumi per ſublimationem avolat in pulverem ſeu flores ſiccos; adjecto tamen Nitro, ſeu aqua ſui generis, laxatis poris inſtar ſcoriarum ſeparatur, ejusque loco ſulphur verum a Marte recipit, quo mediante depuratur: ita illi.

Dicam quoque errorem meum. Non purgaveram Chaos a ſulphure externo vaporoſo. Comperi tamen nihilominus poros [illegible] terræ

terræ laxasse, & solvisse spe mea citius. Verum produxi fontem veneno infectum, a Mercurii Sophici via ad liquoris alcahestini avium delapsus. Aderat enim fur cum operatoribus nequitiæ, siquidem ea fuit fontinæ virulentia seu violentia, ut vitri spississimi (quod curiositatis causa asservo) internis parietibus profundas undique foveas insculpserit, vitrumque erosum solverit in Alcool subtilissimum; interim quod satis mirari non potui, relicta in fundo terra crocea Chaos in collum vasis elatum adhærebat instar Stanni foliati, figura perfecte rotunda, quod non uti prius instar aquæ crassioris defluebat, sed in globulos veluti mercuriales sese recolligens ex alto recidebat. Phænomenon hactenus a nemine quod dicam observatum. Verum ob vitri fatiscentiam & instantes rimas laborem coactus sum finire; ex eo autem primum didici, quid sint *nummi artis*, quorum non semel in *Turba Philosophorum* fit mentio. Terra enim adhærens foliata exacte referebat nummulos Gothicos argenteos, quos alii patellas iridis appellant. Colligebam inde Chaos illud, etiamsi nihil de Mercurio vulgi aliove metallico participaret, induere posse formam seu speciem Argenti vivi communis, ut non obscure pateret ratio, quare Sophi solvens suum Mercurium seu Argentum vivum appellarint.

*Hic fur est nequam arsenicali malignitate armatus, quem juvenis alatus horret & fugit, & licet aqua centralis sit hujus sponsa, tamen amorem suum erga illum ardentissimum non audet exerere ob latronis insidias, cujus technæ sunt vere inevitabiles.*

BECCHERUS per hunc & priorem textum Reguli martialis mercurificationem a PHILALETHA intelligi opinatus est, aliisque persuadere voluit. Nempe in Regulo sulphur quoddam arsenicale est, quod amalgamationem Mercurii cum Regulo impedit,

dit, ſicque ingreſſum aquæ mineralis excentralis, nempe Argenti vivi communis, in aquam centralem Reguli, nempe Mercurii ejus, prohibet, mercurificationemque arcet. Hoc ſulphur vaporoſum externum comburens vocat furem & nequam arſenicali malignitate armatum, quem juvenis alatus Mercurius exhorreſcit. Ita ille.

Explicabo id clarius & magis philoſophice. Sulphur illud externum a Philoſophis cenſetur eſſe naturae arſenicalis ſive malignæ, eo quod impedimentum ſit, quo minus mercurialis Spiritus cum aqua centrali terrae deſponſetur. Si enim arſenicali malignitate comite eorundem tentetur connubium, amor ardentiſſimus, id eſt, utriusque in radice copula non ſequetur, id quod Artiſtarum plurimi non attendunt, neſcientes quis ſit obex, dum corpora in aquam radicaliter ſolvi renuunt. Unde Auctor noſter eleganti metaphora ſulphur illud Latronis, utpote qui totum corpus mortificat & perimit, & furis, qui labores & impenſas quaslibet quaſi furatur, inſidias & technas appellat inevitabiles, impoſſibile namque eſt artificem in primis tentaminibus has ita callere, ut non multoties in praeparatione hallucinetur, quam multa enim hic ſint devia, vix lynceus obſervat.

Accedit, quod hic adhuc alio collimet PHILALETHA & magnum aliud myſterium, non tam doceat, quam ſubinnuat. Dixerat namque priori textu ſulphur vaporoſum externum adhaerere Chao; jam vero adducit malignitatem arſenicalem, quam ipſe juvenis alatus, id eſt, aër, ſive Mercurius Sophicus fugiat. Animadvertendum igitur eſt hic, eum loqui de corpore ſive terra; Ejus enim aqua centralis duntaxat illa ſponſa eſt, quam iſte appetit, perhorreſcit tamen ac fugit ob ſulphur arſenicale. Naturæ enim Symmiſtæ docent, in ſubjecto philoſophico duplicem eſſe terram, ſcilicet mercurificantem, ex qua per ſeparationem ſulphuris arſenicalis fiat Mercurius Philoſophorum, & arſenificantem,

tem, ex qua Alcaheſt paretur: ſiquidem utrumque ſolvens ex eodem conficitur ſubjecto, ſed diverſe modificato: Alcaheſt ex terra ſulphurea arſenicali ſalis, Mercurius Sophicus ex mercuriali. In cujus præparatione igitur ſulphur illud arſenicale penitus erit ſeparandum, ut obtineatur ſola & puriſſima terra mercurificans ſeu mercurialis, cujus centrum ipſe alatus juvenis, ab omni quoque ſulphure externo combuſtibili liberatus, ingrediatur, ſicque, ut loquuntur Sophi, ſponſus nudus cum ſponſa nuda, id eſt, immaculatus cum virgine thorum conjugalem aſcendant. Et hæc explicatio vere eſt philoſophica, quam rudiori aliquo exemplo illuſtrabo in regno vegetabili.

Sal Tartari terra fixa eſt, & tamen, juxta LULLIUM aliosque Adeptos, reddi poteſt volatilis. Spiritus Vini rectificatiſſimus volatilis eſt, & tamen cum ea figi poſſe creditur, quamvis utrumque opus ſit Herculeum. Spiritus Vini volatilis & ſal Tartari fixum ejusdem ſunt radicis ac proſapiæ, & tamen experientia docet utriusque non fieri connubium & unionem indiſſolubilem, ut terra in aquam & aqua in terram convertatur fiatque unum omnino homogeneum. Certe non ſine magna ratione LULLIUS in præparatione aquæ ſuæ cœlicæ, ſive Mercurii, hoc exemplo uſus eſt. Jam igitur ſcrutare cauſam, quare hic pariter alatus juvenis non poſſit exerere ardentiſſimum ſuum amorem erga hanc ſponſam radice & proſapia ſibi connatam, & quare potius illam fugiat. Quam ſi invenisti, ad Regnum minerale analogice argumentare & cogita, quid illis ſit addendum, quid demendum, ut inſeparabili nexu coaleſcant.

*Eſto hic tibi Diana propitia, quæ feras domare novit, cujus binæ columbæ pennis ſuis aëris malignitatem temperabunt, quod per poros facile ingreditur adoleſcens, concutit*

*cutit ſtatim peroledos, nubemque tetricam ſuſcitat. Tu undas ſuperinduces ad lunæ usque candorem, atque ita tenebræ, quæ ſuper abyſſi faciem erant, per ſpiritum ſe in aquis moventem diſcutientur.*

Subtiliſſima & obſcuriſſima eſt hæc allegoria in ſenſu philoſophico, explicatu facilis & aperta juxta proceſſum hodie ſat notum chemicis, & a non uno clare ſatis publicatum, vtrumque pandam. Qui Argentum vivum vulgi in Mercurium philoſophicum redigere allaborant, illud mediante Regulo martiali purgare, ab humore hydropico liberare, & igne ſeu ſulphur Martis animare intendunt. Sicuti enim in fuſione Reguli cum Marte pars Reguli mercurialis dimiſſo proprio ſulphure Ferri ſulphur apprehendit ſibique ſociat, ita quoque in Argento vivo vulgi idem futurum, ſicque Mercurium duplicatum igneum generatum iri ſperant. Compererunt autem juvenem alatum, id eſt vulgi Mercurium, horrere & fugere connubium cum Regulo martiali, licet hujus centrum, id eſt Mercurius, ipſi ſit ſponſa, quia copia ſulphuris arſenicalis ipſius Reguli impedit mixtionem amalgamatoriam cum Argento vivo. Jam igitur ſingulare excogitarunt artificium, quo iſtam ſulphuris malignitatem temperarent, & in poros Reguli ingreſſum Mercurio facilitarent. Ad quod elegerunt Dianæ binas columbas, id eſt Lunam & Venerem (nonnulli illam ſolitarie, alii utramque) & Regulo martiali colliquarunt ſicque magis reddiderunt metallicum, ut jam cum Mercurio amalgamatio expetita ad votum ſuccederet. Quem quidem a Regulo iſto per deſtillationem toties cohobando repetierunt & ſingulis vicibus cum ſale & aceto vel etiam aqua fricando & abluendo, ut in ſuis experimentis diverſimode docet ipſe PHILALETHA, ab omni nigredine mundarunt, donec lunæ gereret

candorem, & omnes tenebræ ſuper abyſſi faciem, id eſt impuritas nigra in ſuperficie Mercurii apparens, eſſent tandem ablatæ. Qua quidem enchireſi Mercurii Sophici creationem eſſe completam crediderunt. Et hanc quoque ipſiusmet PHILALETHAE fuiſſe intentionem ſuſtinet PANTALEON, cum interim quoad fiendi modum falſe increpando, qui tamen Andabatarum more cum hoſte fictitio pugnat, ſententiam PHILALETHAE forte nunquam ſomniatam infeſtat, heterodoxa fingit poſtulata in Philoſophia Hermetica, contra quæ ridiculo aſſultu inſurgit; PANTALEON male explicat ſic male docet.

Paulo aliter ſentit BECCHERUS, qui hoc ſaltem proceſſu paratum lunæ Mercurium SUCHTENII & PHILALETHAE eſſe ſcribit Tr. *Concord. Mercur. Lunæ*, & ipſum potius Mercurium ex regulo Antimonii martiali ſine argento confectum indubitato verum & genuinum Philoſophorum eſſe ſtatuit; unde per binas Dianæ columbas non Argentum, ſed ſalia alcalia & urinoſa (aves enim ſunt & volare debent, Luna autem fixa eſt) intelligit, quæ malignitatem ſulphuris arſenicalis in Regulo ita contemperant & domant, ut mercurificetur. Cujus methodum in *Supplemento ſecundo Phyſicæ ſubterraneæ Theſ. 6.* fuſe oſtendere allaborat, quo curioſum lectorem brevitatis cauſſa remittimus. Verum nec BECCHERUS, nec PANTALEON hac ſua tam ſpecioſa theoria unquam facti ſunt adepti. Experientia namque fatuorum magiſtra jam pluries docuit viros in Pyroſophia exercitatiſſimos mercurium iſtum Antimonii qualicunque columbarum artificio ſat laborioſe paratum manſiſſe, ut ante, operi Sophico plane ineptum, & Philoſophorum regem noluiſſe ſophiſticum hunc hermaphroditum pro ſponſa ſibi devincire. Sic eventus docuit conceptus hos duntaxat eſſe imaginarios. Poſſideo drachmas duas pulveris inſtar Cinnabaris rubicundi, ex tali Mercurio, cum Auro magnam partem jam fixato, parati, multis tamen adhuc globulis Mercu-

tiali-

rialibus vivis et nec dum mutatis permixti, quem ex ovo philoſophico artificis, labore Sophico nondum abſoluto mortui, exemptum mecum ante plures annos communicavit magni in Germania Principis Archiater, in quo deſideratam tingendi potentiam fruſtra quæſiveris.

Hiſce præmiſſis intellectu facilior erit ipſe ſenſus vere philoſophicus. Tria itaque ſunt, quæ hoc textu proponit PHILALETHA: 1. temperationem Sulphuris per Dianæ columbas; 2. phænomena, quæ in ipſa operatione comparent; 3. ipſius Mercurii ſic præparati nitorem & elegantiam. Quo ad Dianæ columbas (quarum fundamentalem ſcientiam ſequenti libro proponam) hic prævie notandum, nihil concipi debere ab ipſo Aëre philoſophico diverſum, vera etenim Sophorum Diana eſt, & *Fr.* BASILII Venus Aphrodita, quæ hominum corda novit, multoque magis domare feras tam phyſicas, quam philoſophicas. Ex hoc veluti e Dianæ luce provolant binæ columbæ, particulæ puta ſulphuris veri volatiles, quæ aëri philoſophico mixtæ medium aliquod, ſeu quidam quaſi paranymphus evadunt, a quo ingreſſus alati juvenis ad ſponſam, Mercurii inquam ad terræ fixæ centrum, conciliatur. Hae etenim particulæ, quia ex ipſa terra ſunt, facile ſecum ad hujus penetralia ipſum ſpiritum deducunt. Ipſa terra inſtar magnetis ſulphur arſenicale attrahit & ſuum ſpiritum ſimul temperat & a ſe purum dimittit.

Speculemur nunc phænomena & explicemus, quid ſit. *Adoleſcens ſtatim concutit peroledos, nubemque tetricam excitat.* Aër elementalis mundanus ſuos non minus, quam terra, fundos habet, quos Adepti vocant *peroledos.* Varia aëri ut terræ ſtrata ſunt, & ſicut aquæ ſua ſunt barathra, ſuæ voragines, ita portæ ſunt in peroledis, quas periti *cataractas* & *valuas cœli* dixere; in peroledis autem venti, rores, nubes, aliique aëris fructus continentur, qui prout eorum valuæ juxta Blas ſtellarum, cui pa-

rent, aperiuntur, in visibilem mundum effusi mutationes temporum inducunt, ut acutissimus philosophatur HELMONTIUS *Tr. Gas aquæ, §. 25. 30. 31.* Simili ratione in aëre sophico dantur Peroledi, quorum januas aperit iste adolescens, scilicet Blas illud subtilissimum spiritus mercurialis, quod varia aëris strata movet, unde mox ex Gas in vaporem resoluto appareat nubes, mox ex his concretis aqua, excitat quoque nebulas tetricas, id est halitus & vapores fœtidos, qui varia in cœlo philosophico meteora, irides, Dracones volantes, aliaque stupenda phænomena producunt, quæ tamen in undas deorsum relabentia tandem corpus nigredine obsitum abluunt ad Lunæ usque candorem, & tenebras in putrefactione ortas discutiunt, de quibus ipse HERMES ait: *Hoc peracto vivit in putrefactione, & fuscæ nubes, quæ super ipsum fuerant, & in suo corpore antequam moreretur revertuntur.* LULLIUS in Cod. Cap. 31. *Sume ex eo nebulam, quam peperit, tenebrosam, & infunde super eam de aqua separata ab eo,* &c. Turba Philosophorum *hæc habet*: *Cum videris nigredinem illi aquæ imminere, scias totum corpus liquefactum esse, & tunc oportet ignem lenem continuare, donec conceperit nebulam, quam parit, tenebrosam.*

Ite nunc, qui in fusione Reguli antimonialis putatis concuti peroledos, & fumos in ejus præparatione surgentes creditis esse istas nubes tetricas & nigras adeo a Sophis expetitas. Considerate, num non sint potius aridæ, & omni humido, aqua & spiritu, corpori ad Lunæ usque candorem abluendo necessariis, penitus destitutæ. *Mundi* enim *regeneratio fit*, inquit ESPAGNETUS, *a Spiritu igneo in aqua forma descendente, aqua enim Philosophorum ignis est. Aër autem Philosophorum*, inquit ZADITH, *est fumus subtilis in sensibus, & est ignis, & ex igne est, hoc est, generatur ex igne & nutritur, propter quod debet reduci ad ignem.*

Sic

*Sic jubente Deo lux apparebit. Lucem e tenebris ſepara ſeptima vice, eritque creatio baec ſophica Mercurii completa, eritque ſeptimus tibi dies Sabbathum quietis, a quo tempore ad anni usque revolutionem poſſis exſpectare generationem ſupernaturalis Solis filii, qui circa finem ſeculorum in mundum veniet, ut a labe cuncta ſuos fratres liberet.*

Paragraphus hic ultimus etſi nil myſterii videatur continere, ſufficit tamen ad ſolvendum totius rei nodum; nam & ex eo omnium prædictorum aut veritatem aut falſitatem colliges, ſi enim PHILALETHA intelligi debeat ad literam totus proceſſus foret falſiſſimus. Quia intra ſeptem dies fieri nequit Mercurii Sophici completi creatio, quæ fere totidem menſes, ex Adeptorum omnium conſenſu, requirit, licet principia ejus materialia vera intra ſeptimanam ſic adaptari & depurari queant, ut nullus reſtet labor, niſi ut conjungantur & debite decoquantur ad Mercurii Sophici complementum. Mercurius Philoſophorum duplicatus non præparatur opera manuali & deſtillationibus aut ſublimationibus mechanicis, ut Sophiſtæ ſibi perſuadent, ſed operationibus mere phyſicis in vaſe unico ex utroque ſemine maſculo & fæmineo debita proportione junctis. Neque juxta Philoſophos recentiores neceſſaria eſt lucis a tenebris ſeparatio, ſeu corporis & ſpiritus depuratio ſepties repetita, ſed quinque ablutiones juxta FLAMELLUM corpus ſufficienti candore imbuunt. Ergo totum hoc, & quod hactenus docuit PHILALETHA, non de ipſo opere ſophico & Mercurii duplicati generatione intelligendum eſt, ſed de eius duntaxat principiorum adaptatione, & prima præparatione, quæ intra dies ſeptem abſolvi poteſt.

Hoc

Hoc enim absoluo Artifici Sabbathum quietis est; nulla enim opera manuali amplius indiget, nisi ut principia hæc ovo philosophico inclusa, igne debito in verum mercuriale fluidum excoquantur. A cujus operis, quod *Herculeum* vocant, fine computando intra anni revolutionem Solis filius perfectus, licet nondum summa tingendi potestate imbutus, potest generari. Qui aliter PHILALETHAM intelligit, in via erroris est. Sophistæ enim desinunt ubi deberent incipere. Chymici Stibiales, depurato & animato per Regulum martialem Argento vivo vulgi, quod a sagacioribus septem dierum spatio fieri posset, arbitrantur Mercurium Sophicum esse creatum. Sophi vero, depuratis intra totidem fere dies Mercurii sui principiis constituentibus, tum primum spermata conjungunt, & sub maxima quiete, nisi quod igni suo invigilent, seu vel septem mensium nunquam interrupta coctione in solvens homogeneum convertunt. Tantum distant aera lupinis. Tu quisquis cupis has transire ærumnas, meditare, de quo Mercurio loquantur Philosophi, an de composito & vere duplicato. Hac enim non attenta in eorum scriptis ubique distinctione, inextricabiles oriuntur confusiones. PHILALETHA si de Mercurii Sophici principiis eorumque præparatione philosophice, certe non sine multa obscuritate & invidia est locutus, quam utramque, quantum potui, studui removere. Adjiciam nunc

# COROLLARIUM.

## *De Aëre Philosophorum.*

An ergo Sophorum peculiaris Aër est? numquid communem omnes inspirant aërem, seu Sophus sit, seu Asophus? Certe hic admodum in macrocosmo diversus est. Alius, quem in Boeotia inspirat crassioris Minervæ Melibæus, alius, quem in Insula Lemno

Lemno Pyræmon. Sophiſtæ etiam ſuum aërem habent, in quo arces & caſtella ſine fundamento fabricantur. Aër autem ſophicus in multis convenit, ut & diſcrepat ab aëre microcoſmico. Dicam paucis diſcrimen.

*Aër Sophorum*, inquit SENDIVOGIUS, Tr. de Sulph. *volatile quid eſt, ſed fixatur, & quando fixum eſt, penetrabile reddit corpus.* Aër mundanus nunquam fixari poteſt; deberet enim poſſe reduci in terram, & ideo prius in aquam in quam eam condenſari plane impoſſibile eſt, ut probavit HELMONTIUS Tr. *de Aëre.* Aëris autem ſophici vis integra eſt juxta HERMETEM, ſi verſus fuerit in terram. Aëris & aquæ elementum in macrocoſmo ſunt impermutabilia, ſi autem in opere non eſſent inter ſe mutabilia, ars vana foret. Notandum igitur (ut innumeras alias diſtinctiones, ex LULLIO facile colligendas, prætercam) Philoſophos per Aërem ſuum quid indicare a communi aëre toto, ut ajunt, cœlo diverſum, licet appellationis huius cauſſas habeant graviſſimas. Ego ex HELMONTIO & CARTESIO illis novas ſuperaddam.

CARTESIUS aërem ſpeculatur conſtare ex meris globulis, qui, cum ſe ſecundum omnes extremitates tangere nequeant, neceſſario interſtitia ſeu ſpatiola relinquunt, quæ cum vacua eſſe non poſſint, materia mundi ſubtiliſſima replentur, nempe materia primi elementi, quæ ignem conſtituit. Hæc exactiſſime quadrant Sophorum aëri, qui cum ex globulis quoque conſtet, etiam intra ſe ignem claudit. Unde LULLIUS Cod. c. 47. *Ipſe ignis non eſt, niſi corpus ad ultimum ſubtiliatum, & in ventre aëris jam occultum ex quo manifeſtiſſime conſtat, quod aër eſt Spiritus ignem deferens; Lapis eſt ignis deportatus in ventre aëris.* Quod Hermeticæ & Carteſianæ Phyſicæ ſtabilit harmoniam.

Elementum aëris extra quidem leve eſſe, intus vero grave, ſtatuit SENDIVOGIUS. Ipſi quoque Carteſiani aëris columnam

admodum gravem esse, ejusque vim pressivam curiosis experimentis comprobarunt. Aër Sophorum quoque licet in sua raritate sit levissimus, congelatus tamen ponderis est gravissimi, & ipsi auro præponderat. Quo enim quid subtilius est, & magis ad naturam Spiritus accedit, eo magis se penetrare, constringi ac condensari potest, unde gravitas oritur, quod eleganter probat LUDOV. *de* COMITIBUS, *Tr. de Metall. Lib. II. C. 5.*

Aër mundanus compressionem sui admittit; ita teste HELMONTIO aër in canna ferrea ulnæ unius potest comprimi ad digitos circiter quindecim, cujus compressi aëris expansione contingit spiculi per asserem transmissio, non minus, quam si a sclopeto propellatur. Aëris sophici compressio & compactio in unum partibus longe pluribus fieri potest, cujus in projectione Tincturæ ea postmodum est expansio & elasticitas, ut vel in momento profundissima metallorum centra penetrare, & una ejus particula aliquot millenas possit trajicere & transmutare.

Spiritus participat de natura aëris, aër autem de natura aquæ & ignis; in opere ergo corpus terreum non potest fieri spiritus igneus, nisi fiat aër, nec aër, nisi fiat aqua: ergo aqua proximum & primum est elementum, in quod terra est reducenda, ideoque artis clavis & Mercurii principium. Aër itaque Philosophorum ens est mediæ naturæ, seu mediam retinens naturam duorum extremorum, aquæ scilicet & ignis, unde *substantia media Mercurii* appellatur. Jam vero quantæ difficultatis sit ejusmodi conversio, discere possumus ex doctrinæ Cartesianæ fundamentis. Non enim facile est corpuscula cubica in longa, nisi subdivisionibus multis, mutare, nec oblonga in globulos reducere, nisi rursum major fiat subsectio. Ex globulis vero ut fiat materia Sophocosmi subtilissima, quam suum ignem vocant, ulterius porro attenuandi erunt in minutissimas atomos naturæ possibiles, quales & ipse tandem præ se fert Lapis Philosophorum, cujus pulvisculo nihil in mundo volunt esse subtilius Adepti. In ipsa itaque

que philoſophica putrefactione, quam ſatis apte nonnulli vocant, *putridi fractionem*, neceſſe eſt omnes particulas ſecari, ſubdividi, ſeparari & figuris ac magnitudine mutatis invicem transmutari, ut elementa chymica ordine extrahantur. De qua figurarum transmutatione eleganter *Author Roſarii: Fac de maſculo & femina circulum rotundum, & de eo extrahe quadrangulum, ex quadrangulo triangulare, & de hoc circulum rotundum, & habes Lapidem Philoſophorum.*

Aër mundanus corpora volatiliſat, ut arcano experimento confirmat HELMONTIUS Tr. *Blas. Hum. §. 45.* quod ita exacte convenit Sophorum aëri, ut de hoc potius, quam mundano, eum putem fuiſſe locutum: Verba ſic ſe habent; *Si aër (arcanum capiat qui poteſt) inprimis volatiliſat Sulphur concreti, cum omnimoda ſeparatione ſui ſalis, hoc ſal, quod alioquin in carbone fixaretur in alcali per ignem, fit totum volatile ac ſurſum ſcandit in ſpecie liquida, quandoque, & non raro, in forma ſublimati, habetque totam concreti craſin* &c. Innuit hic quidem ſalis Tartari volatiliſandi arcanum, qui juxta LULLIUM typus eſt præparationis Mercurii Sophici. Diſcite igitur Sophorum aërem, & myſterium intelligetis.

Aër mundanus corpora tenacia in aquam reſolvit, quod probatum vide apud HELMONTIUM l. c. §. 35. Aër autem Sophicus proh quam tenacis compagis, quam firmæ texturæ corpus primum minerale & poſtea metallicum fixiſſimum in aquam reſolvit! & hanc proprietatem præ reliquis omnibus attendunt Sophi & ipſe quoque PHILALETHA, dum & aërem firmamentalem & ſophicum aſſerit aquarum ſeparatorem. Quæcunque in aërem mundanum ſuper mediam regionem elevantur, in primam ſui tranſeunt materiam atque priſtinam Elementi aquæ indolem recuperant, ut eleganter oſtendit prælaudatus HELMONTIUS *Tr. Compl.* atque *Miſt. Element. figment. §. 38.* in aëre ſophico

dum ſubtiliata corpora elevantur, in primam quoque ſui materiam, aquam ſcilicet viſcoſam relabuntur; aqua enim quæcunque elementalis arti eſt inutilis. Audite elegantem aëris ſophici paraphraſin, quam *Clangor Buccinæ* intonat: *Cum corpus mundatum fuerit, & cum ſpiritu incorporatum, ſublimatione aſcendit, tunc ambo facta ſunt vapor unctuoſus, & ab urentibus ſubſtantiis ſpoliatus, aër ſubtilis clarus nimiæ penetrationis, anima a vitiis & inquinamentis liberata, quia inuncta ſuo corpori mundato mediante Spiritu, id eſt, aqua Mercuriali purificata, transit in ens puriſſimum & incorruptibile, & niſi fiat vapor, nihil in opere hujus artis peregiſti.* Perpendite verba ſingula, nam pondus habent.

Ego tractatulum hunc de Chao & Aëre Sophorum finio. Fuerunt tenebræ ſuper faciem abyſſi. Et intellectus humanus profunda abyſſus eſt, & ſuper hunc quoque tenebræ ſunt, nec lux illi oritur, donec Spiritus Domini ſuper eum feratur, cujus lumine illuſtrati videamus & cognoſcamus naturæ abdita. Non impletur luce oculus, niſi ad ſolem converſus, nec mens noſtra luce, niſi ad nos convertatur is qui dixit: *Fiat lux, & facta eſt.* Cœcutimus niſi Sol ſupercœleſtis ita tenebras noſtras diſcutiat, ut ſcientiæ nobis oriatur claritas, per quam agnoſcendo Creaturas ad ipſum Creatorem convertamur, quem ubi aliquando intuebimur, verum nobis erit Sabbathum quietis non ad annorum revolutiones, ſed in perpetuas æternitates. Dum ſupernaturalis ſolis filium Theandrum, qui circa finem Seculorum in mundum venit a morte fratres ſuos liberans, remoto velo felices aſpiciemus. Utinam! ah utinam!

## Finis Libri Tertii.

HISTO-

# HISTORICA
# RECENSIO & REVELATIO
CELEBRATISSIMI
# COLLYRII ANGLICANI
VIRI QUONDAM ILLUSTRIS
# HANS SLOANE
KILLAGHA HIBERNI,

Magnæ Britanniæ Regis Archiatri primarii, Baronis, Præſidis Societatis Scientiarum meritiſſimi, & Societati Scientiarum Pariſienſi, Madritenſi, Berolinenſi atque Scoticæ Edinburgenſi Adſcripti, quod Ipſe diu in arcanis habuit, tandem vero

Auguſtiſſimo Magnæ Britanniæ Regi

in publicos uſus revelavit paucis pagellis, quibus Titulum præfixit:

*An Account of a moſt efficacius Medicine for ſoreness, weakness and ſeveral other diſtempers of the Eyes, by Sir Hans Sloane Bart. Phyſician tho his Majeſty &c. London, Printed for Dan. Browne, at the Black-Swan, without Temple-Bar, MDCCXLV.*

interprete

MENANDRO II.

# HISTORICA

## Collyrii Anglicani recenſio.

Ere eſſe putaram reipublicæ medicæ, ſeu verius publicæ utilitatis, hiſtoricam recenſionem Collyrii ab Illuſtri SLOANE correcti, diuque ab ipſo in arcanis habiti, cum *Illuſtri* S.R.I. ACADEMIA NATURÆ CURIOSORUM communicare; quoniam ob effectus præſentiſſimos, quos in oculorum curatione edidit, non tantum Magnæ Britanniæ cives, ſed Belgas etiam, Gallos, Germanos & coloniarum in America Britannicarum plures, in admirationem rapuit, & ſui deſiderium ardentiſſimum excitavit quidem, ſed a poſſeſſore, nullo, tametſi maximi pretii præmio, ejus revelatio impetrari poterat. Tam ſeveræ occultationis cauſſa, non erat lucri commodum; maximas enim conſecutus erat opes & fortunas ampliſſimas: ſed fides, quam olim dederat illi, a quo acceperat. Mortuo vero amico, cui vivo fidem numquam mutaverat, typis tandem exſcribi curavit, *Auguſtiſſimo Regi* dedicavit, atque ita, quo de univerſo genere humano bene mereret, publici juris fecit. Quæ igitur per XVI. pagellas ipſe diſſeruit, interpretata dabimus:

*

*  *

In ipſo naturæ ſcrutinio practico, connato quodam deſiderio actus, ſemper affectavi illud, quod eſſet tutiſſimum. Ea propter in eam omni tempore incubui curam, ut materias medicamentorum veras, & curationes invenirem fidas. In omnibus tamen obſervationibus meis nullam obſervavi tutiorem, quam illam, quæ in praxi D. *Luke* RUGELEY in curatione morborum & infirmitatum, quibus oculi affici ſolent, ſe mihi ſæpiſſime obtulit.

Ut

Ut vero hoc medicamentum ipſe eruerem, omnem navavi operam: Aggreſſus etenim ſum negotium una cum erudito quodam Pharmacopœo, ſociam mihi operam ferente, cum quo laudatus RUGELEY æque ac ego, conjunctiſſime vivebamus. Verum enim vero, adhibita licet omni accuratione, nihil tamen quidquam de hujus remedii expiſcari poteramus compoſitione.

Poſt hujus Medici mortem, ſumma qua valebam induſtria, omnes ejus libros, ſcriptaque ſingula perquiſivi, & ejus inprimis *Materiam Medicam* a ſe conſignatam. Sed irritus etiam iſte erat, quem ſuſcepi, labor: donec tandem non nemo ad me accederet, cujus opera, ut equidem conjeceram, in præparando illo collyrio D. RUGELEY uſus erat. Ab iſthoc homine obtinui remedii formulas, pollicendo certum præmium adfirmandoque, me in ipſius detrimentum, nulli umquam mortalium revelaturum eſſe. Formulas illas, quas hoc modo obtinui, ſua manu ſcripſerat D. RUGELEY; ego vero easdem mutavi, correxi, iisdemque per annos oppido multos uſus ſum. *Formula Collyrii*:

Recipe *Tutiæ* ppt. *unciam unam*,
*Lapid. Hæmatit.* ppt. *ſcrupulos duos*,
*Aloës optimæ* ppt. *grana duodecim*,
*Margaritarum* ppt. *grana quatuor*.

Cum ſumma circumſpectione comminue ſingula in mortario porphyrino, ſeu marmoreo, ope piſtilli ejusdem materiæ. Admiſce ſufficientem quantitatem *pinguedinis viperarum*, ut linimenti acquirat conſiſtentiam, & quotidie mane veſperique applicari poſſit, pro commoditate ægrorum, veluti in ſequentibus expoſituri ſumus.

Poſtea vero quam correcto hoc remedio, experimenta feciſſem, diffiteri non poteram, quod ejus me compoſitio in ſui admirationem converterit, quoniam ejus effectus tam erat certus & indubius, ut ſi vel centum hominibus applicatum eſſet, ne in

uno

uno quidem eius falleret efficacia. Excepto illo casu, ubi oculis laboratur, malo *venereo* læsis, utpote quibus incassum semper applicari solet.

Quum per annos jam aliquot istud arcanum possedissem, in scriptis quibusdam, *Theod.* MAYERNE manu exaratis, inveni, quod etiam is hujus *linimenti* notitiam habuerit, & *Pharmacopœæ* a se conscriptæ illud inseruerit. Aliquantum vero post, cognovi, quod ipse hujus linimenti inventor non esset, sed illud auctorem sui cognosceret *Matthæum* LISTERUM Collegii Medici Sodalem, qui cum MAYERNEO communicaverat, & tam eximiam curationem in Matrona quadam perfecerat, quam D. THEODORUS in extraordinariis habendam esse censuit. Probabile itaque videtur, MAYERNEUM, laudatum hoc medicamentum cum D. *Thoma* RUGELEY, patre nimirum Doctoris *Luke* RUGELEY, communicasse. Compertum enim habeo, collegas fuisse, & inter se amicissimos.

Ceterum methodus, qua applicatio linimenti mihi quam optime cessit, talis erat: *Primo* venam secari curavi; *deinde* vesicatorium in nucha & post aures applicui, ad educendos humores acres. *Porro* pro inflammationis gradu & serosæ acredinis quantitate, inter scapulas fonticulum excitavi, quo expeditior esset effluxus: quem in finem vesicatorium insuper applicui, quod manationem seri juvaret, eamque constanter conservaret. Oculos *aqua fontana* eluendos, semper suasi; quippe quæ quamdam prærogativam habet, præ omni spiritu, sive simplex is fuerit, sive compositus. Remedia *interna*, quæ mea experientia observavi probatissima, ista sunt: *Conserua* scilicet *Fl. Roris-marini*, *Pulvis Antepilepticus* æque ac *Pulvis ad Guttetam* *).



*) Nota. Ita quidem habet Exemplar Anglicum: *Antiepileptic Powders Such as Pulvis ad Guttetam.* Hic vero *Pulvis* dici solet *de Gutteta.* Exhibet illum *Codex Medicamentarius seu Pharmacopœa Parisiensis* Anno MDCCXXXII. forma Quarta editus p. 61. PUL-

Ex herbis ſumantur Herba *Betonicæ*, *Salviæ*, *Rorismarini*, *Euphraſiæ*, rad. *Valerianæ ſilveſtris*, *Caſtoreum* &c. Laventur ſingula & fiant ſpecies pro infuſo Theæformi; omnibus ſive ſimul ſumtis, ſive quibusdam ſolummodo delectis. Ita quoque de *Spiritu Lavendulæ compoſito* & *Sale volatili oleoſo*, fiat eſſentia.

Quod ſi inflammationis contingeret reverſio, e venis temporalibus eduxi vel per applicatas hirudines, vel per cucurbitulas inter ſcapulas apprimendas, ſanguinis uncias ſex; quod admodum conducit ægrotis. Linimentum ipſum applicatur ope penicilli ex pilis fibrinis compacti, palpebris parumper hiantibus.

Dum vero in curandis oculorum morbis occuparer, ſæpe miratus ſum, curationis ſucceſſum non reſpondiſſe votis; progrediente autem tempore deprehendi, cauſſam ſubeſſe *febrem intermittentem*. Quoties enim paroxyſmus aderat, toties pejus evenit

PULVIS DE GUTTETA.

Recipe *Rad. Pœoniæ maris*
*Seminis ejusdem*
*Diptamni albi*
*Viſci Querni ana Unciam ſemiſſ.*
*Seminis Atriplicis Drachmas duas*
*Cranii humani Drachmas tres*
*Corallii rubri præparati*
*Hyacinthorum præparatorum ana Drachmam unam*
*Ungulæ Alcis præparatæ Unciam ſemiſſ.*
*Foliorum Auri Drachmam unam.*
*Miſce fiat Pulvis.*

In Germaniæ officinis ſpecies hujus Pulveris ſunt quidem eædem, ſed pondus earum non modo differt a præſcripto pondere *Codicis Pariſienſis*, verum, monſtroſa pariter doſis *foliorum auri* prorſus omittitur, tamquam ingrediens vere inutile & ventriculo moleſtum, licet ad ſplendorem pulveris faciat, & hominibus plebeiis adeo gratum ſit, ut multum fiduciæ inde ponant in medicamentis auro micantibus.

evenit oculis, quorum affectus magis reddebatur refractarius. Quamprimum vero illa curata esset remedio appropriato, *Cortice* scilicet *Peruviano*, etiam oculorum curatio ex sententia successit.

Hoc *Linimentum* multum opis tulit illis, quorum oculi *membrana* quadam *opaca* tecti erant, quam post se relinquunt cicatrices ulcusculorum in tunica transparente: id quod accidit hominibus illustri loco natis, frequentius vero plebeiis. Isthoc malo affecti adeo privabantur visu, ut duce usi, ad me accesserint; sed post aliquod temporis intervallum, visus illis tam feliciter restitutus est, ut sine duce, viam ad ædes meas ducentem, invenire potuerint. Quo ipso mihi admodum fiebat satis.

*Linimentum* istud non tantum egregie conducit in enarratis casibus, sed etiam in doloribus oculorum nimiis, quibus cephalalgia excitari solet. Ita bene memini cujusdam Matronæ, quæ cum eam primum inviserem, effrenatis ejusmodi oculorum & capitis correpta erat doloribus, ut tanti mali impatientissima, intra unum nychthemeron *Laudani liquidi*, si recte memini, guttas quinquaginta, ternis vicibus sumeret. Per meum vero Linimentum, tam illa, quam alii multi, ab hoc malo liberati sunt, sine adhibito opio.

Domino ANISSON, qui cum *Duce de* AUMONT huc missus erat, id negotii datum fuit, ut *pacta* cum Britannis iniret *emporetica*. Is etiam a quibusdam amicis litteras commendatitias e *Gallia* mihi attulerat. Ego vero ejus oculos admodum infirmos & male affectos esse observavi; qui tamen post applicatum meum *Linimentum* perfecte curati sunt.

Effectum tam præclarum, cum in semet ipso expertus esset Dn. ANISSON, pro certo mihi affirmavit, se operam daturum, ut Rex Galliæ, arcanum hoc redimat, pretio etiamsi vellem maximo. Quoniam de civibus suis bene mereri, eosque hoc modo

 sibi

ſibi devincire conſueverat. Ego e contrario, me fidem dediſſe, illi conteſtatus ſum, quod hocce arcanum numquam vulgare vellem. Magis enim expedit, publicis id dicare uſibus; quam ſententiam jam tum foui, cum junior eſſem; quare illud etiam publicæ utilitati deſtinatum eſſe volui in *Introductione mea in Hiſtoriam naturalem Inſulæ Iamaicæ de Catharticis*; addito monito, quod Mercurius, in oculorum morbis, qui per hoc *Linimentum* curati ſunt, omnino eſſet noxius.

Ubi ſimul obſervatu dignum, illud ſcilicet hominibus oculis laborantibus admodum ſolenne eſſe, ut oculos umbraculis aliisque ſimilibus tegere ſtudeant; quod ſæpe curationem remoratur: quia ejusmodi regimen oculorum juſto calidius eſt. Quamobrem ſemper illis ſuaſi, ut, quamprimum lucem perferre oculi poſſent, tegumenta illa ab oculis removerent.

Doctore *Wilh.* STOKEHAM, *Nobili* ac erudito, ſemper familiariter uſus ſum. Erat is Regis WILHELMI III. *Archiater*, & *Patavii* non ſolum per aliquot annos cum celeberrimo Univerſitatis illius Medico converſatus eſt, ſed *Venetiis* etiam TACHENIO, magno illi Chymico familiaris fuit. Iſte mihi retulit, quod eximiam *pinguedinis viperinæ* virtutem in morbis oculorum expertus ſit. Quid? quod & *Dan.* LUDOVICI in *Pharmacia moderno ſeculo accommodanda*, Gothæ 1671. 12mo, illam eumdem in finem commendaverit. Idem profecto admodum rationaliter diſſeruit, monendo, pinguedinem viperarum longe præſtantiorem eſſe, pinguedine porci (veluti formula mea originalis habuit). Obſervavi etiam, addita hac pinguedine, Linimenti mei virtutem adeo exaltatam eſſe, ut miracula mihi præſtitisſe viſus ſim.

Cum præterea ad celandum hoc arcanum, proprii quæſtus cauſſa minus tenerer, aperui tandem D. ARBUTHNOT: ubi

ubi experimentis repetitis palam fiebat, in curandis oculorum morbis, *solius pinguedinis viperinæ*, eamdem æque esse virtutem, ac si cum reliquis simplicibus commixta esset. Ex litteris Missionariorum itidem didici, pinguedinem viperarum in *India Orientali* oculorum morbis adhiberi solere.

Observatum est a naturæ scrutatoribus, serpentes singulis annis suas deponere non modo exuvias, sed & oculorum suorum tenue quoddam tegumentum. Cur vero non æque pinguedinem rejiciant, phænomenon est, quod aliis disquirendum relinquo.

Erat quidam vir in Chirurgia præstantissimus, quem in praxi mea semper magni feceram; is admodum dissuadebat olei usum in morbis oculorum: quantum vero conjicere valeo, intellexit ille *oleum olivarum*. Ego autem ultro fateor, me in oculorum morbis numquam oleo usum esse, nec solo, nec aliis speciebus remixto, quoniam semper ea remedia adhibere timui, quæ non modo dubia essent, sed nocere etiam possent. Ad *oleum olivarum* quod attinet, sæpius id observavi apud homines plebeios, quibus *Linimentum* meum exhibueram, eos, linimento, quod ordinarie post aliquod tempus siccum evadit, oleo olivarum adfuso, liquiditatem reddere conatos esse, atque sic oculis applicasse; quo tamen facto, molestiæ haud leves ac querelæ ortæ sunt. Id quod, me judice, calidis acribus olei particulis tribuendum reor, licet blandum alias, ac interne externeque demulcens habeatur remedium. Qua occasione probe reminiscor illorum, quæ cum *Montispessulani* agerem, Dn. MAGNOL aliique mihi familiaritate juncti, narravere: se nimirum aliquando cuniculis, quos domi suae alebant, ob con-

ſueti pabuli penuriam, *folia oleæ* exhibuiſſe, quæ *urinam cruentam* ciebant.

Jam antea dixi, obſtrictum me fuiſſe ad celandum hocce arcanum, quod etiam ad hoc usque tempus religioſe obſervavi. Quod vero nunc illud revelem, id omnium approbatione me facturum eſſe arbitror. Mihi etenim alia quoque ſub fide ſilentii tradita ſunt remedia. Exceptis his remediis paucioribus, in praxi mea numquam arcana iactavi, ſed in meis conſultationibus & caſibus arduis libere ſemper aperteque rem egi: in quibusdam vero ſecutus ſum exemplum illorum Medicorum, qui ob *morum philoſophiam*, qua incluti erant, magnam laudem conſecuti ſunt, & quibus ſolenne erat, remedia, quæ ſua induſtria invenerunt, occultare, ſecundum illud: *Artis eſt celare Artem.* Numquam tamen eo inclinabat animus, ut omnia occultare vellem, quemadmodum quidam *monopoliſtæ* Medici ſueverunt, qui omnia ſibi tantum ſervata eſſe volunt, uti ex ſequentibus manifeſtum fiet.

*Illuſtris Eques Robertus de* SOUTHWELL; Regiæ Societatis Præſes digniſſimus & omnium bene merentium Patronus, & inprimis *Capitanei Dampier*, aliquando mihi retulit, *Dampierium* in familiari colloquio ſibi narraſſe, quod incluta familia *de Exmouth* in *Devonshire*, infallibile quoddam remedium poſſideret, quo morſus rabidi canis aliorumque animalium, tam in homine, quam animalibus ſanare valeret. Obteſtatus ſum illico Illuſtrem Dn. *Robertum*, ut, ſi quocumque modo fieri poſſet, per laudatum *Capitaneum* illud remedium mihi procuraret

reve-

revelandum, ob eximium, quem publico præstare posset, usum. Dedit Dn. *Robertus* petitioni meæ locum, effecitque, ut opera illius *Capitanei* illud arcanum mecum communicaretur. Quo, ubi potitus eram, plene ac secundum omnes circumstantias, quas in applicatione observari oportet, descripsi, & in *Transactionibus philosophicis No. CCXXXVII.* publici juris feci. Quædam vero ab epitomatore, ibidem omissa erant. Postea vero quam in manus meas illa rursus incidissent, *Illustri* Dn. *Roberto* pro certo adfirmavi, ibi per errorem quemdam *Auriculam Judæ* tamquam præcipuum ingrediens commendari, quoniam *interne* sumtum illud vegetabile perniciem adferret. Majorem ergo in modum rogavi, ut *herbæ* ibidem *commendatæ*, unicum exemplar mihi tradendum curare vellet, quemadmodum in ipsa formula consignatum est, ut examini illam subjicere possem, itemque dosin medicamenti, ut scirem, quanta propinanda esset portio. Utrumque quod petii, laudata familia ad me transmisit; & ego illico detexi, præcipuum ingrediens non esse *Auriculam Judæ*, sed *Herbam Lichenis cinerei terrestris*; quam plantam primus in *Catalogo* suo *Herbarum Anglicarum* notam fecit Dn. RAY, anno 1670. qui simul mirabatur, hanc ab aliis, qui antea de re botanica commentati sunt, omissam esse. Observavi itaque hujus vegetabilis usum esse longe maximum & generi humano nimium quantum salutarem. Istud remedium una cum epistola seu Dissertatione, observationibus meis locupletata, publici juris feci: sine qua isthæc mea relatio nullius fuisset effectus aut ponderis.

Eodem

Eodem tempore de hac ipsa re certiores feci viros celeberrimos, Dn. PETIVER, Dn. DOODY, Dn. RAND aliosque Botanicos; iisdemque hoc vegetabile detexi ac simul suasi, ut sufficientem semper in promtu haberent hujus *Lichenis* quantitatem, qua, data occasione, prodesse possent. Quod etiam factum, & æque felici semper successu adhibitum fuit, ac alias. **)

# *F I N I S.*

Altonæ, die XXVIII. Aprilis, MDCCLIII.

**) De hoc & antecedenti remedio conf. Commerc. Litterar. Norimbergense an. 1745. hebd. L. p. 397. no. II.

*CHR. JAC. TREW.*



MEMO-




IOAN. FRIDERICVS CRELLIVS

*Phil. et Medic. Doctor in Acad. Iulia Carolina*
*Anatom. Physiol. ac Pharmac. Prof. Publ. Ordin.*
*Acad. Imper. Nat. Cur. Collega Sostratus III. dictus*
*Nat. Lipsiae d. VI. m. Ianuar. ∞IↃCCVII*
*Ob. Prorector Helmstadii d. XIIII. m. Maii ∞IↃCCXXXXVII*

*M. Tyroff faciebat Nög*

# MEMORIA
VIRI MAGNIFICI, ILLUSTRIS AC EXPERIENTISSIMI
## DOMINI
# IOANNIS FRIDERICI CRELLII,

Academiæ Juliæ Carolinæ Vice-Rectoris, Philosophiæ & Medicinæ Doctoris, Anatomiæ, Physiologiæ & Pharmaciæ Professoris Publici ordinarii, & Imperialis Academ. Nat. Curiosor. Collegæ,

*d. XIX. Maii Ann. MDCCXLVII.*
placida morte extincti,
ex
*funebri Programmate*
depromta.

In lucem hanc editus eſt beatus noſter CRELLIUS, anno MDCCVII. die VI. Januarii. Germana patria ipſi fuit Lipſia, magnum illud atque celebre bonarum artium emporium. Genus ſuum traxit a Patre in laude & memoria omnium eruditorum verſante, *Ludovico Chriſtiano* CRELLIO, S. S. Theol. Licentiato, Philoſophiæ primæ ac rationalis Profeſſore publico ordinario, Collegii minoris Principum ſocio & Seniore, Scholæque Nicolaitanæ Rectore *), & a matre, *Catharina Charitate*, *Chriſtiani* PACKBUSCHII, Jurium Doctoris, Scabinatus Electoralis Senioris, & Conſiſtorii Aſſeſſoris filia. Avum paternum agnovit *M. Henricum* CRELLIUM, Paſtorem & Superintendentem Neoſtadii ad Ericas optime meritum **). Proavum veneratus eſt *M. Michaelem* CRELLIUM, Eccleſiæ cathedralis Altenburgenſis Paſtorem vigilantiſſimum. Hac ſtirpe oriundus noſter, ſacroſancto regenerationis lavacro tinctus, nomine *Johannis Friderici* libro vitæ adſcriptus eſt. Prima literarum fundamenta in Lyceo Nicolaitano celeberrimo, in quo natus atque educatus eſt, jecit, cujus collegis omnibus ac ſingulis debitas ſemper decrevit grates, atque inprimis *Dn. M.* DRESLERI, & *Dn. M.* ORTLOBII, Facult. Philoſophic. Aſſeſſorum, navatam in expoliendis ſtudiis ſuis operam, gratiſſima adgnovit mente. Neque tamen ultimam felicitatis ſuæ partem arbitratus eſt, quod eundem & patrem & præceptorem venerari ſibi datum fuerit. Hic enim exemplo ſuo eum ita conformabat, ut quamvis ætate minus profectus eſſet, in humanioribus tamen, quas dicunt literis, multos alios jam longe antecelleret. Horum itaque ex conſilio ad altiora ſe adcingens, anno MDCCXXII. Rectore Magnifico, *Ulrico* JUNIO, Mathematum Prof. P. in numerum

*) Vid. Programma Academiæ Lipſienſis, in funere ejus publice propoſitum. Ann. 1733.

**) Vid. *Joh. Chriſtiani* THOMÆ aufgegangenes Licht am Abend. Conf. die unſchuldigen Nachrichten, de anno 1723. p. 70.

merum civium academicorum relatus, oratione *de ſtudii Botanici, & cum primis Riviniani ſyſtematis præſtantia, ejusque cum ſtudio morali comparatione* habita, ſcholæ vale dixit ultimum. Antequam vero ad Medicinæ tractationem, cuius amore a teneris captus erat, adcederet: ne illotis manibus ſacra ejus pollueret, Philoſophorum primum ſcholas adiit, atque per anni ſpatium lectionibus philoſophicis ſumme Reverendi Dn. D. OLEARII interfuit, & in collegio quoque diſputatorio, ſub ejus præſidio florente, non parum in contraverſiis philoſophicis adcuratius inveſtigandis profecit. Cum autem Phyſices inprimis cognitionem adcuratam Medico eſſe neceſſariam probe intelligeret, theoriam ejus a venerando parente traditam, experimentis ab experientiſſimo Dn. D. LEHMANNO, atque excellentiſſimo Dn. D. MENZIO, in ſtudioſorum gratiam inſtitutis, illuſtrare atque confirmare adlaboravit. Matheſeos etiam elementa, quatenus illa Medico in cognitione corporis humani lucem fœnerari queunt, præeunte D. POETIO delibare ſtuduit. Linguæ quoque vernaculæ culturam, cuivis utilem, negligendam haud eſſe duxit, eidemque in collegio oratoriæ germanicæ, tum theoretico, tum practico, Viri plurimum Reverendi, Dn. RABNERI, ad D. Thomæ Diaconi, interfuit. Hiſce præſidiis inſtructus, protinus in medicas ſcholas ſe contulit, & gratioſæ Facultatis tum temporis Decanum, virum maximum, *Auguſtum Quirinum* RIVINUM, potiſſimas artis ſalutaris diſciplinas, in curſu, quem dicunt, medico, privatim prælegentem, per quinque annorum ſpatium magno cum emolumento audivit. Cujus ſingularem in ſe, in ſuppeditandis conſiliis ſaluberrimis, conatibusque ipſius quavis ratione promovendis, benevolentiam, laudibus ſemper ad cœlum usque *Noſter* extulit. Singulas quoque Medicinæ partes, ductu excellentiſſimorum Dominorum Profeſſorum ſigillatim pertractavit. Curſum anatomicum in prælectionibus D. WALTHERI, poſtea Regis Poloniæ Conſiliarii & Archiatri, circa finem anni

ſuperioris Lipſiæ defuncti, bis abſolvit. Pluribus etiam demonſtrationibus publicis magnorum virorum SCHACHERI, WALTHERI atque QUELMALZII, Doctorum medicæ artis Lipſienſium celeberrimorum interfuit. Botanicis D. RIVINI, RICHTERI atque LISCHWIZII, (qui ſinguli νῦν ἐν ἁγίοις ſunt) lectionibus, herbarum cognitionem adcuratam ſibi comparare ſtuduit. Materiæ medicæ hiſtoriam ab excellentiſſimo WALTHERO audiebat. Chymiæ fundamenta ex inſtitutione experientiſſimi QUELMALZII, Anatomiæ tunc Profeſſoris publici, neceſſarias ſimul enchireſes ipſo opere declarantis, hauſit. In chirurgicis excellentisſimi D. PLATNERI, Collegii Medici tunc Decani & Profeſſoris primarii, manuductione profecit. Morborum hiſtoriam, genuinamque medendi methodum ex collegio publico magnifici SCHACHERI, atque privato experientiſſimi D. KüCHLERI, Medici celeberrimi, ſibi familiarem reddidit. Atque probe gnarus quantum tyroni adferat emolumenti, ſi ductu ſenioris Medici ad lectos ægrotorum accedere liceat, in noſocomio decumbentes ſub auſpicio magnifici Dn. *Michaelis Erneſti* ETTMüLLERI, Facultatis medicæ Senioris, viſitavit. Ut vero patronis etiam atque præceptoribus ſtudiorum ſuorum rationes redderet, diſputando ſubinde ingenii vires periclitari ſuſtinuit; atque primum ſub præſidio D. QUELMALZII, diſſertationem phyſicam *de Magnete* in cathedra philoſophica defendit. An. MDCCXXIII. cum ab inclito Sophorum ordine jura Baccalaureatus obtinuiſſet, *theſes de officio erga calumniatores* commilitonibus diſcutiendas propoſuit. Eodem anno feſto Nativitatis Chriſti in Templo Paulino orationem, de *Magorum ex oriente erga ſalvatorem pietate*, recitavit. Anno MDCCXXV. menſe Februario, ſub præſidio Venerandi *Parentis*, diſſertationem de *Antonio Muſa, Cæſ. Auguſti Medico*, proprio marte elaboratam, defendit. Paulo poſt Magiſtri titulo ornatus, oratione ſolemni *memoriam Heinricianam* in auditorio philoſophico renovavit. Eodem anno in col-

collegio disputatorio publico, in quo, sub præsidio Cel. D. BAUERI, *Bohnii circulus anatomico-physiologicus* ad examen revocabatur, tum respondendo *de respiratione*, mense Julio, *de chylificatione & chyli depuratione* mense Augusto, tum opponendo aliquoties in publicum prodiit. Jura quoque Magisterii dissertatione *de obligatione ad inventionem novorum*, in Auditorio philosophico præsidendo defensa, confirmavit. Anno MDCCXXVI. mense Decembri a gratiosissimo Medicorum ordine, Baccalaureus Medicinæ creatus est. Anno MDCCXXVIII. mense Decembri lectiones pro licentia, *de variis vires remediorum explorandi modis*, publicas absolvit. Anno MDCCXXIX. mense Julio, altero examine superato, licentiam summos in arte medica honores petendi impetravit. Anno MDCCXXXII. posteaquam diligenter legendo ac medicinam exercendo, animum in re medica obfirmaverat, (cujus rei testimonium universa Lipsiensis Academia perhibuit *), ne nimis festinans artem medicam, effato HIPPOCRATIS longam ac difficilem, ingrederetur, gradum Doctoris tandem adsumsit.

Dissertatio ejus inauguralis egit *de morbo gravissimo, Melancholia* nimirum *hysterica*, quam sub præsidio celeberrimi *Polycarpi Theophili* SCHACHERI, tunc *Medici ordinis Senioris atque Decani perpetui*, anno MDCCXXXII. Lipsiæ habuit. Dum se autem ad vitam academicam probe præparaverat, brevi post ipse scholas medicas in Academia patria non sine applausu bonorum aperire cœpit. In numero egregiorum auditorum inprimis *Justus Godofredus* GÜNZIUS fuit, qui sub *ipsius* præsidio Anno MDCCXXXIV. doctam publice Dissertationem, de *Mammarum*

 *fabri-*

*) Vid. Programma Lipsiense supra dictum, in quo sequentibus verbis animum suum *venerandi Academiæ hujus Patres* declarant: *Suscepit quatuor filios, ex quibus quartus JOANNES FRIDERICUS, Philosophiæ & Medicinæ Doctor, non minus ægrotis salutaribus consiliis, quam studiosæ Juventuti prælectionibus medicis inserviens.*

*fabrica*, defendit, et nunc etiam inter præcipuos Medicinæ Profeſſores Lipſienſes cluit, ac potiſſimum per libellum, quem *de curandi calculum viis atque de herniis*, haud adeo pridem publicavit, celebris eſt. Cumque etiam in medicina facienda, curandisque ægrotis, ſcientiam ſuam publice probaviſſet, illuſtris Senatus Lipſienſis inde commotus eſt, ut mox An. MDCCXXXIII. præ aliis *noſtrum* CRELLIUM Scholæ S. Thomæ Medicum præfecerit, atque anno ſubſequenti etiam Medicum pauperum, annuo ſtipendio conſtituto, eſſe voluerit. Quibus in functionibus, & diſcipulis celeberrimi iſtius Lycei, & pauperibus quam plurima præſtitit & amoris & charitatis & humanitatis officia. Præterea & in Actis Eruditorum Lipſienſibus concinnandis atque elaborandis per plures annos ſedulum ſe ſocium & adjutorem præbuit, multorumque librorum & medicorum & philoſophicorum recenſionem & epitomen, maximo cum judicio confecit. His itaque rebus præclare geſtis fieri aliter non potuit, quam quod, cum locus in Collegio medico (quod *Facultatem* vulgo adpellitant) Vitebergenſi, anno MDCCXXXVI. morte *Viri illuſtris atque doctiſſimi*, D. *Johannis Godofredi de* BERGER, *Potentiſſimi Polonorum Regis Archiatri atque Conſiliarii*, qui per Phyſiologiam ſuam medicam, librumque doctiſſimum de Thermarum Carolinarum natura, effectibus & uſu, pluribusque perdoctis Diſſertationibus Vitebergæ habitis, percelebris eſt, vacuus factus eſſet, famaque ejus ad aulam magni hujus Regis quoque pervenerit, hic diu non dubitavit, quin CRELLIUM *noſtrum*, ut locum hunc rurſus ſuppleret, Lipſia Vitebergam ad hanc ſpartam ſuſcipiendam vocaverit, ubi etiam frater ipſius germanus natu major, Vir Illuſtris atque Conſultiſſimus, *Chriſtophorus Ludovicus* CRELLIUS, *Potentiſſimi Polonorum Regis Conſiliarius aulicus atque Appellationum JCtus celeberrimus*, Jura jam per plures annos ſumma cum laude atque applauſu docebat, atque nunc etiam tradit. Dum itaque abitum adornabat, Medicus doctiſſimus

mus Lipſienſis *D. Polycarpus Fridericus* SCHACHERUS, modo laudati SCHACHERI filius digniſſimus, CRELLIO *noſtro* ſchediaſmate quodam erudito, in quo de *præcipuis Lipſiæ ornamentis* disſerit, nouam ſpartam congratulatus eſt, *ipſumque* jam inter præcipua Lipſiæ ornamenta retuliſſe videtur. Cum vero anno MDCCXXXVII. Vitebergam bono cum Deo ingreſſus eſſet, tempus haud laceravit, ſed ſtatim programmate, quo graviſſimis rationibus oſtendit, *obſervationes in partibus corporis humani morbidis, ad illuſtrandam corporis ſani œconomiam temere non eſſe adplicandas*, cives academicos ad audiendam orationem ſolemnem ſuam inauguralem, qua oſtendere allaboravit, *litterarum ſtudia corporis ſanitati non adeo eſſe inimica, ut nonnulli & cumprimis Celebris quondam Georgius Francus de* FRANCKENAU, olim *in peculiari oratiuncula ea proclamaverat*, invitavit, & hoc facto prælectionum ſuarum & publicarum & privatarum primordia cepit. Oratio autem iſta publici juris facta non eſt. In programmate ſuo, cujus paulo ante mentionem injecimus, miro quodam fato effectum eſt, ut doctrinam de *glandulis*, quam magnus *noſter* HEISTERUS, qui poſtea ſocer *Ejus* factus eſt, antea in *Compendii ſui anatomici Tomo ſecundo*, parte ea, qua de glandulis agit, quam græco vocabulo *Adenologiam* vocare ſolent Medici, graviſſimis argumentis primus fere propoſuerat, uberius quaſi aperiret, & ex peculiari animorum conſenſione confirmaret. Eodem hoc anno Diſſertationem quoque edidit anatomicam, *de Valvula venæ cavæ Euſtachiana*, qua non ſolum inſignem ſuam in arte anatomica ſcientiam demonſtravit, verum etiam varia circa hanc partem dubia, variasque hac de re ſententias penitius perveſtigavit, atque veram & genuinam eruere ſtuduit. Huic etiam Diſſertationi illuſtris HALLERUS, in Programmate anatomico, Gœttingæ paulo poſt edito, meritas ſuas laudes tribuit. Anno MDCCXXXVIII. Programma elaboravit, quo *Panegyrin medicam* indixit, inque eo *de Opii ratione agendi*

*&*

*& noxis ipsius*, docte disseruit, aliudque paulo post, quo ostendit, *morbos sæpe blandis remediis curari non posse*, verum haud raro ad fortiora, imo ad ipsa chirurgica auxilia Medicis progrediendum esse. Vlterius anno MDCCXXXIX. *examen hypotheseos magni* LANCISII, *de motu synchrono auricularum & ventriculorum cordis*, respondente *Johanne Sigismundo* SCHNEIDERO, *Augustano*, publici juris fecit; in quo non solum opinionem paradoxam celeberrimi & doctissimi huius Viri modeste & solide refellit, verum etiam, quasi in transitu, sententiam suam de *valvula Eustachiana*, contra objectiones quasdam ipsi factas uberius atque solidissime confirmat. Porro eodem adhuc anno programmate quodam, ubi ad Dissertationem inauguralem medicam invitavit, *tumorem fundo uteri externe adhærentem*, quem observaverat, descripsit, atque simul affinia varia exempla ad casum hunc illustrandum in eo retulit. Anno MDCCXL. in Dissertatione quadam inaugurali, *observationem de arteria coronaria cordis, instar ossis indurata*, & in sene quodam septuaginta annos nato, subitaque morte extincto, reperta, cum publico notatu digna esset, communicavit. Hoc ipso tempore incidebat, quod illustris quondam noster *Brandanus* MEIBOMIUS, *Ordinis medici in Helmstadiensi Academia Senior celeberrimus*, fata sua clauderet, atque hujus in locum, Potentissimi tunc & Serenissimi Academiæ illius Nutritores, Illustris HEISTERI filium haud degenerem, *Eliam Fridericum* HEISTERUM, dum jussu illorum in itinere belgico commoraretur, Professorem Medicinæ ordinarium subornarent. Verum cum & hic paulo post Lugduni Batavorum, malo pro hac Academia omine, diem obiret supremum, atque ita locus hic eodem adhuc anno denuo vacuefactus esset, de alio substituendo mature cogitarunt. Qui cum egregia *nostri* CRELLII scripta, & in docenda & facienda medicina facultas, ad eorum notitiam pervenissent, anno mox insequente MDCCXLI. neminem ad hunc locum vacuum rursus replendum, CRELLIO

*nostro*

*nostro* aptiorem esse judicarunt, eamque ob causam Viteberga, quam clementissime ad Anatomiam, Physiologiam & Pharmaciam heic docendam euocarunt. Tradita igitur ipsi clementissime vocatione, sub autumnum ejusdem anni Academiam hanc ad Elmum ingressus est. Statim post adventum suum ad primas suas prælectiones, prolusione academica, qua *de glandularum in cæcas & apertas divisione*, sententiam viri cujusdam haud incelebris pervestigavit, philiatros invitavit, easque deinde, applaudentibus auditoribus, inchoavit. Sectiones cadaverum in theatro nostro academico frequentius instituit, ad quas variis programmatibus, in quibus observationes ad rem anatomicam facientes, & magno doctrinæ adparatu refertas pertractavit, auditores convocavit. Inque uno inprimis sectionem puellæ gibbosæ memoratu dignissimam recensuit. Quum progressu temporis Decani officium in hac Academia prima vice suscepisset, Dissertationibus quatuor indefessum suum studium, quod in pervestiganda excolendaque ulterius scientia medica collocabat, probavit. Prima istarum *de viscerum nexibus insolitis* agebat, & respondente *Johanne Friderico* PINCKERT, *Mühlberga-Saxone* habita est. Altera, *de sanguinis frequenti jactura plethoram sustentante*, in qua respondentis uices, *Johannes Georgius* HIERONYMI, *Guelpherbitanus*, sustinuit. Tertia *causas respirationem vitalem cientes* sistebat, respondente *Johanne Christophoro* SCHELLERO, *Hildesiensi*. Quarta denique *de tumore capitis fungoso post cariem cranii exorto* conscripta erat, et *respondentis* provinciam, *Johannes Philippus* KAUFMANNUS, *Lunaeburgensis*, susceperat. Quum anno MDCCXLVI. secunda vice Decanatum gereret, altera Dissertatio *de cortice Sima ruba*, sub eius præsidio, respondente *Johanne Sigismundo* LEINCKERO, *Norinbergensi*, habita est; alteram vero, *de officulis Sesamoideis*, sub ejusdem auspiciis *Samuel* PAUERUS, *Posonio Hungarus* defendit. Hosce Candidatos pileoli doctoralis, cum aliis etiam, qui sub moderamine alio-

rum celeberrimorum in Facultate medica huius Academiæ doctorum, dexteritatem ſuam atque eruditionem in cathedra publica probaverant, Doctores medicos creavit, ac publice & ſolemniter renunciauit. Hoc ipſo anno, die tertio Januarii, faſces academicos primum ſuſcepit, atque Vice-Rector Academiæ Juliæ Carolinæ ab Anteceſſore ſuo illuſtri *Kippingio* ſolemniter conſtitutus eſt: & in hoc munere obeundo, tam gravitate, quam comitate & prudentia in rebus inſtituendis, nemini fuit ſecundus. Quin potius cum jam fractus eſſet viribus & infirma valetudine, major erat ejus promptitudo in negotiis Academiæ gerendis, quam facultas ejus ſæpius permitteret. Publicæ enim ſaluti Academiæque commodis atque incrementis ubique fuit intentus.

Cum per aliquot menſes in hac Academia commoratus eſſet, *Vir piæ memoriæ*, de ſocia vitæ ſibi diſpiciendum, e re ſua eſſe duxit. Matrimonii itaque jure ſibi junxit, virginem morum gratia, formæ venuſtate, decorumque paternorum claritate ornatiſſimam, *Sophiam Mariam*, Viri illuſtris ac experientiſſimi, *Laurentii* HEISTERI, viri, cujus fama in omnibus terris ad exiſtimationem dimanavit, filiam natu alteram, quam anno MDCCXLII. die ſexto Decembris ſolemni ritu domum duxit. Jucundiſſimum fuit hocce conjugium, multis modis feliciſſimum, & in ſumma animorum conjunctione ad eum usque diem cultum, quo ſummo Numini ſuaviſſimum hocce vinculum morte diſſolvere placuit. Fœcundum inſuper fuit amantiſſima filiola, quam anno MDCCXLIIII. dono divino accepit; filioque ſuaviſſimo, quem anno MDCCXLV. exoſculatus eſt. Nihil equidem magis in votis haberemus, quam ut ſummo Numini placuiſſet, hocce conjugium eadem diuturnitate, qua felicitate beatum reddere. Deploramus vicem Viduæ illuſtris, fata præmatura mariti fidisſimi fletibus lamentisque proſequentis. Miſericordia commovemur in liberos dulciſſimos atque tenerrimos, qui vultum ſere-

num

num parentis optimi vix ac ne vix quidem cognoſcere potuerunt. Sed in voluntate Numinis ſupremi adquieſcendum eſt, cujus viæ per noſtram imbecillitatem indagari quidem non poſſunt, ſemper tamen ad finem ſalutarem nobis tendunt; & divinæ providentiæ decreta æquo ferenda ſunt animo. Supervacaneum foret, in laudes *Viri Magnifici* excurrere, *Ejusque* imaginem vobis referre, cum adhuc recenti memoria teneamus, quam fuerit ὁ μακαρίτης ad invidiam doctus, quam ſpectatæ virtutis, quam placidus atque commodis moribus, quam omnibus deſideratiſſimus. Sed officii noſtri ratio reique æquitas poſtulat, ut ea dicamus, ex quibus ſeri etiam poſteri intelligere poſſint, qualis fuerit noſter CRELLIUS. Ut a cultu divini Numinis principium ducam, qui fundamentum omnium virtutum eſt, CRELLIUS erat pietati ex animo deditus, ſincerus ſacratiſſimæ religionis confeſſor atque cultor; verbum divinum in amore, imo in deliciis habens; reverentiam Numinis in omnibus ſuis dictis atque factis oſtendens; res divinas præ omnibus aliis prævertens; in veræ Religionis ſocietate conſtans; in Chriſto per fidem ſalutem ſuam unice quærens; Chriſti veſtigiis inſiſtere ſtudioſus; ad τα ἄνω animum cumprimis advertens. Quum proſperis rerum utebatur ſucceſſibus, DEO tamquam proſperitatis ſuae auctori, gratias agebat, & elato haud erat animo; ſed in auxilio divino, firmiſſimo in omni fortuna præſidio, ſpem ſuam tutus collocabat, preces ad DEUM fundens ardentiſſimas. Officii ſui, porro, momenta ſingula adcuratius perpendebat, ipſiusque leges ſancte & cum ſumma diligentia ſervabat; & ubi res gerundæ vigiliam exigebant, inſomnis erat. Illis, qui ab ore ejus pendebant, viam tam facilem & apertam, quam expeditam atque probatam oſtendit, qua in adyta artis ſalutaris penitius penetrare poſſent.

Frontis ſerenitas, vivacitas vocis, facultas in diſſerendo plane admirabilis, perſpicuitas, qua mentem ſuam explicare ipſi divinitus conceſſum erat, non modo auditorum animos alliciebat, ut

ad ſubſellia ipſius confluerent; ſed idoneos ſimul reddebat medicinæ cultores, a quibus fructus aliquando largiſſimi expectari poterant.

Multitudo eorum, qui CRELLIO noſtro ſalutem ſuam committebant, labores ipſius in dies auctos, duplicatos, imo cumulatos reddebat. Plurimi ex illuſtriſſimis terrarum Brunſvicenſium atque vicinarum familiis, in ipſius dexteritate ſpem ſuam collocaverant.

Benignitas atque ſuavitas, qua illos etiam ægros atque miſeros excipiebat, quos duris urget in rebus egeſtas, efficiebat, ut illi quoque ad noſtrum confluerent. Nemo tamen unquam ipſum vidit pertæſum, difficilem aut moroſum. Deſiderium, quo accenſus erat, omnibus quibus poterat inſerviendi, viresque ſuas pro bono publico conſumendi; comitatem ipſius atque affabilitatem ab omni viciſſitudine intactam ſervabant.

In conſuetudine quotidiana cum omnibus candide & amice congreſſus eſt. Quemadmodum amicitiam in fronte promptam gerebat, ita recto quoque erat pectore, antiqua virtute & fide. In ſermonibus comis & affabilis, ita ut in *Ejus* conſortio horæ ocyus elaberentur, & *Ipſe* hilaritate animi ſui aliorum etiam triſtitiam facile condiret. Nemo tamen *Eum* ſecum colloquentem audivit de aliis rebus, niſi de iis, quæ ad utilitatem vel publicam, vel privatorum aliquid conferre poterant. Rixas cum aliquo committere, *Ipſi* erat, quod unguis in ulcere. Omnem potius lapidem movebat, ut lites, quæ inter alios exortæ eſſent, intercurſu ſuo componeret. Promiſſis *Suis* conſtantiſſime manebat, dictisque fidem faciebat.

Ubi operam atque ſtudium *Suum* alicui commodare poterat, ſemper animo erat præparato. Cum egeſtate conflictantibus conſilium manusque auxiliatrices lubentiſſime præbebat, ita ut ægrotantium quoque pauperum domus frequentiſſime circumiret, & quæ ad valetudinem eorum reparandam aliquid facere poterant, ipſis

ipſis ſuppeditaret. Et quemadmodum *Ipſe* a prima pueritia virtutis ſtudium ingreſſus erat: ita *Ejus* per omnem vitam ſectator erat atque cuſtos. Hoc igitur virtutis ſtudium, cum comitate & humanitate erga ſingulos conjunctum, efficiebat, ut quosvis ad *Sui* amorem excitaret, inque animos omnium penetraret, ita ut *Noſtri* quoque exemplo confirmatum fuerit quod dicitur:

Gratior eſt pulchro veniens e corpore virtus.

Toto itaque pectore omnes, quibus innotuerat, *Noſtrum* amplectebantur, ita ut nemo ſit, qui ipſi bene non voluiſſet; qui longiorem vitæ ejus terminum omnibus votis non expetiiſſet; qui propter præmatura *Ejus* fata os in mœſtitiam non flecteret; qui virum tam candidum tam humano generi natum, & qui tot egregia adhuc facinora edere potuiſſet, ſi lucis hujus uſura ipſi a DEO diutius fuiſſet conceſſa, non deploraret.

Sed ordo rerum, quas enarrare adgreſſi ſumus, nunc exigit, ut de *morbo*, quo *Vir Magnificus* non correptus ſolum, aſt proh dolor! oppreſſus etiam fuit, quædam recenſeamus. *Noſter* CRELLIUS, ceterum digniſſimus, qui ultra aquilæ ſenectam viveret, jam pluribus abhinc annis pectoris infirmitate laboravit. Violenta ſæpius, imo ſæviſſima *tuſſi* miſere fuit vexatus, quæ rabiem ſuam adeo extendebat, ut ſæpius ſimul ingeſta viſceribus vomitu reddere cogeretur. Hiſce tamen cum tædio conjunctis, viresque proſternentibus ſymptomatibus ſuperatis, ſtatim ad priſtinum vigorem rediit, ita ut officio ſuo fungi, & ſalutem ſuam *Sibi* committentibus quoque præſto eſſe potuerit. Et quamvis motus imbecillitatis, inclinatæque in deterius principia valetudinis ſenſiſſet, numquam tamen per ſexennium, quo apud nos vixit, vis morbi tam ingens *Eum* adorta eſt, ut lectulo affixus eſſe coactus fuerit. Vegetis enim erat viribus, corporis habitu ſatis robuſto, ſano & florido ſemper faciei colore, bona ciborum gaudebat adpetentia, ita ut ſpes haud inanis nobis relicta fuerit, fore ut valetudo *Ejus* procedentibus annis in dies confirmaretur,

magisque conſtans evaderet. Superiori autem hyeme, cum Vice-Rectoris munus vix ſuſcepiſſet, non tam belle ſe habuit, ſed morbus amplior fieri cœpit. Spiritum difficilem, tardum gravemque experiebatur, inprimis, quum loca acclivia inſcendenda, ſcalarumque gradus emetiendi *Ipſi* eſſent. Tuſſim illam inveteratam individuum ſimul comitem habuit, ita ut per ejus violentiam vires ſuas debilitari perſentiſceret, & propter interclusionem animæ ſæpius ſubſidere coactus fuerit. *Ipſe* igitur ὁ μακαρίτης, vir ſubacta prudentia, uſuque in arte ſalutari præditus, cuſtos propriæ ſalutis eſſe non oblitus: huic graviſſimo malo, quidquid in præſentiſſimis præſtantiſſimisque remediis habetur, objecit. Nec etiam inanem plane operam ſumſit, ſed per intervalla levationem atque detractionem moleſtiæ ægritudinis expertus eſt. Morbus tamen remediis cedere noluit. Vix enim dimidiam partem dierum menſis Aprilis emenſi eramus, quum huic malo *febris hectica*, ſive calor levis ac pulſus arteriarum juſto celerior, ſe adjungeret, viresque *Viri Magnifici*, jam ſatis debilitatas, funditus proſterneret. *Socero* itaque ſuo, *Laurentio* noſtro HEISTERO, Medico ſummo, ſalutem ſuam ſimul commiſit. Et ab illo equidem huic malo, pro ea qua pollet experientia in arte ſalutari, proque ſummo, quo beate defunctum proſequebatur amore, remedia optima propoſita ſunt. Sed quum non ſit in poteſtate medentium, impetum morbi tam exitiabilis, qualis hectica confirmata eſt, levare, & contra calorem hunc exſiccantem, celerioremque arteriarum micationem medicamina adferre; labor etiam magni noſtri HEISTERI hac vice irritus fuit. Mox enim adcedebant ſudores nocturni, quos *colliqueſcentes* Medici dicere conſueverunt, leniores primum, ſtatim vehementiores, quibus reliquæ vires adeo detritæ ſunt, ut *Vir Magnificus* corpus debilitatum lecto reponere, et in eo levamen aliquod quærere coactus fuerit. Cum igitur animadverteret, quod adeo ingraveſcente morbo corporis robur & firmitatem virium non haberet, ut munia Vice-Rectoratus, quæ

multas

multas curas, sollicitudines, animique distractiones secum ferre solent, rectissime (quod hactenus summa laude fecerat), obire non posset: die decimo Maji Virum Summe Reverendum, Dn. *Christophorum Timotheum* SEIDELIUM, Vicarium officii sui constituit, Ipsique Fasces academicos, Pallium, Sceptra, Sigilla, Matriculam, ceteraque ornamenta & supellectilem Vice-Rectoris tradi curavit. Die sequenti per ministrum Academiæ Eidem significavit, quod a munere Vice-Rectoris plane se abdicaverit ejusque curam omnem in Illum devolverit, quia satis perspectum habeat, sibi ex hac vita migrandum & ad στέφανον δικαιοσύνης, quam ὁ κύριος ὁ δίκαιος κριτὴς ἀποδώσει, ardentiori studio adspirandum esse. Tenerrimis simul, & aculeos in mentem infigentibus verbis, salutem Academiæ Juliæ Carolinæ, quæ Ipsi per hoc tempus sub pectore fixa fuerat, Eidem Summe Reverendo Viro commendavit.

Nunc igitur *Vir Magnificus* omnium rerum terrestrium deponebat memoriam, iterque quod Ipsi ingrediendum erat cœleste, unice meditabatur, & mortalitati suæ serio consulebat. Sacra cœna altera hebdomade, antequam vis morbi Ipsum lecto affigeret, una cum conjuge mœstissima, in ædibus divinis usus est. Hic enim animæ cibus atque potus, ipsi per omnem vitam desiderabilis fuit. Peccata igitur sua ita confessus est, ut eorum vere se atque ex animo pœnitere, omnemque spem sibi in gratia divina, per λύτρον Servatoris parta, vera fide constitutam esse ostenderet. Et hoc facto sacrosanctum Domini nostri Jesu Christi corpus atque sanguinem religiosissime accepit & de remissione peccatorum, gratia divina, & salute æterna per Christum adipiscenda, per βραβεῖον spiritus gratiæ obsignatus est. Cum tandem mortem in intimis visceribus imminentem sentiret, verbi divini ministrum accersi jussit, Virum summe reverendum & amplissimum, Dominum *Augustum* GESENIUM, Linguæ Græcæ Professorem in hac Academia celeberrimum, Ecclesiæ ad D. Stephani Archi-Diaconum,

num,

num, qui ſolatio verbi divini, & colloquiis de vita cœleſti & beato ex hoc mundo diſceſſu Ipſum erigeret. Fidei in Servatorem ſuum, ſpei vitæ æternæ, glorioſæ corporis reſurrectionis ἐν ὑμέρᾳ Ἰησοῦ χριστοῦ, pietatis atque religionis in DEUM, certiſſima & luculentiſſima teſtimonia, non morti ſolum proximus, ſed & dum in faucibus ejus hæreret, dedit. *Coſtæ conjunctiſſimæ, Illuſtri Socero atque Socrui, teneris adhuc liberis & ceteris cognatis*, animo ſemper bene conſtituto, mortisque arma prorſus ſpernente, vale dixit ultimum. Tandem menſis Maji die decimo nono, poſt auditam horam tertiam matutinam, inter preces, ſuſpiria, lacrymas atque lamentationes ſuorum, ſpiritum ſuum, vera fide Chriſti merito innixus, ſupremo Numini reddidit. Lumen hujus Academiæ Juliæ Carolinæ per ſex annorum & ſex menſium ſpatium fuit. In conjugio quinque annos, & quinque menſes vixit. Nobis deſideratus; deſideratus *Illuſtri Familiæ*. Ereptus eheu! nimis præmature amicis, artis ſalutaris ſtudioſis, orbi litterario, ægrotis, pauperibus, omnibus bonis. Sed vale noſtrum deſiderium! Sic enim jubet ſummi Numinis conſilium, ut vale *Tibi* quoque dicamus ultimum.



# MEMORIA

VIRI PRÆNOBILISSIMI, EXPERIENTISSIMI
ATQUE DOCTISSIMI

DOMINI

# IOANNIS FRIDERICI
# FÜRSTENAU

Utriusque Medicinæ Doctoris, Anatomiæ &
Chirurgiæ in Academia Rinteliensi Professoris
Publici Ordinarii,
Academiæ Naturæ Curiosorum
Faustini tertii,
*die XXII. Martii A.S.R. MDCCLI.*
præmatura morte e vivis erepti
ex funebri Pro-Rectoris & Senatus Academiæ
Rinteliensis
*Programmate*
decerpta.

Parentibus nihil profecto accidere potest gravius, quam si liberos amittunt, quos propter indolem, ingenium, eruditionem, sincere amant, quos in partem felicitatis suæ quamprimum venire cupiunt, quos venisse jam supra modum lætantur, & quos ad familiæ præsidium, vel senectutis oblectamentum, quam diutissime superstites esse cupiunt. Hæc una spes si quando fuerit optimos frustrata parentes, tristius in vita nihil videtur esse, aut luctuosius: ut quicquam sibi jam restare negent, quod olim ad miseriam domesticis funeribus summam addi possit. Est naturalis cuique insitus suorum amor, cujus exprimendi Latinis vix suppetit nomen, στοργὴν Græci vocant, ut filii vitam sua cariorem habeat, omnibus divitiis ejus valetudinem præferat, ejusque salutem quovis modo promovere studeat. Par est in omnes liberos hominum affectus, eademque pietas: habent in aliquibus tamen etiam peculiaris indulgentiæ caussas: &, salva charitatis æqualitate, quiddam est, quod dicere nequimus, per quod, tacito mentis instinctu, singulos rursum tanquam unicos amare consueverunt. Qui nobilissimas corporis & animæ præ se ferunt dotes, imaginem spiritumque ostendunt parentis, & maximam felicitatis futuræ spem faciunt: affectum simul excitant illum longe tenerrimum; ut ætas parentum jam ingravescens in eorum amore & adolescentia conquiescat. Sicubi exoptatam attigerunt metam, & immatura morte abripiuntur: tanto majorem illis oportet accedere acerbitatis querimoniam, & molestiorem fieri senectutem, quæ per se vulgo satis molesta & curis plena esse creditur. Animos perturbant sæpe casus adversi, & repentino affligunt dolore, ut, quo se tuto convertant, aliquando expedire nequeant. Ubi domesticus ex optimi filii obitu supervenit luctus, quotidiana, proh dolor! nos etiam docet experientia, deprimi & tantum non prosterni repente sapientes. Eoque difficilior ægritudinis solet esse levatio, quo gravior est clades viri

ri

ri in magno dignitatis gradu jam positi, suisque meritis ubique celebrati.

Gravem ejusmodi jacturam Doctoris & Collegæ fecit, tamque acerbum vulnus sensit Rinteliensis Academia, ac tanta FüRSTENAVII senioris afflicta fuit calamitate domus. Nudius enim quartus obiit, proh dolor! quem cum lacrumis reposcunt boni, Juvenis Vir Experientissimus, Dominus *Johannes Fridericus* FüRSTENAVIUS, Medicinæ Doctor & Professor ordinarius celeberrimus, qui in ipsa Musarum Rinteliensium sede natus pridie Kalendas Novembris MDCCXXIV. Patre Viro Experientissimo & Excellentissimo, Domino *Johanne Hermanno* FüRSTENAVIO, Medicinæ Doctore & Professore primario, & Oeconomiæ ordinario; Matre, virtutibus & genere Prænobilissima piaque Matrona, *Sophia Eleonora* BüSCHINGIA. Avus paternus fuit beatæ memoriæ *M. Johannes* FüRSTENAU, verbi divini minister in ecclesia cathedrali Herfordiensi; Avia paterna b. *Modesta Elisabetha* BARCKHUSIA; Avus maternus b. *Ludolphus* BüSCHING, verbi divini minister in ecclesia Hagensi Schauenburgica; Avia materna b. *Catharina Sophia* nata WALTERIA. Christianorum sacris, postquam in lucem editus, statim initiatus est, sponsore beato *Dom. Joh. Friderico* de WIESENHUTEN, Consiliario Cæsareo: eumque a teneris perquam sollicite Parentes optumis literis & moribus privatim & publice instituendum curarunt, eo quidem successu, ut optimæ indolis adolescens, qui profectibus & industria enituit, anno hujus seculi tricesimo octavo nomen profiteretur academiæ, & majorem sibi ad eruditionem & virtutem pararet aditum. Sic plerosque hujus academiæ proceres in literis humanioribus excolendis, & omnibus philosophiæ partibus, doctores habuit: in arte medica vero præsertim Parentis sui & Experientissimi Domini *D.* ZIEGLERI manuductione usus est. Quod cum ageret, nullum statuit labori modum: æquali-

bus facem quasi prætulit: inertibus, suaque negligentibus commoda, movit stomachum: omnes studio & assiduitate semper vincere contendit: maximoque cum auditorum applausu publice disseruit sæpius, & anno MDCCXXXX, sub Patris venerandi præsidio, unam *de methodo medendi*, & alteram *de initiis Typographia physiologicis*, disputationem defendit. Ejusdemque fidelissimo ductu, & ipse mira incitatus animi alacritate, longum iniit confecitque laudis plenum iter: res obscuras & abditas perscrutatus est diligenter: naturæ vires perquisivit ea, qua decet, cura: omnesque difficiliores & parum exploratas morborum caussas investigavit.

Sic auspicato tandem ipse praxin suscepit medicam, atque multis cumulatum laboribus magna cum laude potuit sublevare Parentem, qui & ipsum anno MDCCXLIII. ad patruum ægrotantem, præfectum Gronaviensem, misit. Hujus vita defuncti expeditis rebus œconomicis, iter literarium instituit per Transyselanum, Geldricam, & Ultrajectensem provincias, & semestri longius anno MDCCXLIV. Amstelodami commoratus, Medicorum & eruditissimorum quorumque virorum institutione & familiaritate gavisus est. Inde Roterodamum, Goudam, Hagam Comitis, Harlemum, atque Lugdunum Batavorum invisit, eaque omnia Fautorum doctissimorum, quos enumerare longum est, benevolentia perquisivit, unde sibi plurima & maxima doctrinæ commoda promittere potuit. Lugduno Ultrajectum se contulit, nec pauciores ibi invenit amicos, quorum providentia sibi comparavit, quæ usui olim & ornamento esse futura credidit. Porro Noviomagum, Coloniam Agrippinam, Bonnam, Confluentiam, Andernacum, Rhenofeldam, Moguntiam, Francofurtum, Hanoviam, Herbipolin, Norimbergam, Altorfium, Erlangam, Ienam, Erffurtum, Lipsiam, Halam,

Halam, Wittenbergam, Berolinum, Magdeburgum, Helmstadium, Brunsuigam, Hanoveram, urbes alias, multo cum fructu & studiorum incrementis, nec sine Virorum ubique celeberrimorum sibi reconciliata voluntate, perlustravit. Totius itineris admirandos profectus, proficiendi modum, amicitias, Venerandus Parens ipse ante lustrum, & quod excurrit, singulari programmate communicare nobiscum accuratissime voluit. Postquam sub finem anni MDCCXLIV. salvus lætusque domum rediit, anno sequente a. d. XVII. Kalendas Quintilis, Patre Experientissimo præsidente, & omnibus applaudentibus, disputavit inauguralem *de spasmo vesicæ* dissertationem, ac triduo post, etiam Patre, quantum felicitatis humanæ specimen! Promotore, summos in arte salutari honores, jura & privilegia obtinuit merito. Sic vitæ studiorumque consuetudinem junxit cum optimo parente, cui vitam, studia, omnia, juxta Deum, referebat accepta; & sensim magnus obsequium filii subsequebatur honor.

Simulac fama de Viri juvenis peritia & medendi facilitate percrebuit, in patria & passim graves atque luculenti homines propensa ad eum ornandum voluntate conspirarunt. Unde factum, ut ab *Augustissimo* & *Potentissimo Principe* ac *Domino*, *Domino* FRIDERICO, *Suedorum*, *Gothorum*, & *Vandalorum Rege*, *Hassiæ Landgravio*, reliqua, *Indulgentissimo Patriæ Patre*, anno MDCCXLVII. in hac alma ordinarius Anatomiæ & Chirurgiæ Professor constitueretur: quod munus certe honorificum solenni Oratione *de Anatomia a sordibus repurgata* a. d. V. Kalendas Sextilis auspicatus est, & plane ex animi voto, quoad

 vixit,

vixit, ornare ſummo ſtuduit opere. Scholas privatim & publice aperuit. Implorantibus medicam porrexit manum. Diſputantibus ſolenniter præfuit, aut contraria, ut vires accuratius exploraret, poſuit argumenta. Academicas exercitationes edidit anno MDCCXLVIII. *de alumine*, & *de antimonio crudo*. Pridie Quintilis MDCCXLVIII. diſſertatione, *de ſpina ventoſa valde ſpinoſa*, publicam feminei cadaveris indixit anatomen, perquam artificioſe fabricam, ſecto corpore, disjunxit, ſolertia inſigni venas & viſcera, ut ſolent, rimatus eſt: cauſſam principiumque nervorum, membra, & partium cum nexu habitum, qua fieri potuit, aſſiduitate & cura intuentibus demonſtravit. Anno MDCCXLVIII. programmate *empyema, natura ductu congruis præſidiis chirurgicis perſanatum & propriis manibus tractatum*, deſcripſit; videlicet primus Anatomiæ & Chirurgiæ Profeſſor a Potentiſſimo Suecorum Rege & Haſſiæ Landgrafio conſtitutus in alma Erneſtina anatomen, per Sexaginta fere annos ſilentem, & a venerando Parente pridem reſuſcitatam, ter, primam quidem ejusdem ductu Parentis inſtituit, & operationes ſimul chirurgicas in cadavere adornavit, alteram vero & tertiam ſicut in binis hiſce programmatibus publice indixit, ita & publice, nec ſine fructu, & plauſu philiatrorum frequenter affluentium, adminiſtravit. Ad exteros quoque ſtudii & experientiæ ſpecimina miſit, quorum in Actis Acad. Natur. Curioſor. Volumine octavo quatuor leguntur ſequentia: *de abſceſſu & ulcere genuum feliciter perſanatis*; *de arthritide vaga, ſingulari ratione, brevi temporis intervallo, ſanata*; *malum*

*iſchia-*

*ischiadicum, seu rheumatismus femoris; de affectu spasmodico & quasi maniaco per abscessum criticum, in dorso manus, sublato.* Neque solum ab eo tempore, ficto *Faustini III.* nomine, S. R. I. Academiæ Naturæ Curiosorum Collega, verum etiam anno superiori a Gœttingensibus Regiæ Societatis Teutonicæ, honoris gratia, membrum legi meruit. Proh dolor! vero, quæ rerum humanarum vicissitudo est, Amicus & Collega noster, qui aliis dedit consilia, qui laborantibus subvenit, qui omnibus exquisitam omnino industriam & expeditam medendi rationem adhuc probavit, in morbum nuper incidit lethalem, febrem catarrhalem malignam, qua, accedentibus paraphrenitide & motibus convulsivis, miserrime decubuit, ut semet ipsum nullo artis & scientiæ adiumento levare posset. Curam expertus est Experientissimi Patris, ecquis dubitabit? vere paternam. Sed vicit morbus & æquinoctio ineunte vernali, ipso ætatis vere & optimo flore, XI. Kalendas Aprilis, morbi duodecimo die, inter Parentum, Fratris, Sororum, devotissimas preces, lacrumas, pia suspiria, luctumque invincibilem, Vir doctus & integer, efflorescente fortuna, postquam sacramento cœlesti Patri & Servatori suam addixit animam, placide obdormivit, atque nunc, volente immortali Deo, medicinæ effectore, rerumque humanarum omnium arbitro, vitæ stabilis & securæ particeps, sempiternam hereditatem adiit, suoque hoc nimis præmaturo obitu denuo nos docuit, a morte etiam rapi juvenes prima florente juventa: &, cum nostrum nemo sciat, quam prope sit vitæ fini, sapientis esse, animam ita formare semper,

tan-

tanquam ad extrema jam venerit; res vero interim ſuas ita quoque inſtituere, ac ſi longius vivendum, & ſi quando fata nolint, meritorum laus atque fama tamen emori nequeat.



MEMO-



D. IOH. CHRISTIANVS KVNDMANN
*Medicus Vratislau. Caesareae S.R.I.*
*Academ. Natur. Curiosorum Epimenides*
*Nat. Ann. MDCLXXXIV D. XXVI. Octobr. Denat. D. XI. Maii Ann. MDCCLI.*

*I.M. Seligmann fecit Norimb.*

# MEMORIA

CINERIBUS
VIRI PRÆNOBILISSIMI, EXCELLENTISSIMI
AC EXPERIENTISSIMI

DOMINI

# IOANNIS CHRISTIANI KUNDMANNI

Philoſophiæ & Medicinæ Doctoris
Practici Wratislavienſis
&
*Imperialis Academiæ Naturæ Curioſorum*
*Collegæ digniſſimi*
dicata
SCRIPTORE

IOANNE ERNESTO STIEFF

Philoſophiæ & Medicinæ Doctore Practico Wratisla-
vienſi, & dictæ Academ. Nat. Curioſ.
Collega.

Medentium officia si tantum requirerent ægrotos visitare, eorum narrationes ac lamentationes audire, de morbo ejusdemque caussis quædam definire, pharmaca præscribere, in solamen miserum ægrotantium vel amicorum adstantium bonum eventum præsagire, tandemque si spes confisa confusa fefellerit, aut, si vires ad morbum superandum minus sufficiant, mortem futuram tristi nunciare vultu; certe Ars nostra longa *a*) brevi studio ediscenda esset. Sed longe alia facies est Artis salutaris: multas enim alias adhuc artes sororias *b*) probe discendas exposcit, sine quarum cognitione Medicus vix honorari *c*) dignus erit, nec unquam certe, tute ac jucunde medebitur. Ex Mythologorum invento dicitur etiam *Apollinea*, quæ fabula docet, ac nos exhortatur, ut omnes Medici APOLLINIS *d*), primi

*a*) Legi meretur elegantissima Commentatio ROLFINCCII in HIPPOCRATIS dictum: *Ars longa, vita brevis.*

*b*) De quibus egregie disserit *Joannes Antonius* SICCUS *de optimo Medico*, Venet. 1551. 4to.

*c*) Ecclesiast. cap. XXXVIII. v. 1. Τίμα ἰατρὸν πρὸς τὰς χρείας αὐτοῦ. HOMERVS Iliad. λ. ἰατρὸς γὰρ ἀνὴρ πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων. CICERO Epist. Famil. Lib. XIX. Ep. 9. *Curioni misi, ut Medico honos haberetur.* SENECA de Clementia Lib. I. c. 2. *Medicinæ apud ægros usus, etiam apud sanos honos;* & pluribus apud *Melchior.* GOLDASTUM in Paradoxo de honore Medicorum. Frf. 1620. 4. Cui addi potest SCHACHERI Diss. de honoribus Medicorum apud veteres. Lipf. 1732. CARPZOVII Diss. de Medicis ab Ecclesia pro sanctis habitis. Lipf. 1709. & SCHULZII Diss. de Medico vehementer laudari digno. Hal. 1735.

*d*) Filius *Iovis Hammonis ex Latona, Coei Titanis filia.* HESIODUS in Theogn. vide *Petri* MUSSARDI Historia Deorum Fatidicorum, Vatum, Sibylladum & Phœbadum, pag. 40. Genev. 1675. 4. CICERO Lib. 3. de natura Deor. *Cum tot Apollines fuerint, reliqui omnes silentur, omnesque res aliorum gestæ ad unum Apollinem, Jovis & Latonæ filium, referuntur.* Historiam nativitatis uberius explicuit HYGINUS Fab. LIII. CXL. & commentator MUNCKERUS in Mythographis latinis pag. 100.

primi Musarum Præsulis *e*), ac Medicinæ Parentis *f*), non tantum arte medendi, sed & multis quid? quod omnibus elegantioribus litteris *g*) inclarescentis & ex utroque hominum salutem promoventis, vestigia premere debeant. Respublica litteraria olim omnes fere litteras & præcipue, quæ nunc *humaniores* audiunt, sub Philosophia intelligebat; hinc ratio patet, cur nostræ Facultatis Doctores a præteritis ad hæc usque secula non solum in medicina, sed quoque simul in Philosophia renunciantur *h*).

Medi-

208–210. Amst. 1681. 8. maj. Conf. *Joan. Osopæi* BRETTANI Oracula Sibyllina p. 424. 425. Paris. 1599. 8. maj. & APOLLODORUS Atheniensis de natura Deorum, circa initium Lib. I.

*e*) *Lilius Gregorius* GYRALDUS in syntagmate de Musis. fol. 308. FULGENTIUS in Mythologico Lib. 1. 6. 14. fol. 131. 132. PHORNUTUS de Deorum Origine cap. 14. fol. 154. 155. Folia in hac notula citavi juxta Editionem horum scriptorum, quæ prodiit autore MYCILLO, Paris. 1578. 8.

*f*) OVIDIUS Lib. I. Metamorphos.

Inventum Medicinæ meum est, Opifexque per orbem
Dicor, & herbarum subjecta potentia nobis.

MUSSARDUS in Histor. Deor. p. 41 – 43. OMNYMI ἀπόλλωνα ἰατρόν. HIPPOCRATES in Jurejurando. MERCURIALIS in Arte gymnast. L. II. c. 3. p. m. 130. Venet. apud Juntas 1601. 4. HYGINUS Fab. CCLXXIV. & MUNCKERUS P. I. p. 308. Amst. 1681. *Apollo* nomen forte accepit ab arte sua, quæ homines a morbis liberat. Τὸν δὲ Ἀπόλλωνα ὡς ἀπολύοντα τα ἡμᾶς τῶν νόσων, ἢ ἀπελαύνοντα ἀφ' ἡμῶν αὐτὰς, ἢ ἀπολύντα, ταύτης τετυχημένα τῆς προσηγορίας &c. PHORNUTUS de natura Deor. cap. 32. in GALE Opusculis Mythologicis p. 223. seqq. Amst. 1688. 8. Aliam opinionem defendit ARATUS in Phænomenis cap. 41. ἀπόλλων latine *perdens* dicitur.

*g*) Legatur POMEY Pantheum mythicum p. 21. seqq. Fif. 1701. 8.

*h*) De Philosophia a Medicis ediscenda vid. SCHELHAMMERUS in Diss. de Medico Philosopho, Jen. 1640. 4. Ἰατρὸς φιλόσοφος ἰσόθεος HIPPOCRATES περὶ εὐσχημοσύνης, Cap. V. p. m. 23. Genev. 1657. fol.

Medici fama quidem multi, revera perpauci *i*); atque

> Fingunt ſe Medicos omnes, Idiota *k*), Sacerdos,
> Judæus, Monachus *l*), Hiſtrio, Raſor, Anus,
> Miles, Mercator, Cerdo, Nutrix & Arator,
> Lamia, Decoctor, Pharmacopola, Magus.

Vulgus quidem & imprudentium turba hos omnes atque Empiricos etiam aliquando magnis laudibus extollit, ſed variis ſæpe ante funera evaneſcentibus; quum e contrario gloria ex vera virtute progenita poſt funera maneat, & a dignis ſapientibus exaltetur. Multi præteritorum ſeculorum celeberrimi Medici vivunt adhuc in elegantiſſimis libris ac eruditorum ephemeridibus, quorum fama, niſi & in ſua arte, & in aliis litteris pari ſplendore inclaruiſſent, nequaquam immortalis foret. Si locus hic esſet, varios ex variis gentibus *m*) recenſere & præcipue DORNAVII, ELICHMANNI, SENNERTI, MONAVIORUM, KIRSTENII, SACHSII a LOEWENHEIM, SCHOLTZII, MAJORIS, KANOLDI, aliorumque Sileſiorum memoriam hic recolere posſem, quorum nomina ſi medentes tantum fuiſſent, dudum jam incognita periiſſent. Aſt ætas quoque noſtra adhuc eadem profert Ordinis Medicorum ornamenta, quæ artem ſalutarem & litteras

fol. Καὶ γὰρ οἱ ἐν τεχναίοι, ἢν προσῆν, ἀυτέοις τοῦτο, διὰ πάντων τουτέων προσπορεύοντε. *Qui enim artibus inſtructi ſunt, ſi iis hæc adſit, ad omnia aditum habebunt ampliſſimum.* HIPPOCRATES itidem. De Philologia Medicis neceſſaria vid. FRANCI elegantiſſima Diſſertatio, de Medicis Philologis. Witteberg. 1691. 4.

*i*) Οἱ ἰητροὶ φήμῃ μὲν πολλοὶ, ἔργῳ δὲ πάγχυβαιοι. HIPPOCRATES in Lege.

*k*) Legatur COTTA in Diſſertatione de Medico monſtroſo. Heidelberg. 1677. & RIVINUS de Medico ſuperſtitioſo Lipſ. 1698.

*l*) Vid. GOEZII Diſſert. de Theologis Pſeudo-Medicis. Lipſ. 1700. §. 8. ſeqq.

*m*) Quorum nomina in Centuriis quibusdam ex omni fere ævo collectis recenſet FRANCI in laudata Diſſ. *de Medicis Philologis*.

teras elegantiores simul excolunt, ac exinde magnos honores capiunt, & suis exemplis pleniorem rerum naturalium cognitionem Medico vere laudari digno necessariam utilemque esse ostendunt; quam veritatem venerandus COVS noster omnibus vehementer inculcavit *n*). Quo plures itaque inter medentes inveniuntur, qui scientiam naturalem & artes reliquas negligunt; eo digniori laude Viri, pro incremento artium & Physices lucubrantes, extollendi sunt.

His non immerito adnumerari debet Medicus Wratislaviensis celeberrimus ac longiori vita dignissimus, cujus meritorum memoria posteris quam maxime commendanda est, quod qualeque pretium virtuti statuendum Quirites bene censuerunt, cujusve obitum universa Respublica litteraria luget. Luget simul Germania, inprimis dulcissima Patria, amplissima Silesia, obitum Civis Excellentissimi, civium salutem arte medendi promoventis, & reliquum tempus ita studiis consecrantis, ut scriptis editis de re numismatica, genealogica, naturali ac antiquaria, nec non in mirabilibus naturæ colligendis mirum in modum generi humano & erudito & curioso inserviret. Luget quoque Illustris nostra Academia Cæsarea obitum Collegæ vere curiosi ac doctissimi.

Quis non ex his saltem lineis agnosceret imaginem JOANNIS CHRISTIANI KUNDMANNI? Aequum ideoque & vere dignum est, ut nostra Academia Membro dignissimo, Physico

 insigni

*n*) Ἐπεί τοί μοι δοκέει ἀναγκαῖον εἶναι παντὶ ἰητρῷ, περὶ φύσιος εἰδέναι, καὶ πάνυ σπουδάσαι, ὡς εἴσηται, εἴπερ τι μέλλει τῶν ὁ δεόντων ποιήσειν. *Mihi sane necessarium videtur, ut omnis Medicus de natura sciat, & omni studio annitatur, ut cognoscat, si modo aliquid eorum, quæ fieri debent, recte præstare velit.* HIPPOCRATES de Vet. Medic. p. 35. Genev. 1657. fol. Πειρῶ γὰρ φυσικὸς εἶναι πρὸς τῦ ἀνθρώπου τὴν ἕξιν καὶ τὴν ἰσχὺν ὁρῶν. *Conare ut Physicus sis, ad hominis habitum & robur respiciens.* Id. de Sterilibus p. 635. 6.

insigni, in monumento justa fieri decreverit. Si vero meo me pede metior, in me non tantum ingenii esse, quo laudes KUNDMANNI, Collegæ nostri, pro merito extollere queam, ingenue fateor. At mutuus, qui inter vivos erat, amor, triste hoc munus suscipere imperat, & si vires meæ KUNDMANNUM nostrum specioso penicillo depingere haud sufficiant, levi tamen tentamine pectoris mei cultum publice testari, & amico defuncto ultimam persolvere pietatem sufficiet.

Antequam id faciam, gratitudinis officium nunc postulat, ut Illustri Academiæ, præsertim Præsidi incomparabili, Viro de re litteraria meritissimo, ac Medico felicissimo, gratias agam decentissimas, quod de qualibuscunque industriæ meæ speciminibus in lucem missis benevole judicare, meque inter tot Reipublicæ litterariæ lumina recipere voluerit, quem singularem honorem ex Diplomate gratiose transmisso significatum cordate veneror, nilque magis in votis habeo, quam ut summum Numen ad adimplendum quodammodo institutum laudabile Illustris hujus Collegii vires & annos mihi concedat. Quod reliquum est, non possum non, quin Illustri Nostræ Academiæ de secularibus Fundationis Cæsareæ nunc felici cum omine celebratis summo cum affectu congratuler atque simul, pia mea vota cum aliis jungens, semper nova perpetuaque incrementa Illi adprecer, quibus per innumeros adhuc annos ad ampliandas scientias crescat, floreat, vigeat!

Quemadmodum a primis orbis conditi temporibus plurimi terrarum incolæ id magni habebant, si ex generosa prosapia progeniti fuerint: sic etiam hodie nepotum gloria augetur, si ex familia Atavorum de Republica bene meritorum progerminent; quod quidem nunquam sane negabitur, si modo nepotes propria virtute gentis suæ merita adaugeant, seque tantis atavis dignos faciant, nam

miserum est, alienæ incumbere famæ.

Noster

Noster KUNDMANNUS, nunc æterna felicitate gaudens, jam inter vivos adhuc rara hac felicitate, quod generosa sua propagine & generosa sua indole inclaruerit, gavisus est. Progenuit Illum celeberrima Regia Wratislavia A. R. S. MDCLXXXIV. die XXVI. Octobris ex parentibus ibidem honoratissimis, *Joanne Samuele*, superiore excubiarum Præfecto Civico, ac Seniore Tribus Destillatorum, & *Regina* ROTHERIA, qui egregiis animorum dotibus, & præsertim Jubilæo gamico, Anno MDCCXXXIII. publice celebrato, memoriam suam bene servarunt. Nisi propriis laudibus splendesceret Defunctus Noster *Joannes Christianus*, quibus hæ pagellæ destinatæ sunt, multa proferre possem de meritis KUNDMANNIORUM per tria jam jam secula in defendenda republica, in officiis aulicis, in muneribus ecclesiasticis, in tuendo jure ac æquo, in arte salutari, in commerciis & in œconomia ampliandis clarorum & cognitorum. Ne vero Gentis *Kundmannianæ* parentum lustra silentio transeam, nomino hic *Ulricum* KUNDMANNUM, exeunte seculo XV. Consulem Cosnitziensem & rei ædificatoriæ ibidem Directorem, invento suo, *die Holtz-Sparkunst* dicto, satis celebrem; porro *Tobiam* KUNDMANNUM, Ecclesiæ Evangelicæ Pastorem Neudockiensem in Circulo Bohemiæ Ellenbogensi; item *Samuelem* KUNDMANNUM, Centurionem Cæsareum & Præfectum Præsidii in Castro Tœpelsgrunensi; cujus frater fuit *Tobias*, Præfectus Oeconomiæ in terris Comitum de Schlick & Ravenstein; deinde *Sylvestrem* KUNDMANNUM, Hæreditarium in Wentzelsdorff Bohemiæ pago, & in Wœlffnitz prope Dresdam, Archiatrum Electorum Saxoniæ, arte salutari & variis scriptis clarissimum; cujus soror *Maria* maritum habuit *Joannem de* BROY, Consiliarium Mecklenburgensem & altera *Rosina* nupta Dn. de WEYHER, Præfecto Præsidii Castri Querfurtensis progenuit *Ludovicum* de WEYHER, Præfectum cohortis Saxo-Gothanæ; denique etiam nomino A-

vum

vum Noſtri Defuncti, *Joannem* KUNDMANNUM, filium *Sylveſtris*, Paſtorem Holdenſtætenſem in Thuringia & Ephorum Electoralem Danſtætenſem. Inclaruerunt adhuc alii KUNDMANNI, de quibus vero brevitatis cauſa nil dicam *o*).

Noſter Primogenitus inter VII. fratres, non interrupta ſerie natos, ab optimis ac officioſiſſimis parentibus ſacro baptiſmatis lavacro luſtratus, & ſingulari amore, cura ſtudiove ab ipſis proſecutus, quum ætas id permitteret, præceptori domeſtico ad prima pietatis capita, artiumque rudimenta capienda committebatur, qui omnem ſollicitudinem ad formandum puerum adhibuit, ut aptus anno MDCXCV. poſt feſtum Paſchatos inter diſcipulos Gymnaſii patrii Wratislavienſis Magdalenei a Magno Polyhiſtore Rectore *Chriſtiano* GRYPHIO receptus, ea, quæ ibi docebantur, arriperet, comprehenderet, ac felici ſua memoria recte retineret. Exiſtimabant quidem ſine dubio laudatiſſimi parentes puerum mercaturæ aliquando adplicandum, quapropter etiam ille a *Joanne* ERNESTO, publice in patria linguam Polonicam tradente, hanc linguam, ob viciniam Poloniæ mercatoribus ſumme neceſſariam, ediſcebat. Sed hoc parentum providentia divina poſtea mutavit propoſitum. Interim ſemina doctrinæ cerebro juvenis enata ac diſciplina tam ſcholaſtica, quam domeſtica, ceu in agro fertili, bene culta, ita optime creſcebant, ut poſtmodum adoleſcens KUNDMANNUS ſtatim magnam vim ingenii, non ſub craſſo aëre nati, oſtenderet, ſuisve condiſcipulis ſemper diligentia ac docilitate præiret; labores enim peragendos animo jucundo adgreſſus eſt ac indefeſſo pertractavit, ſecum vehementer reputans regulam, quam princeps Poëtarum reliquit:

Tu

*o*) Recenſentur a venerando Patre, *Chriſtiano* STIEFF, *in dem Kundmanniſchen Geſchlechts- und Ehren-Gedächtnis*, quod inſertum legitur in *D. Joh. Chriſt.* KUNDMANNI Nummis Jubilæis, p. 93-120. 1735. 4.

Tu modo, quos in ſpem ſtatues ſummittere gentis,
Præcipuum jam inde a teneris impende laborem.

In inferioribus præceptores habuit *Chriſtophorum* WIMMERUM, *Theodorum* LEUBSCHERUM, *Andream* TITIUM, *Joannem Jacobum* SCHüTZIUM, *M. Joannem* GRüNWALDUM & *Jeremiam* GOTTWALDUM, Viros ad erudiendam juventutem natos, & de diſciplina meritos bene; in ſuperiore claſſe in Philoſophicis, Phyſica, linguis latina & græca, Poeſi, Hiſtoria, Theologia & artibus *Simonis* TITII, *Godofredi* POHLII, *Godofredi* KüPFENDERI & magnorum Virorum, *Chriſtiani* GRYPHII & *Caſparis* NEUMANNI de republica litteraria meritiſſimorum, doctrinas & tunc, & ad ultimum vitæ usque halitum grata mente veneratus eſt.

Horum Doctorum gymnaſticorum ſuaſu parentes Juvenem noſtrum muſis totum tradiderunt, & ut providentia illum ad munera Theologorum deſtinare vellet, optarunt. Aſt infirmitates quædam corporis tunc gracilis ac debilis & ſigna mali hypochondriaci imminentis, quibus motu corporis ac exercitiis equeſtribus, ſaltatione, ſalitione, equitatione & arma gerendo *p*) præveniendum erat, in Juvene in his artibus excellente naturam non eſſe cogendam, ſed ſequendam, docuerunt. Inprimis ex ſingulari inſtinctu ad artes medicas colendas ediſcendasque peculiarem iniebat amicitiam cum *Joanne Georgio* RIESMANNO, Medicinæ Candidato tunc Wratislaviæ commorante, cujus ductu ab anno MDCCVII. animum ad cognitionem corporum animalium quorumdam anatomicam ac phyſicam attente adplicuit.

Factis igitur egregiis progreſſibus in ſtudiis gymnicis magnam ſpem præ ſe ferebat KUNDMANNUS Noſter, & a parentibus, ſua deſideria ad voluntatem providentiæ dirigentibus, An-



*p*) Has artes, quas Græci *gymnaſticas* adpellabant, omnibus futuris Medicis valde commendat *Joannes Antonius* SICCUS in Schediasm. de optimo Medico, Venet. 1551. 4. fol. 7.

no MDCCV. menſe Aprili Francofurtum, ad altiora ſtudia proſequenda, mittebatur. Ibidem amicum exoptatum tunc Doctorem Medicinæ RIESMANNUM amplexus eſt, qui Oſteologiam ex ſceletis humanis in theatro publico ibidem anatomico Illum docebat. Verum enim vero variis commotus rationibus celeberrimam hanc Muſarum ſedem mutavit, & ſalutata Regia Boruſſica, Berolino nempe, ibidemque pompa funerali, Cineribus Magnæ DOROTHEÆ dicata, omnibusque rebus attentione dignis perluſtratis, Spandavia, Brandenburgo & Magdeburgo peragratis, Halam ſe contulit. In hac florentiſſima Fridericiana Academia non voluptatibus aut otio ætatem lætiſſimam traduxit; ſed amore diſcendi captus, nec gravitate ſtudiorum deterritus, publice & privatim Profeſſores diligentiſſime audivit, ac die ad erudiendum ſibi minus ſufficiente, partem etiam noctium lucubrando conſumſit. Ab ornamento reipublicæ litterariæ Principeque Medicorum Germanorum immortali laude digniſſimo *Friderico* HOFFMANNO in Phyſicis & experimentis, in Geographia medica, in Chymia experimentali, in materia medica & in medicina forenſi eruditus, miros ſimul ex prælectionibus anatomicis, phyſiologicis, chirurgicis, pathologicis, therapeuticis, chymico-experimentalibus & practicis celebratiſſimi STAHLII profectus faciebat. In Philoſophia, Hiſtoria aliisve ſcientiis, erudito futuro non vulgari neceſſariis, Doctores ſibi elegit viros ibidem magnificos, præcipue *Samuelem* STRYCKIUM, *Chriſtianum* THOMASIUM, & GUNDLINGIUM. Matheſin Medico, qui non empiricum agere vult, deſideratiſſimam, &, ut GALENUS docet, demonſtrandis propoſitionibus medicis utilem, excitando & poliendo ingenio aptam, ab Illuſtri Cive noſtro WOLFIO audivit.

Sic Collega noſter conjunctiſſimus idem dicere potuit, quod GALENUS de ſe fatetur: *Non ex libris didici, ſed præſtantiſſimis in unaquaque Secta præceptoribus uſus ſum.*

Semper

Semper in cursu vitæ academicæ Nostro KUNDMANNO magna fuit cura, ut absterſa inſcientiæ rubigine animum plurimarum rerum ſcientiis imbueret, in quibus ſane tam proſperos fecit progreſſus, ut triennio fere abſoluto in tentaminibus conſuetis, a gratioſa Facultate Medica Hallenſi inſtitutis, talem ſe gesſerit, qualem ſperaverat gratioſus hic Ordo. Præmio laborum Doctorali dignus credebatur, quod tamen tunc recuſavit. Sicuti autem apes, non uno florum genere contentæ, melleum rorem undique legunt, & pro futura neceſſitate in alvearia condunt: ita Noſter KUNDMANNUS ingrediente Anno MDCCVIII. egregiis jam imbutus ſtudiis, peregrinationem litterariam inſtituere decrevit, ut quicquid eximium ac memorabile in aliis terris occurreret, in animum conderet in tempore ac re profuturum, maxime vero, ut doctorum virorum amicitiam ſibi conciliaret; quem ſcopum ſibi firmiter præfixum, ſtudia ſua magis magisque perpoliendi & a quocunque loco non niſi doctior recedendi, gravisſime tendit.

Iter ideoque litterarium aggreſſus, in Eislebia præſertim rariora B. LUTHERI manuſcripta, memorabilem ſuppellectilem rerum naturalium Bœtticherianam, metallifodinas, fabricas ærarias nitrariasque in hiſce viciniis viſendas, deinde ſalutato Quedlinburgo, famigeratiſſimam cavernam Baumannianam & Caſtrum montanum *Rhein* vel *Regenſtein* dictum, oculis attentis perluſtravit. Volebat etiam mirabilia Andreasbergenſia & reliqua montium Hercyniæ viſitare, ſed a providentia per amicos fideliter admonitus, ne in manus graſſatorum caderet, alia iter continuavit via, nempe per Halberſtadium, Derenburgum & Wernigerodam Goslariam venit, atque ſimul ſpecus Clausthalienſes, Zellerfeldenſes, &c. earumdemque memorabilia ſubterranea & laboratoria æraria vidit.

Excurrit poſtea, per aliquot tempus prius Guelpherbiti,

Saltzdalæ, Brunſuigæ, Hannoveræ ac Osnabrugii commoratus, ad Amſtelodamenſes & Lugdunenſes muſas, ubi Excellentiſſimos viros RUYSCHIUM, COMMELINUM, BIDLOUM, & HUTTONEM publice privatimque frequentavit, *Levini* VINCENTII inſignem ac ſpecioſiſſimum conchiliorum, rerumque naturalium adparatum plus vice ſimplici luſtravit, &, his Viris aliisve luminibus orbis eruditi familiariter uſus, multum in ſtudiis phyſicis profecit. Contigit etiam Illi prope Harlemium rara occaſio, quod veram plumbi & Mercurii per pulverem alchymicum transmutationem in aurum factam, viderit, & ipſe quaſi manibus palpaverit, de qua verba STAHLII allegare merentur in Programmate propemptico ita ſcribentis: *Neque vero tacendum, quod peculiari fato ſuis oculis conſpexerit non ſolum verum effectum transmutationis ignobilis metalli in aurum purum, exigui pulvilli injectione, cito perpetratum, ſed etiam, duarum propemodum unciarum hujus ex largitione ejusdem artificis particeps factus ſit q)*. Delphi cum Illuſtri LOEWENHOECKIO, Phyſico æterna memoria digno, collocutus eſt, & Hagæ Comitum a D. *Joanne Friderico* HELVETIO ſingularia humanitatis teſtimonia haud ſine grata mente accepit. Per Roterodamum & Ultrajectum Amſtelodamenſe oppidum iterum adiit, & alias Hollandiæ ſeptentrionalis civitates celeberrimas peragravit. Lubido KUNDMANNUM Noſtrum quoque invaſit Hamburgum, ſplendidiſſimum Muſarum ac mercaturæ hoſpitium, videre; ſed interruptum fuit hoc iter per piratas Gallicos idem mare pervaſtantes. Amiciſſime igitur monitus per Præfectum navis præſidialis Bremenſis, cum illo Bremam contendit, & in hujus domicilio ſingulari cum favore receptus ibi omnia viſu digna contemplatus eſt. Tandem Verdenium adiit ac ad Hallenſes muſas non vul-

q) De quo uberius differit Autor in *Rarior. natur. & artis, oder Seltenheiten der Natur und Kunſt wie auch in der Artzeney-Wiſſenſchaft*, p. 624 – 630.

vulgari ſcientia rerum naturalium repletus bonis avibus rediit.

Ibidem Lauream Doctoralem, bene promeritam, ab Ordine Medicorum humaniter petiit, qui ei Diſſertatione Præceptoris celebratiſſimi, *Georgii Ernesti* STAHLII, *de Regimine*, Anno MDCCVIII. die XXV. Septembris ſtrenue antea defenſa, lubens illam contulit. Paulo poſt Hallenſibus ultimum vale dicens et Lipſiæ per aliquod breve tempus commoratus ac menſe Octobri ejusdem Anni in patriam Wratislaviam proſpere reverſus, dulci parentum agnatorumque ſuorum amplexu iterum gaviſus eſt.

In hac peregrinatione non otio aut libidini ſe dedit, nec exoticorum in veſtitu, cerimoniis, luxuria & fuco adfectatos ac inanes mores adſumſit, quod Lacedæmoniis olim & plurimis noſtri ſeculi peregrinatoribus vitio nunc vertitur; nec urbium & civitatum ſitus tantum exploravit; ſed ſi quid memorabile inveniret, cognovit, ſi quid fœdum & aſperum animo inſedit, expolivit ac exaſciavit; ſi quid ſibi patriæque uſui egregio aliquando eſſe vidit, addidicit ac laudabilem itineris litterarii ſcopum digna vivendi norma, ſtudiis indefeſſis, & frequenti converſatione ac familiaritate cum Viris eximiis obtinuit.

Felici omine itaque redux, animum quovis ſcientiarum, præſertim medicarum ac naturalium genere, quas non niſi cum vita depoſuit, non leviter tinctum, ſed penitus imbutum, ſtatim ad praxin clinicam adplicuit, & dulciſſimos inde laborum ſuorum fructus legit. Aegrotis, qui conſilium ejus implorabant, non ſolum ſalutares manus porrexit, ſed etiam generi humano ſua indefeſſa diligentia colligendo, perquirendo, deſcribendoque mirabilia naturæ ac pertractando materias ſcitu neceſſarias jucundasve, mirum in modum inſervivit. Dum itaque Inclutæ Metropoli patriæ inſigni honori, Reipublicæ litterariæ magno emolumento, ſuis firmo præſidio & ægris præſentaneo auxilio fue-

rit, fama nomenque KUNDMANNI magis magisque ſplendeſcere cœpit.

Amor ſtudiorum adeo Collegam Noſtrum inflammaverat, ut annos vitæ non otio transegerit, ſed quamprimum intermiſſio laborum ordinariorum daretur, vel libris inhæreret, vel tempus ad commercium litterarium cum Viris eximiis, præſertim de hiſtoria naturali, extra & intra Germaniam inceptum ſeduloque continuatum, impenderet, vel obſervationibus ac perquiſitionibus rerum mirabilium, quibus ſe totum dicavit, conſumeret, vel hiſtoriæ patriæ genealogicæ, numismaticæ ac litterariæ dicaret, quam in variis partibus egregie ampliavit & explicuit. Extant operum ejus monumenta multifariæ doctrinæ, clariſſimum nomen ab interitu & ab oblivione gratæ poſteritatis vindicatura.

Quemadmodum decet Medicum eſſe pium & religioſum; ſic etiam ſemper Deum cultu ſevero veneratus eſt autorem omnis ingenii ſui excellentiæ, atque ideo calamum ſuum primo exercuit ad amplificandam veram religionem gloriamque divinam. Quo igitur & ſuam & aliorum pietatem excitaret, edidit Anno MDCCIV. in 12mo. *Geſammelte Abendmahls-Betrachtungen, oder Verkündigung des blutigen Leidens und Sterbens Jeſu Chriſti.*

Nec minus orbi litterato vires ſuas oſtendit in doctrinis philoſophicis per egregium ſcriptum, Anno MDCCXV. in 8vo editum, *Abhandlung vom Verſtande des Menſchen vor und nach dem Falle;* cujus libri adplauſus publicus alteram editionem poſtulavit, quæ Anno MDCCXX. Wratislaviæ prodiit multis additionibus aucta, præſertim *mit einer Abhandlung vom Unterſchiede des menſchlichen Verſtandes,* in cujus Præfatione ad dubia circa hanc materiam ab aliis mota ſufficienter reſpondit.

Anno MDCCXVII. celebratiſſimi Medici Wratislavienſes triumviri, KUNDMANNUS Noſter, *D. Joannes* KANOLDUS, & *D.*

& *D. Joannes Georgius* BRUNSCHWITZIUS auctores collecto-resve eſſe cœperunt utiliſſimarum Obſervationum Phyſico-medico-litterariarum, quæ ab anno MDCCXVII. ad MDCCXXVI. in XXXVIII. Tomis & IV. Supplementis in 4to prodierunt, ſub titulo: *Breslauiſche Sammlungen von Natur. und Medicin- wie auch hierzu gehörigen Kunſt- und Litteratur- Geſchichten, ſo ſich in Schleſien und in andern Ländern begeben r).* Poſt aliquot annos aliorum ſtudiorum & praxeos clinicæ ratio non permiſit, eodem fervore, ceu reliqui Experientiſſimi Medici, BRUNSCHWITZIUS & KANOLDUS fecerunt, idem Diarium tanquam editor ulterius continuare; ſed, non obſtantibus illis impedimentis, ſanas ſuas obſervationes, lectu digniſſimas, cum Collegis ibi inſerendas communicavit, quæ hinc & inde in memorata collectione inveniuntur ac de ſcientiis Autoris Nobiliſſimi phyſicis & antiquariis ſuperflue teſtantur.

Memoria celebratiſſimorum quorumdam Civium Wratisla- vien.

r) Ratio hujus Collectionis, ſatis nunquam laudandæ, exponitur in den *Leipziger gelehrten Zeitungen* Anno 1717. Num. 35. pag. 280. Num. 64. p. 515. Num. 104. p. 859. Anno 1719. Num. 77. pag. 615. in LEUPOLDI Theatro machinar. cap. IV. p. 58. *In der Fortſetzung derer gründlichen Nachrichten von den Journalen, Ephemeridibus, und Monaths-Extracten,* Cap. III. p. 80. ſeqq. & in Miſcellan. Lipſienſ. Tomo V. p. 250. ſeqq. Ex hoc Diario egregio multæ obſervationes ac relationes ibi inſertæ nunc ab exteris in Gallicum & Italicum idioma translatæ fuerunt, id quod publicum ac communem adplauſum ſatis teſtatur. Illuſtris noſtræ Academiæ Præſes, Dn. *Andreas Elias* BüCHNER, idem Diarium eodem fervore ac exquiſito ſtudio continuavit per annos 1727. & 1728. in duobus Tomis, ſub titulo: *Miſcellanea Phyſico-mathematico-medica, oder, angenehme Nachrichten von Phyſical- und Mediciniſchen wie auch Kunſt- und Litteratur- Geſchichten &c.* & totam hanc Collectionem adhuc utiliorem reddidit Indice ſuo generali, qui prodiit Anno 1736. ſub Tit. *Vollſtändiges Univerſal-Regiſter über alle 38. Verſuche und 4. Suppl. der Sammlungen der Natur und Medicin- wie auch Kunſt- und Litter. Geſchichte,* in 4.

vienſium ne poſteris plane incognita maneret, omnem operam adhibuit in colligendis atque conficiendis Biographiis, quas clariſſimo Medico Quedlinburgenſi, *Chriſtiano Polycarpo* LEPORINO, in ſuam collectionem inſerendas miſit. Viri de republica & de litteris meritiſſimi, quorum vitas laudatus KUNDMANNUS deſcripſit, ſunt: Dn. *Samuel de Königsdorff*, Conſiliarius Cæſareus & Syndicus Wratislavienſis; Dn. *Ferdinandus Ludovicus de Breſsler & Aſchenburg*, Sacræ Cæſareæ Majeſtati a Commerciorum Conſiliis in utraque Sileſia, nec non Senator Wratislavienſis; Dn. *Chriſtophorus Seidel*, Primarius Senatus Wratislavienſis Secretarius; Dn. *M. Caſpar Hornig*, Paſtor Wratislavienſis Magdaleneus & Conſiſtor. Adſeſſor; Dn. *Joannes Sigismundus Bræſtedt*, Paſtor Bernhardinus Wratislavienſis & Præpoſitus ad D. Spirit. Sancti ac Conſiſtorii Adſeſſor; Dn. D. *Godofredus Mayerus* & *Dn. D. Godofredus Benjamin Preuſs*, Practici Wratislavienſes & Academiæ Naturæ Curioſorum Collegæ digniſſimi.

Non ſine ſumptibus, ſtudio & digna cupiditate collegit Nobiliſſimus Dn. Collega Noſter numeroſam ſuppellectilem, ex Sileſia aliisve provinciis, minerarum, petrefactorum, conchyliorum, aliarumque rerum mirabilium naturalium, ac artefactorum, ſimulque numismatum rariorum, quæ Ipſi exoptatam occaſionem dedit ſtylo latino conſcribendi & edendi Anno MDCCXXVI. in 4to *Promptuarium rerum naturalium ac artificialium Wratislavienſe*, in quo publicas & privatorum collectiones mirabilium aliasve res memorabiles, in metropoli Wratislavia conſpiciendas, multa cum induſtria recenſet. Idem colligendi ſtudium per omnem ætatem ſuam usque ad ultimos vitæ annos ſedulo continuavit, quo factum eſt, ut eadem ſua ſuppellex numeroſior ſemper & ſpecioſior evaderet. Hinc exteri & Wratislavienſes litterarum cultores, ut Nobiliſſimus Dn. Autor idem *Promtuarium* denuo cum ſupplementis ederet, optarunt, quod

Auto-

Autoris institutum mors intercepit. Nunc hæredes sui egregiam hanc Collectionem auctionis lege vendere constituerunt, & Catalogum typis impressum cum orbe litterato proxime communicabunt.

In lucem igitur editi labores egregii, singularis eruditionis ac diligentiæ suæ testes, nomen KUNDMANNI Nostri tam clarum reddiderunt, ut ab Illustri nostra Academia Imperiali unanimi consensu in numerum Naturæ Curiosorum Wratislaviensium reciperetur & ab Illustri Dn. *Luca* SCHROECKIO, Præside Academiæ & Medico Augustano famigeratissimo, per diploma die VII. Januarii Anno MDCCXXVII. sub nomine EPIMENIDIS publice membrum renunciaretur; qui sane singularis honos Dn. Collegæ Nostro nunc pie defuncto calcar semper fuit, generi humano ac Reipublicæ litterariæ scientiis ac industria magis magisque inserviendi. Spem quoque de sua eruditione ab Illustri Nostra Academia conceptam laudabiliter adimplevit, & nostrarum Ephemeridum continuationes variis dignissimis observationibus adauxit, quæ sub ejus nomine hinc & inde insertæ beati Autoris memoriam prosperam servabunt.

Porro ex Nummophylacio suo Historiam numismaticam, præsertim Silesiorum, industrius locupletavit, auxit & explicuit, atque simul in scriptis de hac materia promulgatis, copiosam cognitionem & singularem industriam monstravit. Edidit Anno MDCCXXXI. in 4to. *Nummos singulares, oder sonderbahre Thaler und Müntzen, so oft vvegen einer kleinen Marque oder curieusen Historie, oder fabelhaften Mährgen von den Müntz-Liebhabern hochgeschätzt vverden.* In quo libro Anno MDCC-XXXIV. iterum cum addidamentis recuso, multas fabulas & nugas de nummis quibusdam multo cum judicio exposuit atque refellit.

Jubilæum Gamicum, a Parentibus charissimis Wratislaviæ

Anno MDCCXXXIII. rara felicitate publice celebratum, excitavit filium, Collegam Noſtrum, edendi Anno MDCCXXXV in 4to. *Nummos Jubilæos, oder Jubel-Schauſtücke, ſo nach funfzig-jähriger Hochfürſtlicher Regierung, vvichtigen Amts-Würden und Hochzeiten zum Vorſchein kommen*; quod ſcriptum, ob res memorabiles in eo explicatas, omnibus rei nummariæ indagatoribus utile eſt. Idem Jubilaeum Gamicum Venerando Patri, *Chriſtiano* STIEFF, cujus obitum adhuc lugeo, exoptatam præbuit occaſionem in ſtemmate Genealogico Familiæ Kundmannianæ, *Nummis Jubilæis* & *Sileſiis in Nummis* inſerto, ſua pia vota cum aliorum votis jungere & amorem, quo coluit filium KUNDMANNUM Noſtrum, publice teſtari.

Deinceps beatus KUNDMANNUS ea, quæ in DEWERDECKII *Sileſia Numismatica* Autor, rerum Sileſiacarum, inprimis numiſmaticarum, gnariſſimus, vel omiſit, vel poſtea noviter innotuerunt, tanquam continuator horum laborum ſupplere decrevit; quapropter edidit Anno MDCCXXXVIII. in 4to. Librum ſub titulo: *Sileſii in nummis, oder berühmte Schleſier in Müntzen, vvelche durch groſe Helden-Thaten, durch hohe und vvichtige Amts-Würden oder durch Gelehrſamkeit und Schriften ihren Namen unvergeslich gemacht haben*; in quo egregio ſcripto multas genealogias clariorum familiarum Sileſiacarum induſtrius collectas publici juris fecit, & memorias virorum de utraque republica bene meritorum optime recoluit.

Prodiit poſtea Anno MDCCXLI. in 4to. alterum ſupplementum, ſub titulo: *Academiæ & ſcholæ Germaniæ, præcipue Ducatus Sileſiæ, cum Bibliothecis, in Nummis, oder die hohen und niedern Schulen Deutſchlandes, beſonders des Hertzogthums Schleſien mit ihren Büchervorräthen in Müntzen, vvie auch andere ehemals und jetzo vvohl eingerichtete Schulen dieſes Hertzogthums, dem ein Anhang alter rarer Müntzen, ſo bey Grundlegung des Hoſpital-Gebäudes zu Jauer 1726. gefunden, beygefüget.*

Tan-

Tandem tertium ſupplementum ad labores Dewerdeckianos lucem adſpexit Anno MDCCXLII. in 4to. ſub titulo: *Heimſuchungen GOttes in Zorn und Gnade über das Hertzogthum Schleſien in Müntzen;* in quibus duobus poſtremis libris multa nova ſcitu neceſſaria non tantum protulit, ſed etiam varia jam cognita & alibi prolata ex autoribus addidit. His ſubjunxit *eine Abhandlung von einer zu edirenden Hiſtorie derer Gelehrten in Müntzen.* Ex numeroſo ſuo adparatu nummario, qui antea DCCCCXIV. nummos ſiſtens, ad MCCXC. auctus excrevit, memorias Virorum eruditorum, in quorum honores nummi cuſi fuerunt, edere ſecum conſtituerat Nobiliſſimus KUNDMANNUS, ſed laborem hunc inceptum ſubſequens ejus mors intercepit.

Sicuti autem in libris his, rem numismaticam illuſtrantibus, multam induſtriam ſcribendique copiam oſtendit, ſic etiam ſcientiam egregiam in hiſtoria naturali, quæ calamo ſuo indefeſſo multum debet, orbi litterato cum adplauſu monſtravit in Volumine Anno MDCCXXXVII. in folio edito, quod titulum gerit: *Rariora Naturæ & Artis, item in re medica, oder Seltenheiten der Natur und Kunſt des Kundmanniſchen Naturalien-Cabinets, wie auch in der Artzney-Wiſſenſchaft;* quodve præſertim 1) Examen foſſilium & lapidum quorumdam rariorum; 2) Memorabilia naturæ & artis & 3) Obſervationes in re medica ſingulares ingenioſe pertractat, ac ſimul varia jam ab ipſo prolata, itidem recuſa continet.

Ultimus ipſius labor editus Anno MDCCXLIX. in 4to. pagellis quibusdam prodiit ſub titulo: *Anmerckungen über die Heuſchrecken in Schleſien im Jahr 1748.*

Sic conjunctiſſimus Dominus Noſter Collega variis laboribus obrutus, multa rara & egregia ingenii ſui pereximii monumenta duratura litterisque conſignata reliquit, quæ jucundum, neceſſarium & utile poſterorum promovebunt.

Quum redux in patriam & veniens ad annos plenæ maturitatis, ſtudiis perpetuis & praxi clinica diſtrictum reique familiari curandæ imparem ſe judicaret, divino inſtituto parendum ratus, conſentientibus ſuis parentibus Virginem ſplendidis natalibus ortam, *Joannam Fridericam*, *Friderici* PANNWITZII, mercatoris Wratislavienſis & *Urſulæ Mariæ* GSELLHOFERIÆ filiam lectisſimam, pudice ac bene educatam, Anno MDCCX. die VII. Maii matrimonio, cum magna concordia & mutua caritate geſto, ſibi junxit. Ex hoc felici conjugio nati ſunt IV. liberi, ſcilicet Anno MDCCXI. die XXVII. Februarii *Chriſtiana Renata*, Anno MDCCXIV. die XX. Junii *Joanna Sophia*; Anno MDCCXVII. die XII. Julii, *Julius Chriſtianus* & Anno MDCCXXI. die X. Martii *Chriſtiana Conſtantia*; ex quibus *Joanna Sophia* Anno MDCCXVII. die XI. Octobr. & *Chriſtiana Conſtantia* Anno MDCCXL. die XVII. Novembris non ſine magno parentum luctu vita conceſſerunt. Vivit adhuc filia primogenita, *Chriſtiana Renata*, nupta *Chriſtiano Theophilo* VOGTIO, Paſtori tunc Timendorffiano, nunc Kotzenavienſi, Theologo vita & doctrinis clariſſimo, cui rara felicitas contigit, nuptias ſuas, cum Avus & Avia nuptias ſecundas Anno MDCCXXXIII. die VI. Octobr. celebrarent, eodem die etiam felici cum omine celebrare. Superſtes etiam eſt filius, *Julius Chriſtianus*, dotum paternarum graviſſimus hæres, qui in variis officiis Regiis, tandem Regiæ Majeſtati Boruſſicæ in ſuprema Curia Oppolienſi a Conſiliis ſacris ac civilibus olim fuit.

Quis ergo Noſtro Collegæ, huc usque tanta induſtria in variarum rerum cognitione occupato, laudem promeritam denegare poterit, quod nempe erga Deum & erga proximum talem ſe gesſerit, qualem expoſcit character Medici omni laude digniſſimi?

Benigna natura corpori ſuo, in adultiori ætate alias ſatis robuſto & optima diæta ſemper ſervato, gravioribus morbis nunquam moleſta fuit, & ſi, quod rarius accidit, quædam imminentis morbi

morbi ſigna ſentiret, ſtatim hæc remediis bonis prudenti conſilio debellavit ac ſuperavit.

Circa finem Anni MDCCL. febre corripiebatur, quæ, licet aptis medicamentis ſuppreſſa, aliqualem tamen virium animi & corporis defectum reliquit. Quum itaque Anno MDCCLI. menſe Martio induſtrius examinata corporis infirmi ratione finem vitæ ſuæ prævideret, ſenſim morbo ſe ſubmiſit, & a remediis ultro ab hoc tempore ita abſtinuit, ut etiam agnatis ac amicis confluentibus ex optimis rei medicæ ſcriptoribus omnes medendi conatus ulteriores inutiles evaſuros eſſe, prælegerit.

Miſſa adeoque rerum terreſtrium cura & nunciata ſuprema ſalute cariſſimæ Uxori, nunc mœſtiſſimæ Viduæ, liberisque magna triſtitia adfectis, animam divinarum rerum contemplatione recreabat. Deo maximas egit gratias pro tantis beneficiis illi collatis, & ſumma cum devotione accepto ultimo ſacræ cœnæ viatico, ad vulnera Chriſti, optimum morientis refugium, confugiebat. Ita KUNDMANNUS Noſter, ut decet Medicum religioſum, ſe ad mortem componebat, ac ſi ſcenam ſuam, hic laudabiliter peractam, in altero mundo denuo bene inchoandam, relicturus eſſet; nulla animi commotione, nullis triſtitiæ ſignis, quam lacrumæ ſuorum excitare poterant, concitatus, ſed forti, conſtanti ac laeto animo laetus ultimam horam optabat finem eventuum requiemque laborum.

Tandem marasmus ſuperavit, & dum vires machinæ tantis laboribus & ærumnis vitæ humanæ debilitatæ morti reſiſtere ulterius non poterant, Anno eodem, die XI. Maii, ætatis LXVII. inter preces & lacrumas adſtantium placide quaſi ſomno ſolutus exſpiravit.

En!
Virum Excellentissimum
Qualem Non Omnis Terra Profert
A Natura Multis Dotibus Instructum
In Scriptis Copiose Ac Diserte Loquentem
In Sermonibus Familiaribus
Mire Salibus Ac Leporibus Delectantem
Ac Morte sua Artem Bene Moriendi Docentem
De Cetero
Physicum Insignem
Medicum Bene Meritum
De Patria
De Arte Salutari
De Re Litteraria
In Perscrutandis Ac Cognoscendis Rebus Naturalibus
Indefessum
Alloquio Comem
Morumque Suavitate Admirabilem:
Laudabilis Ergo Semper Erit
Memoria
KVNDMANNIANA.

FLORÆ

# FLORÆ RIEDESELIÆ JOANNIS JACOBI RITTERI
## *ADDENDA.*

Ad pag 33. *Spagnum paluſtre candicans*, &c. Radices ejus convolutæ putreſcentes ceſpitem focarium (*Torfam* vulgo) conſtituunt. In Helvetia etenim iisdem, quibus viret illud, effoditur locis. Conf. *Ill.* HALLER *Opuſc. Botan.* V. *Iter Helvet.* p. 193. §. 14. LINNÆI *Flor. œconom.* p. 511. (35.) In Sileſia haud ita pridem pluribus locis, v. gr. in Ducatu Jauorienſi prope Bunzlauiam, ambo ſimul obſervare contigit. Plurimæ Sphagni ſpecies hunc ceſpitem diverſæ licet indolis locis paludoſis producunt.

Ad pag. 63. I. *Pimpinella ſanguiſorba*, &c. Notam *Ill.* ab HALLER Calcifloræ Jenenſis adjectam abſoluto demum hoc opusculo animadvertens, Ruppium ſeducentem ſecutus, Sanguiſorbam ad hanc Claſſem retuli; cum ad Claſſ. Ei primam pag. 3. & tertiam mihi Regular. monopetal. peculiari Sectione ſub titulo: *Semina gemella binis loculis incluſa* pertineat. Delenda itaque verba: Bis poſita Ruppio &c.

Ad pag. 76. Nota: *jungere ad modum Ill.* HALLERI &c. Licet unice ad irregulares pentapetalas Ruppio Claſſ. XII. mihi XIV. locandum ſit.

Ad pag. 84. & 85. *Arnica: vires præter motus dubiæ:* Nauſeam immo vomitus excitat infuſum decantatum adeo. Vires reſolventium ſic dictorum a calida fere omnes.

Ad pag. 88. *Artemisia vulgaris* caule purpureo. Varietas *α*. *Ill.* HALLER & pag. 89. *nonne cum* BLAIRIO *duæ species*: quas distincte proposuit C. SCHWENCKFELD Stirp. Siles. Lib. I. pag. 12.

Ad pag. 99. VIII. *Scrophularia* &c. Folia nauseosum foliorum Sennæ corrigere saporem post MARCHANTIUM, LOCHNERUM aliosque repetito didici. Dosis dimidium ponderis foliorum Sennæ. Major vim laxantem frangit.

Ad pag. 110. II. *Napellus* &c. Synonimis adde: *Aconitum cæruleum s. Napellus* C. B. P. 183. Infusum nauseosum dulce absque noxa degustavi insipidum fere. Color infusi aquosi a Spir. Salis Ammon. viridis, a succo Acetosellæ vero immutatus. Num veterum Napellus idem cum modernorum?

Reliquorum veniam poscit Auctor.

# VIRO
ILLVSTRI MAGNIFICO EXCELLENTISSIMOQVE

# D. D. ANDREÆ ELIÆ BÜCHNERO

## S. R. I. Nobili

Sacrae Caeſareae Maieſtatis Conſiliario
Archiatro et Comiti Palatino

Potentiſſimi Boruſſiae Regis Conſiliario Intimo
et in Regia Fridericiana Halenſi Univerſitate Philoſophiae naturalis et Medicinae Profeſſori Publico

*Academiae Caeſareae Naturae Curioſorum Praeſidi*
et
Regiae Societatis Berolinenſis Sodali

Horum Actorum volumen decimum feliciter abſolutum eoque Academiae Caeſareae Naturae Curioſorum integri ſaeculi ſpatio peractos labores bene coronatos ſincero affectu gratulatur ulterioresatque ampliſſimos denuo peragendorum ſucceſſus proſperrimos adprecatur
et
antea iam annotatorum ſpicilegia quaedam
addit

## D. CHRISTOPHORVS IACOBVS TREW

Acad. Caeſ. N. C. Director.

# Vir Illuſtris Magnifice atque Excellentiſſime Fautor omni obſeruantia colende.

*Quum diuina factum eſt prouidentiſſimi Numinis gratia, vt memorabilis illa temporum et annorum periodus contingeret et eueniret, qua Caeſarea Leopoldino-Carolina Naturae Curioſorum Academia primum ſuae fundationis et conſeruationis ſaeculum decimo vel potius quinquageſimo hoc Actorum ſuorum Tomo feliciter et laetanter abſoluit: temperare animo non poſſum, quin pii laetique et exultantis affectus mei rationes publice prolixeque declarem. Supplex igitur veneror ſingularem benigni Numinis prouidentiam, quae non tantum ſummos glorioſiſſimae memoriae CAESARES inflammauit et excitauit, vt EORVM indulgentiſſima gratia et clementia haec Academia fundaretur ampliſſimisque honoribus et priuilegiis condecorata ſemper ſarta et tecta conſeruaretur; verum etiam noſtro aeuo CAESAREM dedit exoptatiſſimum nullique ſecundum, cuius ſub imperio felici et pacato Muſarum quoque cultores ea gaudent et fruuntur ſummam inter tranquillitatem voluptate, qua in ſtudiorum ingeniorumque partubus fouendis et edendis pergere*

*ex voto et ulterius progredi, totque etiam ac tanti Viri mirandis animi industriaeque viribus instructi ratiocinationes obseruationesque et experientias symboli sui memores nunquam otiosi in summam omnium delectationem et vtilitatem maximamque huius Academiae commendationem satis abundeque conferre potuerunt. Quum igitur solenne hoc saecularis anni momentum tuo, Vir Illustris, praesidio reseruatum sit, TIBI, Fautor omni obseruantia colende, eam sincero animo gratulor felicitatem votisque ardentissimis prosperrimum omnium a TE commodo laudatae Academiae destinatorum consiliorum successum semperque sine vlla offensione fluentem rerum tuarum fortunam apprecor, tuo me fauori etiam atque etiam prolixissime enixissimeque commendans.*

*Vt autem non hisce solis coram TE, Domine Praeses honoratissime, compaream, verum etiam aliqua saltim pensi loco simul proferam, subiungo spicilegia quaedam pro temporis et occasionis modulo elaborata, nonnulla, vt opinor, iucunda, nonnulla haud prorsus inutilia: satis enim superque iam compertum habeo, eiusmodi offeramenta TE vel maxime in desideriis habere. Hosce igitur conatus meos vt serena fronte suscipias, iterum iterumque rogo. Dabam ex Museo pridie Nonarum Aprilis A. R. S. cIɔ Iɔ cc LIIII.*

SPICI-

# Spicilegium I.

## *Cerei triangularis flos denuo examinatus et delineatus.*

Superiori horum Actorum Tom. IX. app. p. 199. exhibui *Cerei triangularis* vulgo sic dicti brevem historiam, una cum figura secundum eam plantam, quae florem in horto Academico Altorfino a. 1747. media æstate produxit, facta & mecum communicata. Postea relatum accepi, hanc eandem Cerei speciem jamdudum etiam florem perfectum exclusisse in horto Palatii suburbani Augustenburg dicti prope Arnstadium Thuringiae siti, ejusque imaginem tunc temporis factam ibidem asservatam prostare. Concitatus hinc eo contendi, ut ex clarissimo Lycei Arnstadiensis Rectore, Domino M. IO. CHRISTOPH. OTTONE, Fautore plurimum colendo, hujus relationis certior fierem, cujus etiam humanitas procuravit mihi non solum eam imaginem, quam Dom. PIVS ROESEL v. R. nostratis pictoris famigeratissimi pater tunc temporis ibidem degens, ad exemplar naturale atramento Sinensi adumbravit, ab hortulano, Dom. IO. ERN. HüBLERO, asservatam, verum etiam aliam imaginem vivis coloribus a D. D. IO. HENR. TIMROTH, Physico Arnstadiensi experientissimo, depictam, qui eundem florem ipse vivum vidit.

Rœselianæ delineationi hæc adscripta erant latine reddita: „ Hic Cereus Augustenburgi in horto Serenissimi „ Principis Schvvartzburgensis florem exclusit a. 1719. d. „ 23. Augusti, qui se explicare cœpit hora quinta vespertina & hora octava penitus expansus reperiebatur. Eius „ figura calici seu cyatho lactei coloris similis erat, cujus cavum occupabant filamenta lutea & sceptrum coronatum „ aureo colore fulgentia. Exteriora folia angustiora & vi-

„ rideſcentia circum circa expanſa palmam repræſentabant, „ floris pedunculus vero Cynaram (*artiſchocke*). Sequentis „ diei hora quinta matutina iterum ſe claudere cœpit „ flos viſibili gradu modoque eodem, quo ſe explicuit: du„ rabat ergo hoc ſpectaculum per duodecim tantum horas.

Timrothiana pictura Rœſelianæ delineationi per omnia reſpondet, quemadmodum etiam partium colores deſcriptioni: folia tamen non ſolum calycis, verum etiam tubi (qui in deſcriptione antecedente pedunculus, *der Stiel*, nominabatur) gramineam referebant viriditatem.

Ceterum ſilentio præterire haud poſſum relationem hortulani cuiusdam, qui a. 1747. Viennæ, Sereniſſ. Princip. EVGENII immortalis memoriæ horti colendi cauſſa, inſerviit. Affirmabat hic, inſignes huius Cerei ſtirpes diu iam ibidem coli et per æſtatem in libero aere, parieti tamen apriciori affixas, conſervari. Una ex his anno memorato ſub finem menſis Julii protrudit alabaſtrum immediate ex caulis coſta primo rubentem, et non procul ab hoc alterum. Quamprimum hi obſervabantur, ſtirps in caldarium feneſtratum transferebatur, ubi alter alabaſtrus mox peribat, alter vero in mirandum florem excrevit. Secundum hujus viri relationem color omnium partium & magnitudo atque ſtructura tubi penitus conveniebat cum Schvvartzburgenſi (cujus picturam ipſi monſtrabam) flos ipſe vero multo adhuc major & magis expanſus erat, ita, ut non ſolum omnia calycis folia penitus reflecterentur, verum etiam corollæ ſegmenta paululum extrorſum inclinarent. Stamina copioſiſſima ad partem inferiorem unacum ſtylo in faſciculum colligebantur & extra floris limbum propendebant. Odorem ſpirabat amœniſſimum, alium tamen & adhuc fortiorem, quam illum, quem ſpargit Cereus ſerpens ſic dictus, de quo conf. hæc Acta l. c. p. 191. SLOANE, MILLERVS & HVGHES odoris nullam mentionem faciunt, MARG-

GRA-

GRAVIVS dulcis & nauſeabundi, qui vero PISONI ſuavis erat: vide hos Auctores locis ibid. p. 201. ſequ. citatis.

Utut autem hiſce quoque ex propria obſervatione (quam hucusque adhuc occaſio denegavit) nihil addere poſſum, nullus tamen dubitavi & hanc imaginem Tab. III. in publicum producere, quia apud paucos ejus deſcriptio, & hæc imperfecta tantum, apud nullum vero vel aliqua imago exſtat, in quo aſſerto conſentientem inveni cl. MILLERVM in noviſſima ſui Dictionarii Hortulanorum editione a. 1752. Londini publicata, ubi etiam addit, nondum ejus florem in Anglia comparuiſſe, quod ſane mirum videbitur cuique, qui conſiderat curam incomparabilem, qua plantæ exoticæ ibidem coluntur, dum certum nunc eſt, eundem in Germania tertia jam vice (& forte pluribus non annotatis) in conſpectum veniſſe.

Qui hanc imaginem cum priori ſeu illa Altorffina confert, facile deprehendit, floris ſtructuræ plurima inter ſe convenire, quædam vero differre. 1) Differt uterque flos magnitudine: ſed Altorffinus forſan vel ad plenam perfectionem haud pervenit, vel pictor illum ſtudio imminutum repræſentavit. 2) Tubus floris in utroque ſiſtitur totus folioſus, ſeu foliolis æqualis ferme magnitudinis arctisſime & imbricatim ſeu ſquamatim conjunctis veſtitus, unde etiam cum Cynaræ calyce comparatur in ſuperiori deſcriptione: hancce compagem docet quoque Ill. SLOANE deſcriptio ſuperiori horum Actorum tomo l. c. p. 203. addita. 3) Differt Altorffina imago ab hac pedunculo ad tubi ſeu potius ovarii ortum adpicto; ſed hunc procul dubio pictor perperam ex ingenio ſuo addidit: omnium enim reliquarum Cerei ſpecierum flores hucusque delineati ejusmodi pedunculo carent, dum eorum infima pars ſeu ovarium immediate ſupra ſpinarum areolam caulis coſtæ immediate adcretum reperitur. 4) Differt tubi ſquamarum color: Altorffina

na ſquamas has ad ortum virides ad oras vero rubentes pictas exhibuit, prouti etiam eas SLOANE l. c. deſcripſit; hujus Schvvartzburgenſis vero pictura eas totas virides repræſentat, cujus variationis cauſſæ poſſunt eſſe tantum accidentales. 6) Convenit utraque in eo, quod hæ ſquamæ tubi ad ejus usque finem breves ſatisque latæ ſint, ibi autem calycis ſegmenta ſtatim multo anguſtiora longiſſimaque exoriantur; differunt vero hæc calycis ſegmenta colore: Altorffina imago ea ſiſtit flava, Schvvartzburgenſis viridia, prouti a MARGGRAVIO, PISONE & HVGHES ſuperiori tomo p. 202. & 204. citatis deſcribuntur. 7) In hac imagine calycis folia ſiſtuntur magis, quam in Altorfina, reflexa, qui ſitus virori junctus, & tubus ſquamoſus, procul dubio anſam dederunt comparationi cum palma, prouti hæc a vulgo pingi ſolet, ex qua comparatione, ut & ex Viennenſi relatione, colligo, in perfecta floris expanſione ea magis adhuc reflecti. 8) In figura Altorfina horum calycis ſegmentorum ultra 20. haud poſſunt numerari; in Schvvartzburgenſi vero totidem jam in anteriori facie comparent, totidemque in poſteriori latere, vero ſimile eſt: reſpondet ergo hæc propius deſcriptioni Marggravianæ, quæ eorum 40. circiter definit. 9) Utraque figura in corollæ ſegmentorum numero magis convenit: in Altorfina enim eorum 15. diſtinguuntur & HVGHES l. c. haud plura quam 16. indicat; in Schvvartzburgenſi apparent 20, quot iterum numerat deſcriptio Marggraviana. 10) Quum denique ſtaminum & ſtyli ſitus alius repræſentetur in Altorfina, ex horum ut & corollæ calycisque magnitudine & expanſione minori colligo, hanc ad plenam perfectionem omnino haud perveniſſe; & ſi Schvvartzburgenſem imaginem cum Viennenſi relatione confero, dubium mihi oritur, num etiam illius flos ad plenam perfectionem pervenerit, vel ſaltem penitus jam expanſus delineatus fuerit.

Hu-

Hujus Cerei speciei fructus descriptionem Auctores sæpius jam citati non unam eandemque exhibent. Secundum MARGGRAVIUM fructus est ovalis, magnitudine strobili & talis figuræ, eminentiis triangularibus ex viridi flavis constans; cortex, aurantii mali cortici æqualis, interne & externe laccæ Florentinæ humectatæ, seu laccæ & cinnabaris mixtarum; caro ex albo cinerea, succulenta, sapida. Ex relatione HERMANNO facta fructus intus & extus elegantissime rubet. Ex SLOANE descriptione fructus pomi mediocris magnitudinem assequitur, protuberantiis in superficie pluribus inæqualis; color per maturitatem flavus fit cum levi tinctura rubri aut ad aurantiacum accedente; cutis tenuis includit pulpam albam dulcem & jucundam. HUGHES definit fructum figuræ ovalis, ovo gallinæ indicæ magnitudine æqualem; corticem maturum exterius saturate purpureum & ad singulas dimidii pollicis distantias squamis triangularibus acutisque, ut & fasciculis spinarum distinctum; pulpam purpurascentem. MILLERUS l. c. ex aliorum relatione hujus Barbadensis speciei fructui colorem elegantissime flavum describit. Ex hac fructus differentia annotata, floris vero ejusdem stirpis convenientia, suspicio oritur, numne hujus speciei aliquæ dentur varietates.

Quemadmodum autem flos ab HERMANNO pentapetalus tantum repertus, propter hunc petalorum numerum nimis differentem, specificæ differentiæ notam suppeditat: ita etiam *Cereus cristatus erectus foliis triangularibus profunde canaliculatis Pluk.* differt a nostra non solum habitu erecto (quod super. hor. Act. tomo I. c. p. 201. jam annotavi) verum etiam flore, testante sæpius laudato MILLERO l. c. Ipse quidem illum pariter haud vidit, licet, ut refert, bis jam in Anglia productus fuerit: ex aliorum tamen relatione monet, eum illo, quem *Cereus scandens minor polygonus articulatus Par. Bat.* ostendit, quemque sup. tom.

 tab.

tab. XII. & XIII. depictum exhibui, paullo tantum inferiorem esse, hunc vero, qui nunc tab. III. apparet, in America etiam exclusum, pulchritudine sua multum cedere utrique.

---

# Spicilegium II.

## *Anevrysmatis spurii feliciter curati alia historia.*

Qua methodo facili sonticum hoc malum, Dei gratia aspirante, anno 1747. feliciter curatum fuerit, tomo horum Actorum octavo Obs. CXXVI. p. 464. seqqu. fusius exposui. Quum anno sequenti similis casus eadem methodo tractatus pariter voto respondit, ejusdem historia hanc methodum ulterius explorandam magis adhuc commendabit.

Anno 1748. d. 26. Aprilis pellionis hujus loci servo, annum ætatis 28. agenti, temperamenti sanguineo-phlegmatici, natione Pomerano, lanceola saltante vena secabatur basilica dextri brachii. Ex relatione balneatoris, qui ictum administrabat mox sequebatur dolor insolitus atque continuus, quare eum perpessus ejusdem diei vespera eundem balneatorem adibat & de dolore vehementi conquerebatur. Ille in regione, qua vena secta fuit, ruborem quendam seu inflammationem observans spiritum vini camphoratum eidem adplicabat &, dum altero die notabile enchymoma ibidem vidit, ejusdem spiritus crebriorem adplicationem commendavit. His sub circumstantiis vulneratus opificium suum pro viribus administravit in tertiam usque hebdomadam; interea vero in loco læso comparebat tumor castaneæ magnitudine, cui balneator adplicuit emplastrum ad rupturas, aucto vero dolore & tumore, splenium densum spiritu vini camphorato imbutum imposuit & fascia circulari valide firma-

mavit hacque ratione per octiduum continuavit. Statu hoc inde neutiquam in meliorem mutato, balneator collegam & affinem suum consuluit, qui, commodiori consilio succurrere nesciens fortiorem adhuc compressionem suadebat, quæ vero non solum totiusque brachii manusque tumorem, verum etiam intolerabilem dolorem excitabat. Licet autem hæcce methodus minime fructuosa, perniciosa potius, reperiretur; nihilominus hic balneator omnem medelam in sola compressione ponebat & de fortiori adhuc tantum cogitabat, eandemque ope machinæ cum cochlea tumori adplicatæ obtinendam esse putabat. Hac itaque tumor fortissime comprimebatur; inde vero cutis compressæ necrosis mox sequebatur, quæ partes mortuæ deinde digestivis tractatæ se a sanis separare cœperunt die 2. Julii, quo tempore ille, qui infelicem hanc venæsectionem peregit, de eventu optato sollicitus adiit D. WOLFG. JAC. MULLERUM, chirurgum illum, ac Operatorem hujus loci expertissimum, cujus dexteritatem in priori observatione jam laudavi, eumque rogavit, ut secum inviseret ægrotum. Hic exploratam partem læsam statim agnovit pro anevrysmate spurio, simulque declaravit, ex incongrua tractatione malo in pejus mutato, amplius separatis escharis, hæmorrhagiam gravissimam vel plane lethalem, facile sequuturam, nec aliam medelam quam ex operatione sperandam esse, ad quam perficiendam opem suam simul obtulit. Hisce se opponebat alter balneator, contendens, escharæ separationem & ulceris consolidationem esse expectandam, quibus obtentis emplastrum ita dictum pamphylium reliquum tumorem exsiccare posse. Sed accidit paullo post idem, quod MULLERUS prædixit. Die scilicet octavo Julii, quum læsus balneatoris prioris domum peteret & hunc sociosque suos per opportune præsentes inveniret, anevrysma sponte sua rumpebatur & magnam copiam sanguinis fundebat, quem omni studio ope torcual-

ris, quod ipsis communicabat & commendabat MULLERUS, sistere conabantur. Sequente die ab his ipsis balneatoribus vocatus est sæpius memoratus MULLERUS atque rogatus, ut auxilio suo ipsis succurreret, quod etiam lubens se præstiturum spopondit & postea ad me venit petiitque, ut operationi suscipiendæ adsisterem omniaque, ut in priori casu, dirigerem. Die ergo Julii nono matutinis horis hic prope humerum applicabat torcular cum trochlea & pulvillo ex aluta confecto & bene farcto fasciaque circulari ad illud pertinente, deinde præsentibus duobus balneatoribus solvebat ligaturam & observabat læsam partem floreni magnitudine majorem sphacelatam, tandemque partes mortuas proximasque vivas sufficienti quantitate lintei carpti seu plumaceolorum & spiritu vini rectificatissimo imbutorum muniebat necessariisque spleniis fasciisque firmabat. His peractis relaxabat torcular eousque, dum pulsum in carpo denuo sentire posset; ipsa operatio vero in diem sequentem differebatur.

Hoc die 10. Julii ergo mane conveniebamus, & aderant quoque ex collegis meis honoratissimis Dn. D. *Ge. Leonh.* HVTHIUS D. D. *Jo. Frid.* HERELIVS junior & D. D. *Jo. Adam.* BAUER; Dn. MULLERUS vero rogabat Collegam suum Dn. *Jo. Eberhard* EIERICH, Chirurgum & Operatorem non minus expertum, ut ipsi auxiliatrices manus porrigeret, quemadmodum id in priori casu laudabili studio & dexteritate præstitit. Ceterum ex collegis eorum curiositatis gratia accedebant porro Dn. *Christoph. Andr.* MULLERUS & Dn. *Ernest. Leopold.* STOECKELIUS.

Quum consilium capiebamus, operationem eadem methodo, quæ feliciter antea cessit, suscipere, idem etiam apparatus in ejusdem casus recensione fusius descriptus, parabatur, non neglecto illo, quo in casu necessitatis pro arteria liganda opus esset. Ut reliquis accidentibus quoque prospi-

ſpiceretur, ordinavi 1) mixturam confortantem cochleatim ſumendam eodem modo, ac l. c. p. 482. n. 9. deſcripta eſt, compoſitam.

2) Odoramentum naribus ſubinde admovendum: rec. ſpiritus roris marini drachmas tres, ſalis armoniaci anthoſati drachmam unam.

3) Pulverem temperantem ſingulis ſex horis propinandum: rec. matris perlarum acido citri ſaturatæ, Nitri depurati ana grana quindecim, cinnabaris antimonii rectificati grana decem pro doſi.

His omnibus paratis & divino auxilio implorato ipſa operatio ſequenti ordine & modo ſuſcipiebatur.

D. Operator MILLERVS collocabat vulneratum in ſedile, applicabat vinculum tortile ſimplex cum funiculo & bacillo & committebat ejus directionem STOECKELIO, cubitum vero extenſum firmiter tenendum commendabat MüLLERO. Deinde ligaturam vulneris ſolvebat, quo facto vulnus a ſphacelo exeſum floreni majoris amplitudine apertum & ſanguine grumoſo magnaque ex parte quaſi polypoſo ſeu fibroſo repletum apparebat. Poſtea hunc grumoſum ſanguinem indice manus dextræ pedetentim & provide removebat mole ſua duas uncias facile æquantem, & partim cum cute, partim & magis adhuc cum ſubjacentibus muſculis vaſisque firmiter cohærentem. His peractis vulnus cum vino calido ſyringæ ope probe eluebat eousque donec arteria ſatis clare in conſpectum veniret. Hac detecta vinculum tortile relaxandum præcipiebat, quo facto ſanguis illico & magno cum impetu ad operatoris brachii longitudinem proſiliebat, qui interea aperturæ locum attentus obſervabat eidemque tam cito, quam fieri poterat, obturamenta jam parata applicabat, conſtricto interea iterum torculari. Conſiſtebant hæc primo ex charta bibula tenuiſſima, maſticata, ter quaterque complicata, & quadratam in for-

 mam

mam pollicis magnitudine explanata, alcohol vini impræ-gnata & pulvere ſtyptico atque conglutinante, priori in ca-ſu p. 481. deſcripto, largiter conſperſa. Harum placentu-larum chartacearum erant ſex, ſingulæ prædicto modo præ-paratæ, quarum una alteri imponebatur, & prima præci-pue tam provide applicabatur, ut non ſolum arteriam, ve-rum etiam vicinas partes accurate ambiret. Reliqua vulne-ris cavitas, quæ ovum gallinaceum facile capiebat, placen-tis ex linteo carpto paratis, ſeu plumaceolis ſic dictis & al-cohol vini largiter pariter imbutis replebatur tota, cui im-ponebantur tria ex complicato linteo confecta ſplenia omnia-que denique faſcia circulari 4. vel 5. ulnarum firmabantur. His abſolutis bacillus vinculi ad pulſus usque in carpo ſen-ſationem relaxabatur & deinde hoc cum torculari trochlea inſtructo commutabatur, hocque iterum conſtringebatur, ita tamen, ut pulſus in carpo percipiendus non plane ſup-primeretur. Totum denique brachium habena ſeu mitel-la (*Eſcarpe*) ſuffulciebatur, æger lecto committebatur, ſe-rioque monebatur, ut ſemper ſervaret brachium quietum, diætamque tenuem. Idem dies & nox ſequuta ſatis tran-quille tranſigebatur, & die 11. Julii reperiebatur faſcia adhuc firma & absque ulla ſanguinis transudantis macula. Hunc diem excipiebat nox minus tranquilla, absque tamen ullis ſymptomatibus notatu dignis.

Die 12. mane iterum conveniebamus, ubi, fortius denuo adſtricto torculari, operator faſciam circularem & deinde ſplenia unacum tribus vel quatuor plumaceolis re-movebat, quorum vices ſupplebant totidem recenter con-fecti & alcohol vini pariter probe imbuti. Tunc ſimul vul-neris labia, ex ſphaceloſa corruptione male olentia, plu-maceolis alcohol vini & unguento digeſtivo impraegnatis muniebantur, additisque ſpleniis omnia iterum, ut antea, faſcia circulari colligabantur. Eodem die vulneratus vehe-

men-

menter me rogabat, ut ipsi cibum magis nutrientem carnemque, & aquæ loco cerevisiam concederem, quum ventriculus suus pomeranus ejusmodi victum parcum & tenuem amplius perferre haud posset: quibus rationibus consensum eo facilius præbui, quo minus ullum symptoma contradicebat, quemadmodum etiam easdem ob rationes usum omnium remediorum internorum amplius continuandum haud injunxi. Hac sub mutatione nox sequebatur tranquilla.

Die 13. deligatio eodem modo iterabatur, quam sequebatur dies & nox tranquilla, si excipias levem animi inquietudinem.

D. 14. deligatio pari modo renovabatur & simul duo vel tres plumaceoli plures quam hucusque removebantur: dies & nox sequebantur ad votum.

Die 15. & 16. deligatio & valetudo eadem, & die 16. vulnus simul cum spiritu vini simplici syringæ ope probe eluebatur.

D. 17. Patiens indicabat vulneris dolores majores illis, quos hucusque sensit: in deligatione reperiebantur non solum labia vulneris recentia, verum etiam ipsum vulnus a sordibus magis purgatum, quæ partes nunc magis vivæ procul dubio etiam magis sensiles redditæ sunt. Effluebat simul ex vulnere pauca quantitas sanguinis, sed solummodo ex venarum osculis nunc, purgata corruptione & impedito, ob torcular applicatum, sanguinis libero circuitu, magis apertis.

D. 18. sub deligatione iterum duo plumaceoli ex illis, qui a prima deligatione relicti fuerunt, cum reliquis quotidie renovatis removebantur, ubi iterum pauca sanguinis venosi quantitas effluebat.

D. 19. remotis omnibus plumaceolis duæ etiam ex placentulis chartaceis liberæ reperiebantur & ſimul eximebantur, vulnusque probe purgabatur, ceterum plumaceolis denuo replebatur ſimulque torcular removebatur, relictis tamen ejus faſcia coriacea & ſplenio ſuper arteria brachiali faſciæ ope, ſed leniter tantum conſtrictæ, firmato.

D. 20. reliquæ etiam placentulæ chartaceæ reperiebantur ſolutæ, quibus remotis, vaſa antea denudata nunc carne recenti firmaque penitus tecta ſe ſiſtebant, de quo magna cum voluptate certiores reddebamur. His obſervatis cavitas replebatur ſolis plumaceolis, alcohol vini tamen adhuc imbutis & pulvere ſtyptico & glutinante denuo conſperſis, omniaque faſcia ordinaria firmabantur.

D. 21. qui erat undecimus ab operatione facta, vulnus ad conſolidationem properans obſervabatur, ad quam ulterius promovendam & vulnus rotundum in oblongum mutandum, hoc contrahebatur emplaſtro glutinante, ceterum ejus cavitas plumaceolis ut priori die imbutis replebatur.

D. 22. omnia eodem modo tractabantur &

D. 23. cavitas caſtaneam vix amplius capiebat, ceterum hoc &

D. 24. deligatio pari ratione inſtituebatur, nunc vero & faſcia torcularis & ſplenium arteriæ brachiali applicatum removebantur.

Die 25. tandem omnis tumor brachii penitus ferme evaneſcebat & vulnus decimo quarto operationis die ut aliud ſimplex tractabatur, ita, ut brevi poſt plena conſolidatio ſequeretur.

MAN

## *MANTISSA.*

Pro uberiori hujus methodi commendatione nonnulla addenda esse, sub finem prioris casus tomo horum Actor. VIII. p. 490. jam monui, meque alia occasione eadem expositurum & figuris congruis illustraturum esse, ibidem fidem dedi, quam nunc exsolvere suscipio.

Ut hujus mali gravitas & medelæ ei parandæ difficultas clarius patescant, partes, quæ in venæsectione lædi possunt, earumque cum aliis connexiones probe cognitæ esse debent. Celeberr. MONRO has partes eandem ob rationem jam sigillatim delineandas curavit (*), sed rudi artificis manu. Ex tabulis anatomicis naturali magnitudine & vivis coloribus repræsentatis, quas D. GAVTIER hucusque edidit, nulla adhuc iis, quæ adhuc explicanda sunt, lucem aliquam affundit (**)



(*) *Medical Essais and Observations, revised and published by a Society in Edinburgh. Vol. II. 1734.* octau. maj. p. 280. seq. tab. II. fig. 1. ubi vero omnes partes valde imminutæ repræsentantur. In Germanica versione, quæ titulo: *Die medicinische Versuche und Bemerkungen, vvelche von einer Gesellschafft in Edinburgh durchgesehen und herausgegeben vverden* Altenburgi 1750. in Oct. prodierûnt, p. 368. seq. tab. II. fig. 1. eædem ad parem normam occurrunt; in Gallica vero versione, quæ antea jam titulo: *Essais & Observations de medecine, de la Societé d'Edinbourgh*, Parisiis 1742. in duodec. mai comparuit, p. 349. tab. II. fig. 1. ad minorem adhuc magnitudinem redactæ sunt.

(**) Tertia hujus operis splendidissimi & forma regia editi pars (quæ nondum absoluta est & titulo generali adhuc caret) in fronte hunc gerit titulum: *Anatomie generale des Visce-*

Icones Ill. D. de HALLERI (***) optimæ sunt; quum vero laudatus auctor, pro scopo suo, venarum atque arteriarum præcipue universam per integrum brachium divisionem & distributionem cum accuratione ipsi solita repræsentandam suscepit & præterea, ad chartæ normam, naturali magnitudine multo minorem, eandem sistere coactus fuit: has nostras icones, magnitudinis naturalis, vasis vario insuper colore distinctis, haud supervacaneas imo pro hoc scopo peculiari necessarias duxi, quarum explicationem reliquis præmitto, sed eos, qui illas examinant, simul moneo, ut memores sint, non solum venas, uti in toto corpore, ita sigillatim quoque circa cubitum, divisione & distributione sua ita variare, ut vix unquam in utroque brachio unius subiecti unum eundemque ordinem observent; verum etiam haud raro arteriarum propagines a regula ordinaria recedere, imo, ipsos nervos, saltem subdivisionibus suis, ab hac variatione non excipiendos esse. His addo, harum figurarum partium omnium denominationem haud esse expectandam, quia non omnes ad scopum præfixum pertinent, justo longior autem esse nolui.

TAB.

*sceres en situation, de grandeur & couleur naturale, aves l'Angiologie & la Neurologie de chaque partie du corps humain.* Harum tabularum Vta repræsentat quidem in brachii dextri anteriori facie musculos, venas, arterias & nervos in naturali connexione; sed eatenus tantum, quatenus detracta cute statim in conspectum veniunt, nec tamen satis distincte.

(***) *Iconum anatomicarum, quibus aliquæ partes corporis humani delineatæ traduntur, fasciculus VI. Arteriæ pectoris & brachii Auctore ALBERTO v. HALLER &c.* Gott. 1753. fol. maj. tab. III. qua præter musculos venæ, arteriæ, nervique sistuntur, quatenus detracta cute apparent; tab. IV. quæ rterias in antica, Tab. V. in postica parte occurrentes delineat.

TAB. IV. Fig. 1. sistit cubiti sinistri regionem circa flexuram ejus cum humero ea sub facie, qua materia ceracea repleta vasa sanguifera nervique, detracta sola cute & pinguedine adparent.

- - - fig. 2. ostendit eandem regionem remotis etiam venis extimisque nervis cutaneis.

- - - fig. 3. repræsentat iterum hanc regionem, sed remotis musculis pronatore rotundo & radiæo interno ut & aponevrosi musculi bicipitis.

TAB. V. fig. 4. exhibet hanc cubiti regionem cum humeri anteriori facie integra, ut arteriæ situs & divisiones primariæ sigillatim in conspectum veniant.

## *Partium præcipuarum in his figuris conspiciendarum index hic est :*

A. Musculus biceps *fig. 1. 2. 3. 4.*
B. ejus tendo *fig. 1. 2.* ad insertionem usque detectus *fig. 3. 4.*
C. ejus aponevrosis seu tendo superficialis *fig. 1. 2.* separatus & reflexus *fig. 3.*
D. musculus supinator longus *fig. 1. 2. 3. 4.*
E. - - - pronator rotundus *fig. 2.* dissectus *fig. 3. 4.*
L. Olecranum *fig. 2. 3. 4.*
*A.* vena basilica *fig. 1.*
*B.* ejus ramus ulnaris *fig. 1.*
*C. C. C.* vena profunda *fig. 1.*
*D. D.* vena cephalica *fig. 1.*
*E.* ejus ramus *fig. 1.*
*F. F.* mediana ex basilica & cephalica *fig. 1.*
*G.* ramus ex medianæ & cephalicæ concursu *fig. 1.*
*H.* ramus ex mediana *fig. 1.*
* locus ubi plerumque arteria ulnaris in sectione venæ basilicæ vel rami ex mediana læditur *fig. 1. 2. 3.* 4.
*a.* arteria brachialis seu humeraria *fig. 1. 2. 3. 4.*
*c. c.* rami superiores ad musculum tricipitem *fig. 4.*
*d. d. d.* collateralis superior *fig. 4.*

*b*. rami ad bicipitem & brachialem internum, *fig. 4*.

*e. e*. ejus excursio per musculum tricipitem, ubi pone olecranum in dorso brachii cum arteriæ ulnaris ramo recurrente (*ii*.) varias anastomoses format *fig. 4*.

*f. f*. collateralis inferior ad dorsum humeri excurrens & cum interossea externa anastomosin habens *fig. 4*.

*g*. arteriæ humerariæ divisio *fig. 2. 3. 4*.

*h. h*. arteria ulnaris seu cubitæa *fig. 2. 3. 4*.

*i. i*. ejus ramus recurrens cum collaterali superiori (*d*) concurrens *fig. 4*.

*k. k*. rami musculares *fig. 4*.

*l. l*. arteria ligamenti seu interossea anterior seu interior *fig. 3. 4*.

*m*. ejus ramus ligamentum penetrans seu interossea externa s. posterior *fig. 4*.

*n*. rami musculares *fig. 4*.

*o. o*. arteria radiæa *fig. 2. 3. 4*.

*p. p*. ramus recurrens radiæus *fig. 3. 4*.

*q*. rami musculares *fig. 4*.

Quum auctores, qui methodum recensent, qua anevrysmate spurio laborantibus succurendum sit (de qua mox plura) plerumque allegant arteriam brachialem seu humerariam duplicem sæpius obviam: hujus quoque schema addendum curavi, quod quum in brachio sinistro oblatum fuit, commodioris comparationis gratia exempla ordinairæ structuræ, hactenus fig. 1. 2. 3. 4. exposita, pariter ex brachio sinistro elegimus: sistunt ergo hujus schematis, (sed, ob spatii defectum, naturali magnitudine octavam partem imminuti) delineationes

Tab. V. fig. 5. ubi utriusque arteriæ per humeri & cubiti faciem anteriorem distributio unacum nervo mediano in conspectum venit.

Fig. 6. exhibet arteriæ collateralis inferioris distributionem & anastomoses cum ramis recurrentibus.

Fig. 7. monstrat collateralis superioris nexum cum interossea externa.

TAB. VI. fig. 8. sistit figuræ quintæ partem seu cubiti flexuræ regionem, sed in magnitudine naturali, & cum humerariæ ordinariæ infra cubiti flexuram ramis denudatis.

Fig. 9. repræsentat ejusdem regionis venas nervosque cutaneos, partemque arteriæ extraordinariæ, quatenus statim apparent, sola cute pinguedineque ablata.

## *Partium conspicuarum expositio hæc est:*

A. musculus biceps *fig.* 5.
B. ejus tendo *fig.* 5.
C. ejus aponevrosis *fig.* 5.
D. supinator longus *fig.* 5.
E. pronator rotundus *fig.* 5.
F. rotundus major *fig.* 6.
L. Olecranum *fig.* 6. 7.
M. ulna *fig.* 7.
*A A.* vena basilica *fig.* 9.
*B.* rami ulnares *fig.* 9.
*C. C.* vena cephalica *fig.* 9.
*D. D.* ramus venæ cephalicæ *fig.* 9.
*E. E.* mediana ex basilica & cephalica *fig.* 9.
*F.* ramus ex utriusque concursu *fig.* 9.
*G. G.* ramus ex mediana *fig.* 9.
*a.* arteria subclavia *fig.* 5. 6.
*b. b. b. b.* arteria brachialis seu humeralis *fig.* 5. 6. 7. 8.
*c. c. c. c.* collateralis superior *fig.* 5. 6. 7.
*d. d. d.* collateralis inferior *fig.* 5. 6.
*e.* ramus muscularis *fig.* 5.
*f.* rami musculares *fig.* 5. 6.
*g.* recurrens radiæa hic supra divisionem humeralis orta *fig.* 5.
*h.* ramulus ad supinatorem longum *fig.* 5.
*i.* divisio humeralis arteriæ *fig.* 8.
*k.* ramus recurrens *fig.* 8.
*l. l. l.* rami musculares *fig.* 8.
*m. m.* arteria interossea interna *fig.* 8.
*n.* - - interossea externa *fig.* 7. 8.
*o. o. o.* - - radiæa *fig.* 5. 8.
*p. p.* ramus per musculum sublimem excurrens *fig.* 8.
*q. q.* arteria ulnaris seu cubitæa *fig.* 8.
*r. r. r.* - - brachialis extraordinaria *fig.* 5. 6 8. 9.
*s. s.* ejus rami musculares *fig.* 5.

 *t.* ejus

*t.* ejus anaſtomoſis cum radiæa (*oo*) *fig.* 5. 8.
*u.* arteria interſcapularis *fig.* 6.
*x.* - - collateralis tertia non ſemper præſens *fig.* 6.
*y.* - - - recurrens ulnaris *fig.* 6.
*z.* arteria interoſſea interna *fig.* 6.
1. 1. Nervi cutanei rami *fig.* 9.
2. 2. 2. Nervus medianus *fig.* 5. 8.

Satis ita, ut opinor, repræſentatis & expoſitis omnibus partibus, quæ in curatione anevrysmatis ſpurii attendendæ ſunt, facilius nunc loca cognoſci poſſunt in venarum cubiti ſectionibus evitanda: docendi tamen ſunt omnes chirurgi, non ſolum arterias hujus regionis interdum ſitum ſuum paullulum mutare (ut taceam ramos extraordinarios quandoque obvios, quale exemplum ſiſtit *fig.* 9. (*) verum etiam & adhuc magis venas, uti ex ſola comparatione *fig.* 1. cum 9. ſatis jam patet. In hac ergo operatione, licet vulgatiſſima, nunquam non opus eſt ubique ſollicita exploratione & ſumma accuratione, ne ipſa vena penitus pertundatur. Deinde etiam facile intelligi poſſunt difficultates, quæ operationem chirurgicam premunt, qua anevrysma ſpurium ſectione extirpandum eſt.

Antequam autem ulterius progredior, neceſſe eſt, ut moneam, propoſitum mihi haud eſſe, hic loci exponere univerſam & generalem anevrysmatis tam veri quam ſpurii theoriam, neque etiam recenſere omnes anevrysmatis ſpurii ſpecies modosque, quibus ſingulæ vel præverti vel curari debeant, utpote quæ omnia Ill. HEISTERUS ſatis ſolideque docuit(**) ita, ut iliada poſt Homerum canere auderem, ſi

(*) Ita Ill. HEIST. etiam prope venam cephalicam, quæ omnium tutiſſima habetur, magnam arteriam ſæpius obſervavit *Inſtit. chir. edit. Amſt. anni 1739. p. 425. edit. 1750. p. 410. nota a.*

(**) *l. c. P. II. Sect. I. cap. XII. p. 425. ſeqq. cap. XIII. p. 429. ſequ. & P. III. cap. VI. §. VIII. & IX. p. 1226. ſeq.*

si in his prolixior essem: id tantum annotasse sufficiet, anevrysma spurium esse sanguinis ex vulnerata arteria effusionem & sub cute collectionem; speciem vero ejus, de qua sola sermo mihi est, esse illam, quando hic sanguis, & quidem ex arteria una vel altera sub venæsectione simul aperta, extravasatus & collectus & in grumos condensatus nulli pressioni amplius cedit.

Ejusmodi ergo anevrysma omnium consensu absque cutis dissectione & sanguinis congrumati remotione curari nequit: dum enim sanguis circuitu suo in arteriis ex ampliori spatio in angustius transire cogitur, is ad singulos ita dictos pulsus vulneris aperturam penetrare nititur, hinc ejus latera continuo disjungit, ideoque eorum consolidationem perpetuo impedit, inde vero indies majorem sanguinis copiam effundit, cui cutis resistere nequit. Et dum sanguis hic effusus vel qualitate sua vel mora condensatur & concrescit, ulteriori effusioni aliquo modo quidem resistit, sed, dum in fluvium suum reduci nequit, tandem putrescit & in sphacelosam corruptionem abit.

Quomodo autem, sectione tumoris instituta & sanguine congrumato evacuato, ulterior sanguinis ex læsa arteria profusio certo, tuto atque jucunde sisti debeat & queat, nondum satis demonstratum est.

Sunt qui adstringentia, quid? quod corrosiva vel caustica, arteriæ vulneri detecto imponi suadent, e. gr. vitriolum cæruleum, liquorem stypticum Weberi, butyrum antimonii (*) &c. de quorum usu vero infido, vel prorsus noxio, men-

(*) vid. PALFYN *chirurgische operationen* Francof. & Lips. 1717. p. 402. HEIST. l. c. p. 439. edit. a. 1750. p. 423. §. XI. GARENGEOT *traité des operations de chir.* T. III. a Paris 1721. p. 246. edit. germ. Berol. 1733. p. 257. §. 28. commendat suum liquorem causticum, quem vero non describit.

mentem meam jam exposui in priori casu pag. 480.

Reliqui ferme omnes cunctis sanguinis profluxum sistentibus præferunt ipsius arteriæ læsæ ligaturam, dum illa a connexione cum partibus vicinis separatur, acus curva cum filo cerato trajicitur & denique arteria læsa proxime supra vulnus constringitur, id quod cum variis cautelis & annotationibus satis jam accurate atque prolixe docuerunt præcipue PALFYN (*a*) GARENGEOT (*b*) PLATNERVS (*c*) HEISTERVS (*d*) MACGILL (*e*) & ALEX. MONRO (*f*) quæ hic repetere nimis prolixum foret, id unicum tamen annotasse haud supervacaneum erit, MACGILL, pro elevanda & tutius proinde a nervo reliquisque partibus separanda arteria, ejus vulneri detecto immisisse stylum fortem, (*g*) quod etiam ab alio factum observavit MONRO (*h*) qui insuper (*i*), pro operatione celerius finienda, suadet, ut, quamprimum cutis per longitudinem dissecta & sanguis extravasatus ac polyposus remotus est, patiens paullulum flectat cubitum, operator vero pollice ac indice sinistræ manus prehendat arteriam brachialem, horumque apices sub eam insinuet, & ita acum super unguibus in-

(*a*) l. c. p. 424. (*b*) l. c. p. 249.

(*c*) Instit. chirurg. Lips. 1745. p. 269. §. 438. 439. Ejusd. *Gründliche Einleitung in die chirurgie Erster Theil.* Leipz. 1748. p. 420. seq. §. 463. 464.

(*d*) Instit. chir. Amstel. 1739. p. 440. §. XIII. p. 443. §. XIX. ibid. 1750. p. 424 §. XIII. p. 426. §. XIX.

(*e*) Actor. Edinburg. T. II. edit. Gall. p. 325. art. XV. edit. German. p. 341. seqq.

(*f*) Ibid. T. IV. edit. Gall. p. 364. seqq. edit. Germ. p. 393.

(*g*) l. c. edit. Gall. p. 327. seq. edit. Germ. p. 344.

(*h*) Tom. IV. edit. Gall. p. 364. edit. Germ. p. 394.

(*i*) Ibid. p. 366. ed. Germ. p. 395. seq.

intrudat, hocque modo ſecure nervum proximum evitet, quem tactu facile ab arteria diſtinguere poteſt, quum hanc, flexo cubito, absque difficultate eousque elevare poteſt, ut a nervo ſatis removeatur: ita, pergit, hæc operatio, quæ ſecundum ordinariam chirurgorum deſcriptionem difficilis, tædioſa & laborioſa eſt, facile, cito & ſecure peragi poteſt.

Hanc methodum in uſum vocare aliisque commendare nullum dubium movet auctoribus citatis interceptus per arteriam ligatam ſanguinis ad partes inferiores via recta transitus: nam, licet vel ipſe arteriæ brachialis ſeu humeralis truncus ſupra diviſionem ſuam in ramos (*g. tab. IV. fig. 2. 3. tab. V. fig. 4.*) ligandus veniat, perſuaſi ſunt (*k*) nihilominus ſanguinem tranſire poſſe ad ramos infra ligaturam ope anaſtomoſis arteriarum humeri collateralium (*d. e. tab. V. fig. 4. c. d. fig. 5. 6. 7. tab. VI. fig. 8. & x. fig. 6.*) cum recurrente ulnari (*i. i. fig. 4. y. fig. 6.*), recurrente radiæa (*p. fig. 4. g. fig. 5.*) & recurrente interoſſea (*m. fig. 4. & n. fig. 7.* ut & per alterum arteriæ humerariæ truncum (*r. r. r. tab. V. fig. 5. tab. VI. fig. 8.*) quando præſens eſt (*l*), quare mo-



(*k*) GARENGEOT l. c. edit. Gall. p. 249. PLATN. edit. lat. p. 266. §. 436. edit. Germ. p. 418. §. 462. conf. MONRO Act. Edinb. T. II. edit. angl. p. 283. gall. p. 353. germ. p. 372. v. HALLER. ic. faſc. VI. p. 22. b.

(*l*) Ejusmodi arteriæ humeralis duplicis hiſtoriam tradit v. HALLER more ſuo accuratam l. c. p. 33. b. ſeq. & cui ad manus haud eſt, evolvat Jo. Frid. MOEBII diſſ. inaug. ſub præſidio Ill. HEIST. Helmſt. 1730. ventilatam, quæ ſiſtit *Obſervationes med. miſcell. theoret. & practicas* Obſ. VIII. p. 17. ſeqq. HEIST. compend. anat. a. 1741. P. II. p. 126. nota 66. **: Inſtit. chir. 1739. p. 434. 434. nota c. edit. 1750. p. 418. nota h. Acta Edinb. vol. II. edit. gall. p. 351. ſeqq. germ. p. 370. tab. II. fig. 2. 3. 4.

monent, arteriam vulneratam etiam infra vulnus ligandam esse, ne sanguis a vasis lateralibus regurgitet & novam hæmorrhagiam excitet (*m*): experientiam quoque huic theoriæ respondisse variis casibus ab auctoribus citatis comprobatum est, ubi simul hæc notabilis observatio adstruitur, si vel etiam pulsus in utroque carpi latere aliquamdiu sentiri nequeat, nihilominus ad amputationem haud properandum esse prius, quam manifesta incipientis sphaceli signa in cubito vel manu adpareant, quum pulsus sæpius post aliquot demum dies redit (*n*).

Quum nervus ille insignis, qui medianus dicitur (2. 2. *tab. IV. fig. 2. 3. tab. V. fig. 5. tab. VI. fig. 8.*), arteriam brachialem ubique proxime comitatur, methodi hactenus recensitæ commendatorum monito (*o*), idem in arteriæ vinctura absque læsione ab eadem separandus est scalpello aliove instrumento tantum, quantum pro libero transitu acus sufficit. Quomodo hæc læsio nervi perniciosa ad mentem laudati MONRO commodius evitari queat, superius p. 368. indicavimus. Quum vero non solum quandoque patiens hanc nervi separationem ferre nec potest nec vult (*p*), verum etiam sub hac occupatione ramuli quidam arteriæ laterales facile lædi possunt, hinc procul dubio nonnulli ipsum nervum simul ligare non

(*m*) PALF. p. 426. GARENG. ed. gall. p. 251. germ. p 262. §. 36. HEIST. ed. 1739. §. XXIV. ed. 1750. p. 429. §. XXIV. Act. Edinb. T. II. ed. gall. p. 328. germ. p. 344. Tom. IV. p. 365. ed. germ. p. 395. PLATN. ed. lat. p. 270. §. 439. germ. p. 421.

(*n*) Ejusmodi præ reliquis notabile exemplum refert ill. MONRO Act. Ed. T. IV. edit. gall. p. 364. ed. germ. p. 395. facta namque operatione d. 22. Maii, pulsus demum d. 5. Junii distincte redibat.

(*o*) locis citatis.

(*p*) Quale exemplum recenset PALFYN l. c. p. 435.

non reformidarunt, de quo le DRAN (q) hæc latine reddita refert: *sunt quidam practicorum, qui arteriam detegere negligunt. Quam primum denudarunt capsulam* ( qua intelligitur tegmen illud membranosum, quod vasa hæc comprehendit ) *profunde sub illam adigunt acum instructam filo, quo dictam capsulam & multam carnem simul comprehendunt & constringunt. Etsi secundum hanc methodum nervus, quem æque ac arteriam hæc capsula continet, simul constringatur, raro tamen symptoma accedit, quia carnis quantitas simul comprehensa obstat, quo minus nervus justo arctius constringatur*, id quod etiam exemplum ex PALFYN citatum comprobat, & magis adhuc relatio Dn. EIERICH supra laudati: hic namque, dum Parisiis studium chirurgicum excoluit, bis vidit eodem modo hanc operationem a D. BOVDOV feliciter administratam. Quamvis autem hac ratione ipsius nervi læsio, gravissimis symptomatibus obnoxia, ut & ramorum arteriæ lateralium læsio omnino præcaveatur, facile tamen ex nimia nervi hujus insignis & plurimis cubiti manusque partibus integritatem conservantis constrictione, pessima symptomata sequi possunt, nimirum vel saltem stupor, si non penitus mors earum partium, quas sustentat: certe in annotatis manuscriptis, quæ ex ore Dn. DUVERNEY Parisiis 1738. excerpta & pariter a Dn. EIERICH mecum communicata sunt, reperi, ex tali nervi constrictione quendam duos digitos perdidisse: excurrit namque hic nervus in vola manus ad latus digiti annularis, medii & indicis.

Licet autem negari haud possit, postquam viri doctissimi expertissimique de natura hujus mali æque ac partium, quas occupat, ut & de curationis, arteriæ brachialis vinctura susceptæ, successu suas observationes sollicite contulerunt, eandem nunc sæpius jam feliciter administratam esse



(q) Traitè des operations de chirurgie a Paris 1742. p. 535.

(*r*); nihilominus tamen hi ipſi Auctores adhuc monent chirurgos, ut nullus ejusmodi operationem ſolus in ſe ſuſcipiat, ſed alios expertos viros ſimul in conſilium vocet vel ſaltem teſtes rei ad artis regulas bene legitimeque peractæ habeat, ut taceam, eosdem ingenue etiam indicaſſe, quæ minus ad votum acciderunt (*s*); quare procul dubio PLATNERVS (*t*) omnibus probe ponderatis mentem ſuam hiſce declarat: *ex his intelligitur, in brachio, minimum niſi certa ſit deſperatio, experiendam eſſe aneurysmatis chirurgiam* (illam ſcilicet hactenus expoſitam): *nam ſi illa etiam fallit, nihilominus ad ultimum auxilium, quo humerus præciditur, confugere poteſt chirurgus.*

Si itaque hac methodo in uſum vocata de amputando brachio non ſecurus eſt chirurgus; ſi præterea operatione dexterrime etiam ac feliciſſime abſoluta, non raro magna membri debilitas ſequitur: aliam methodum hac ſecuriorem prius tentandam eſſe, nemo inficias ibit, & quum talem iterata vice ſe præſtitit ea, quam in binis caſibus recenſitis uberius expoſui, eandem hunc in finem ulterius explorandam commendare minus dubitavi.

Me quidem haud fugit, alios jam, & præcipue DIONYSIUM (*u*), compreſſionis cum charta maſticata mentionem jam feciſſe, immo hanc methodum non ſolum cauſticis, verum etiam ipſi ligaturæ prætuliſſe (*x*): ſed qui modum ap-

(*r*) Exempla vid. apud Auctores citatos, adde *Commerc. litterar. Norimb.* 1734. p. 283. n. II.

(*s*) Exemplum vide *Act. Edinb. T. II.* ed. Gall. p. 329. ſeq. ed. Germ. p. 346.

(*t*) l. c. ed. lat. p. 268. §. 436. edit. germ. p. 419. §. 462.

(*u*) *Cours d' operations de chirurgie* a Bruxelles 1708. p. 484. edit. German. ab HEIST. aucta Augſp. 1722. T. II. p. 763.

(*x*) l. c. pag. ſeq.

applicationis in forma turundarum considerat, facile intelliget, cur non semper, si unquam, effectum optatum præstitit erit. Secundum meam namque opinionem effectus hic tantum sequi potest

1) quando vulnus a sanguine extravasato atque corrupto penitus purgatur, ipsumque arteriæ orificium ejusque labia, quantum fieri potest, mundantur, & quidem optime cum vino calido ope siryngæ spongiæque, ne sanguis corruptus, uti non amplius ad nutritionem, ita etiam neutiquam ad consolidationem aptus, hanc impediat, sed recenti & balsamico sanguini accessus ad hæcce labia paretur.

2) quando charta seligitur tenuissima bibula, haud sæpius, quam ter quaterve pollicis quadrati magnitudine complicatur, & masticata iterum probe explanatur: hac enim solummodo sub conditione arteriam exacte ambire, labia paululum conjungere, orificium obturare, reliqua interstitia replere omnibusque partibus arcte adhærere valet.

3) quando hæ placentulæ, sigillatim primæ, spiritu vini & subtilissimo pulvere glutinante valde impraegnantur, probe tamen iterum exprimuntur: uterque namque sanguinem denuo affluentem seu in orificio hærentem coagulat, labia orificii constringit & reliquas partes jam corruptas mundat eoque recentis & firmæ carnis generationem promovet, ut taceam, chartam ita præparatam pulveris ope arteriæ tanto firmius adglutinari.

4) quando torcularis & vulneris compressionis auxilio liber plenusque sanguinis circuitus per arteriam læsam ad sufficiens temporis intervallum semper quidem impeditur, probe tamen nimia & ad plenam pulsus in carpo suppressionem constrictio cavetur, ne partibus nimium compressis mortem inferat (*y*).

 Quod

(*y*) de his omnibus conf. Vol. VIII. p. 479. seq.

Quod autem cauſſam proximam conſtituit, quæ arteriæ vulnus firmiter obturat iterumque conjungit, eſt illa polypi quædam ſpecies recens generata, quam non ſolum fuſe exponit, verum etiam obſervationibus demonſtrat figurisque idoneis declarat celeberrimus PETIT (z). Ut ut autem ejusmodi polypoſa concretio & ſuperſtrata caro firma recens generata vulnus arteriæ perfecte ſanare queat; confirmationis tamen atque ſecuritatis gratia per aliquot menſes ligaculum quoddam geſtari poteſt eo modo, quem Vol. VIII. p. 490. docui. Ceterum nemo de perfectione ejusmodi curationis dubitabit, qui conſiderat, omnium conſenſu non ſolum poſſibile declaratum, verum etiam experientia ſatis comprobatum eſſe, arteriæ vulnus ſola compreſſione ſanari poſſe, quamdiu ſanguis extravaſatus fluxilis adhuc eſt & in alveum ſuum reduci poteſt: quando enim in anevrysmate ſpurio inveterato poſt cutis ſectionem omnis ſanguis congrumatus removetur, hoc ipſo arteria ad eundem ſtatum redigitur, quo ab initio læſionis fuit, adde, hoc in caſu compreſſionem multo aptius applicari poſſe. Et hæc nunc quidem ſufficiant.

(z) *Hiſt. & Memoires de l' Academ. Royale des ſc.* a. 1735. edit. Pariſ. Memoir. p. 435. et a. 1736. p. 244. qui utrique commentarii latine redditi reperiuntur in *Commerc. litter. Norimb.* a. 1741. p. 365. 372. tab. IV. fig. 4. 5. 6. 7. & a. 1743. p. 321. 332. tab. IV. fig. 13. — 16. tab. V. fig. 1. 2. 3.

Spi-

# Spicilegium III.

## *MISCELLANEA.*

1) ***Lepores albi***, quorum hoc Volumine p. 71. mentio fit in memoriam mihi revocarunt leporis, quoad colorem, singularem varietatem, qui anni superioris 1753. mense Novembri & ante ullum gelu prægressum in Marggraviatu Brandenburgico - Onoldino prope Triesdorff in sylva, *Triedinger vvald* dicta, grandine plumbea configebatur, cujus imago ad vivam facta Gunzenhusæ in Serenissimi Principis conclavi quodam inter plurimas animalium rariorum picturas asservatur, ipsa autem pellis mihi transmissa nunc meum museum ornat. Hæc pellis in occipite, auribus, colli parte superiori, dorso & femorum externa facie varia est pilis, dilute fuscis cum apicibus nigris & totidem quasi pilis prorsus candidis ita, ut primo intuitu colorem canescentem referant. Frons ad palmæ latitudinem, aurium maxillæque inferioris margines cum gutture, pectore, abdomine & interiori pedum anteriorum posteriorumque facie itemque cauda (excepto tamen hujus dorso, ad principium & ad finem ampla macula nigra notatum) pilis tantum candidis obsessa sunt. In lumbis denique & pedum anteriorum & posteriorum facie exteriori pili candidi multis dilute fuscis intermixti sunt.

2) Alia varietas, Lepus scilicet femella circiter triennis in eodem Marggraviatu, sed inter Gunzenhusam & Merckendorff, initio hujus anni capta est rarior adhuc & notatu maxime digna, tota nimirum nigerrima, exceptis pedum plantis ex nigro fuscis. Hæc viva adhuc alitur Triesdorffii in aviario phasianorum, ubi illam nuper admodum ipsemet vidi.

3)

3) ***Calendulam proliferam***, quæ p. 208 deſcribitur & depingitur, ſæpius in horto meo domeſtico alui, quæ vero ſemper prima ſtatim æſtate, ſed ſuper medio tantum caule, & poſtquam mater hujus floris jam emarcuit ſeminaque augmentum ceperunt, ejusmodi largum prolium proventum excluſit, & quidem ex ambitu calycis interiori ſuper pediculis inæqualis magnitudinis eadem ferme forma, qua pingitur a LOBELIO (*a*) GERARDO (*b*) TABERNÆMONTANO (*c*) atque WEINMANNO (*d*). Similem florem, ſed matre adhuc perfecta ſuperſtite, repræſentat quoque HORTVS EYSTETTENSIS (*e*) ut &, prolibus tamen multo minoribus & pediculis longe brevioribus ſuffultis, LOBELIVS (*f*) GERARDVS (*g*) PARKINSON (*h*) atque TABERNÆ-MONTANVS (*i*). Semel obſervavi, ex ejusmodi flore medii caulis jam emortuo pluresprοpullulare proles exiguos & pediculo breviſſimo præditos non ex calycis ambitu, ſed ipſo floris diſco inter ſeminum primordia, quod rariſſimum naturæ productum adhuc aſſervo ſiccum atque depictum. Ceterum hæc planta non ſola hiſce partibus luxuriat, ſed plu-

(*a*) Icon. ſtirp. P. I. p. 553. a.

(*b*) Herbal or general Hiſtorie of Plantes p. 739. n. 7. quæ icon eadem eſt LOBELII.

(*c*) Eicon. plantar. p. 334. n. I.

(*d*) Phytanthozaiconograph. tab. 284. b.

(*e*) Plant. æſt. ord. V. fol. 3. n. 1.

(*f*) l. c. n. 2. (*g*) l. c. n. 4.

(*h*) Theatr. bot. p. 1369. no. 2. quæ tres icones eædem ſunt.

(*i*) l. c. 335. n. II. qui integram plantam delineat.

plures: e. gr. *Bellis hortensis flore pleno*, cujus mentionem jam fecit TRAGVS (*k*), imaginem vero exhibuit LOBELIVS (*l*) GERARDVS (*m*) CAMERARIVS (*n*) PARKINSON (*o*) HORTVS EYSTETT. (*p*) & WEINMANNVS (*q*). In hac quoque planta proles ex calycis ambitu proveniunt. *Scabiosa prolifera folio latiore* C. B. Pin. p. 270. a. n. x. cujus imaginem habet LOBELIVS (*r*) & CLUSIUS (*s*) itemque *Scabiosa prolifera foliis Gingidii* C. B. (*t*) nec non *Scabiosa peregrina prolifera* WEINMANNI (*u*) quæ est *Scabiosa corollulis quinquefidis foliis dissectis, receptaculis florum subulatis* LINNÆI (*x*) & *Astero-cephalus* VAILLANTII (*y*). Hæc varietas proles ex vertice capituli sui protrudit. Huc etiam pertinet *Caryophyllus montanus minor caule prolifero* C. B. pin. p. 211. n. II. quæ est *Statice caule nudo simplicissimo* LINNÆI (*z*). Hanc plantæ hujus ra-

(*k*) Stirp. nomenclatur. Argent. 1552. in 4. p. 162. ubi naturæ miraculum nominatur.

(*l*) l. c. p. 477. n. 2.

(*m*) l. c. p. 636. n. 3. quae figura eadem.

(*n*) Epit. p. 656. n. 1.

(*o*) Paradis. in sole p. 321. fig. 8.

(*p*) Plant. vern. ord. VII. fol. 4. fig. 1.

(*q*) l. c. tab. 236. e. quæ admodum vilis.

(*r*) l. c. p. 539. n. 1.

(*s*) Plant. Hist. p. V. n. 1.

(*t*) Prodr. p. 126. cuius imago vero a priori non differt.

(*u*) tab. 888. e.

(*x*) Hort. Cliff. p. 31. n. 8.

(*y*) Hist. & Mem. de l'Acad. Roy. des Sc. edit. Paris. Mem. p. 178. seqq. ubi n. IV. V. VI. VII. quatuor indicat varietates.

(*z*) Hort. Cliff. p. 115. n. 1.

rariſſimam varietatem, quæ proles, longis petiolis ſuffultas, iterum ad ambitum calycis communis profert, ſemel inveni prope Norimbergam.

4) Occaſione recenſionis collyrii Anglici hujus Voluminis Append. p. 96. monui, eandem quoque proſtare in Commerc. litt. Norimb. a. 1745. Haud ſupervacaneum erit, hic addere notam, quam ibid. p. 400. ſubjunxi, pro cognoſcenda Lichenis ſpecie illa, quæ contra canis rabidi morſum commendatur, quæ hæc eſt: „ Exactiſſima ejus deſcri-„ ptio & delineatio exhibetur a cel. DILLENIO *Hiſt. Mu-„ ſcor. p. 200. no. 102.* ubi etiam RICH. MEADI experien-„ tia virtus hæc confirmatur, ſed ad hujus ductum Lichenis „ unciæ dimidiæ adduntur tantum drachmæ ij piperis. Ea-„ dem etiam recenſentur ab ELIS. BLAKWELL *Herbal* „ T. II. n. 336. ubi etiam elegans pictura ipſisque nativis „ coloribus exhibetur. Ceterum a laudato DILLENIO af-„ firmatur, hanc ipſam Lichenis ſpeciem in plerisque Eu-„ ropæ regionibus familiarem eſſe, atque propterea plura „ aliorum ſynonyma indicat. Hic ob temporis penuriam ſubſiſtere cogor.





# INDEX

## Asterifcus numeris præfixus Appendicis paginas indicat.

### A.

B.



Bi-

Cucur-

Fossi-

Lactan-

N.

Tenes-

Ven-

# F I N I S.









Fig. 1.
ad Observat I pag 2
A
D
A
A
B
C
A


Fig. 2
ad Observat II pag 8.
A
C
B


D
Fig. 3.
ad Observat. XVI. pag. 53.
E
B
A
C



Volum. X. Act. N.C. Tab. II.
Fig. 1.
fig. 2
A
B
B
A
ad Observ. XVII.
pag. 63.
fig. 3.
fig. 4.
fig. 5.
B
D
F
C
G
E
A


Fig. 2.



Fig. 3.


Fig. 1.




Fig. 4.


Fig. 5.


Fig. 6.


Fig. 7



Fig. 8.

ad Observat. LV. pag. 208.

Fig. 1.

ad Observat. LVII. pag. 211.

Fig. 2.



ad Observat. XCII. pag. 372.

Fig. 1.



Fig. 4.



Fig. 3.

Fig. 2.




Fig. 5.




Fig. 6.





ad Observat. LVII. p. 211.
















ad Obs. LXXXVI. p. 324.




















ad Observ. XCI p. 361.

















ad Observat. CIV. p. 410.






ad pag. 122.
Append. Volum. X. Act. N. C. Tab. I.
Fig. I.
Fig. II. a.
Fig. II. b.
Fig. III.
Fig. IV.


pag. 186. Append.
Fig. V.
Fig. VI.
Fig. VII
Fig. VIII.
Fig. IX.
Fig. X.

Append. Volum. X Act. N.C. Tab. II.

Fig. 1. ad pag. 233.



ad pag. 280.

Fig. 6.





Fig. 2.





Fig. 3.





Fig. 4.








Fig. 5.





Append.Vol.X.Act.N.C.Tab.III.
p. 351.

App. Vol. X Act. N. C. Tab. IV.
p. 363.




J. U. Seligmann fecit Norimbergae.


Fig. 4.
A
A
B
D
E
L



Fig. 5.
B
C
D
E


Fig. 6.



Fig. 7.
L
M

Fig. 9.

Fig. 8.